Q 5.

Digitized by Google

Domus Prof. Rom. Soc. Iesu

R. P.

IO. BAPTISTÆ
NOVATI

Adnotationes, & Deciſiones Morales.

Domus Prof. Rom. Soc. Ieſu

R. P.


IO. BAPTISTÆ NOVATI

Adnotationes, & Deciſiones Morales.

Digitized by Google

Digitized by Google

Domus Prof. Rom. Societ. Iesu



BONONIAE Apud Iacobum Montium. MDCXXXVIII. Superiorum permiſſu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO,

ET REVERENDISS. D.D.

HIERONYMO

B I N A G O

LAODICEÆ EPISCOPO,

A C

BONONIAE SVFFRAGANEO.

VOluiſti, & potuiſti Illuſtriſsime, & Reuerendiſsime Præſul plurimis annorum ſpatijs me innumeris beneficijs cumulare. Volui ego, ſed non potui tibi vices animi grati rependere. Quod potui, ſempèr volui, te nimirùm ſummoperè diligere, atque colere. Huius rei argumentum licèt leue exhibeo, opuſculum hoc tibi offerendo, quod (vt ſpero) beneuolè ac-

cipies, vtpotè conſonum zelo, quo animarũ ſaluti toto vitæ decurſu inuigilaſti, & inſudaſti, & nunc eò magis inuigilas, & inſudas, quò Paſtorale munus poſtulat, atquè exigit. Cæterùm non dubito, quin hæc Praxis, quam breuitèr conſcripſi pro opportuno infirmis, & moribundis auxilio ſuppeditando, ex tuo patrocinio tantum lucis habitura ſit, vt ab illa plures pij morientium opitulatores excitandi ſint, quòd ſanè à Chriſtiana charitate maximè exoptandum eſt ad maiorem gloriam Dei, à quo perpetuam tibi felicitatem deprecor. Mediolani XIII. Kal. Martij. MDCXXXVIII.

*Dominationis Tuæ Illuſtriſs. & Reu.^ma^*

Addictiſsimus Seruus
Io. Baptiſta Nouatus.

Lectori Beneuolo.

T*Ota vita diſcendum eſſe mori*, egregius ille morum inſtitutor Seneca monuit, cui ille ſolo nomine Idiota, & de cętero ſapientiſſimus vir optimè his accinit, *Effice tibi mortem cogitatione familiarem, vt ſi tua ſors tulerit, poſsis ei obuiam exire, eſt namque magna ſapientia frequenter cogitare de morte*. Et ſanè, ſi quis rectè ſapit, quem non præ alijs ſapere fateatur, cui continuò tuba veriſona cordi intonat, *Moriendum tibi eſt*, & quocunque die, & quacunq; hora, & quolibet temporis momento mori tibi contingere poteſt? Dic quæſo, quid proficies, licèt multum in omni humanarum, diuinarumq; ſcientiarum ſtudio profeceris, vna hac intèr omnes maximè neceſſaria ſapientia neglecta, quæ docet ita tibi viuendum eſſe, vt vixiſſe velles, cum mors te aggredietur? Admirabili epilogo rem hãc totam amplectitur vetus illud effatum. *Vita ſapientis contemplatio mortis*. Hanc ſublimem,

Seneca de breuit. vitæ c.7.lib. 5.cap.5.

Idiota.

& præſtantiſsimam ſapientiam diſces, Amice Lector, ſi pluriès paruum volumen hoc euolues, in eo enim dum infirmis, atquè moribundis ſubuenire quàm excellens, immò & diuinum ſit opus, & quæ methodus ſeruanda ſit in tali miniſterio ritè obeundo apprehendes; apprehendes ſimul te communi cæterorum mortalium conditioni ſubiacere, & omni momento mortem tibi imminere, atquè ita par eſſe, vt vitæ tuæ rationes ita componas, vt omni momento ad mortis conflictum paratus ſis, quod eſt verè ſapere. De cætero ea, qua potui breuitate vſus ſum, vt potiùs res innuere, quàm explicare tùm in adnotationibus, tùm in moralibus deciſionibus contentus fuerim, ne ingens volumen texeretur, ſed opus inſtar compendij eſſet, vt promptiùs, ac faciliùs præ manibus omnium haberi poſſet; non enim ignoro multos à lectione ingentium voluminum, quam nimiùm laborioſam concipiunt, deterreri. Tu pie Lector æquè boniquè conſule, quæ pro communi omnium vtilitate indicaui. Vale.

INDEX
Capitum, & Adnotationum Primi Libri.

CAPVT PRIMVM

De quibuſdam motiuis, quæ ad opem moribundis ferendam valdè extimulant.

Adnotatio I. *Quilibet moribundo ſuffragari debet ratione humanæ ſocietatis*. pag. I.
Adnotatio II. *Præſtantia beneficentiæ nos ad moribundos iuuandos allicit*. 5.
Adnotatio III. *Quòd moribundus adiuuandus ſit, quia creatura eſt imaginem Dei præſeferens, & à Deo maximè amatur*. 7.
Adnotatio IV. *Vt Deum miſericordem imitemur, miſeriam morientium ſubleuare omni noſtro conatu debemus*. 8.
Adnotatio V. *Miſerationibus diuinis, quæ nos præueniunt, ad ſuccurrendum moribundis deuincimur*. II.
Adnotatio VI. *Vnio charitatis, quæ inter credentes eſſe debet, ad auxilium moribundis*

ſuppeditandum maximè vrget. 12.
Adnotatio VII. *Pignus æternæ gloriæ, quod habet, qui morientes adiuuat, ad hoc opus pietatis magno affectu amplectendum quemlibet pellicere deberet.* 14.
Adnotatio VIII. *Dolores infirmitatis, & imminentis mortis, quibus affligitatur moriens, nos debent commouere, vt, quam poſſumus, illis opem præſtemus.* 15.
Adnotatio IX. *Angor, quo cruciatur moriens ob timorem diuini iudicij imminentis, noſtrum auxilium implorat.* 18.
Adnotatio X. *Vehementes tentationes, quibus impugnatur moribundus, noſtram opem requirunt.* 19.
Adnotatio XI. *Si nullo alio cruciatu angeretur moriens, quàm eo, quem ſuſtinet ab acerbiſſimis conſcientiæ ſtimulis, noſtro ſuffragio maximè dignus eſſet.* 23.
Adnotatio XII. *Aeternitas, & atrocitas pænarum inferni, in quas poſſunt incidere morientes, ſi auxilio noſtro deſtituantur, quemlibet vrget ad opē illis ferendā.* 25.
Adnotatio XIII. *Motiuum ſubueniendi morientibus deſumitur ex gloria, quam illi à nobis adiuti conſequi poſſunt.* 28.
Adnotatio XIV. *Qui moribundis opitulatur,*
plu-

plurib. bonis etiã in hac vita donatur. 29.
Adnotatio xv. *Qui moribundis opem fert, ſapè à malis, in quæ aliàs incidiſſet, liberatur.* 31.
Adnotatio xvi. *Ad ſubueniendum moribundis retributio, quæ ab eis ſperari poteſt, inuitat.* 35.
Adnotatio xvii. *Magnum pro adiuuandis moribundis excitamentum debet eſſe, quòd tale opus eſt ſacrificium pro abolẽdis peccatis noſtris Deo acceptiſſimum.* 37.
Adnotatio xviii. *Inuigilandum eſt auxilio morientium, quia qui hoc pietatis opus exercet, ſeueritatem diuini iudicij non experietur.* 39.
Adnotatio xix. *Plurimùm nos inducere debet ad ſubueniendum moribundis, quòd qui hoc præſtat, cum ipſe à dæmone impugnabitur, & præcipuè in agone, non expugnabitur.* 41.
Adnotatio xx. *Qui cupit peculiaria ſubſidia in mortis agone habere parata, ſimilia ſuppeditet moribundis.* 43.
Adnotatio xxi. *Libentisſimè opus charitatis in adiuuandis moribundis amplectendum eſt, quia per hoc cæterarum virtutum perfectio acquiritur.* 45.
Ad-

Adnotatio XXII. *Vt rem Beatiſſimæ Virgini pergratam præſtemus, operam omninò in adiuuandis moribundis impendere debemus.* 47.

Adnotatio XXIII. *Magnum incentiuum nobis eſſe debet ſaluti morientium cooperandi, quòd Deus plurimi faciat munus ſaluandi animas.* 48.

Adnotatio XXIV. *Magnum incitamentum adiuuandi morti proximos eſſe debet, quòd quicquid impenditur illis, Chriſtus ita accipit, ac ſi ſibi metipſi factum eſſet.* 50.

Adnotatio XXV. *Ad opem moribundis præſtandam excitare nos debet gloria Dei, quæ ex ſalute animarum reſultat.* 53.

CAPVT SECVNDVM.

De nonnullis requiſitis, quæ præcipuè in eo requiruntur, qui munus adiuuandi moribundos omni cum perfectione obire cupit.

Adnotatio I. *Puritas conſcientiæ neceſſaria eſt in auxiliatore morientium.* 55.

Ad-

Adnotatio II. *Magna animi ſubmiſſio in eo, qui moribundis opem fert, requiritur.* 59.

Adnotatio III. *Adiutor morientium firmam in Deo habere debet fiduciam.* 61.

Adnotatio IV. *Qui præſto eſſe moribundis ſtudet, cum aduocatur, nulla interpoſita mora debet accurrere.* 63.

Adnotatio V. *Animoſitate & patientia magna munitus eſſe debet, qui moribundis adſtando completum illud munus obire cupit.* 67.

Adnotatio VI. *Vt opportunis ſubſidijs quis ſubleuet grauitèr ægrotantem, vel extremos halitus efflantem, magna prudentia debet eſſe præditus.* 71.

Adnotatio VII. *Peritia & doctrina requiritur in eo, qui ad opportunè iuuandos quoſcunque morientes paratus eſſe cupit.* 73.

Adnotatio VIII. *Modeſtia conſpicuus eſſe debet, qui in priuatis ædibus moribundis adſtat ad opem.* 77.

C A-

CAPVT TERTIVM.

De modo cum infirmo procedendi, antequàm agonizet.

Adnotatio I. *Inuiſendus eſt infirmus quandoquè amicitiæ prætextu.* 81.

Adnotatio II. *Accerſitus ad inuiſendum infirmum probatæ vitæ præcipuè ſtudere debet, vt ea, quæ illi conſolationi eſſe poſſunt, ſuggerat.* 83.

Adnotatio III. *Infirmus recentèr iacens, qui vitam peccatis implexam traduxit, etiam ſi periculosè non laboret, admonendus tamèn eſt, vt per talem ægritudinem agnoſcat ſe a Deo animaduerti, vt reſipiſcat.* 88.

Adnotatio IV. *Infirmus hortandus eſt, vt præſcripta à Medico pharmaca ſumat, ita tamèn vt præcipuam ſanitatis recuperandæ ſpem in Deo reponat.* 91.

Adnotatio V. *Periculosè ægrotans, & confidens nihilominùs ſe conualiturum confirmandus eſt in concepta fiducia Deo innixa, & admonendus vt ſe diſponat ad obtinendam, quam ſperat à Deo, ſanitatem.*

*tem, & demùm aliquid illi de debita reſi-
gnatione inſinuandum.* 95.
Adnotatio VI. *Suadendum eſt infirmo omni
poſthabito humano reſpectu, maximè ſi
grauitèr ægrotet, vt peccata per Sacra-
mentalem confeſſionem expiet.* 97.
Adnotatio VII. *Hortandus eſt infirmus, vt
non differat confiteri, niſi ob fines, quos
prudens cõfeſſarius iuſtos iudicauerit.* 101.
Adnotatio VIII. *Adiuuandus quandoquè eſt
infirmus, ne ob verecundiam renuat con-
fiteri, vel non integrè.* 104.
Adnotatio IX. *Diſponendus eſt infirmus pe-
riculosè laborans ad deuotè ſumendam
Euchariſtiam.* 106.
Adnotatio X. *Infirmus, qui nupèr Euchari-
ſtiam ſumpſit, inducendus ad gratiarum
actionem, & varios deuotionis, & chari-
tatis affectus.* 114.
Adnotatio XI. *Sacerdos accerſitus ad infir-
mum, qui iam confeſſus eſt, & Euchari-
ſtiam ſumpſit, aliqua dexteritate ab eo
petere debet, vt, an conſcientiam paca-
tam habeat, recogitet.* 120.
Adnotatio XII. *Sacerdos inuiſens infirmum,
cui mors iuxta peritorum ſentẽtiam cre-
ditur imminere, vel illum de periculo, in*

quo

quo reperitur, debet admonere, vel curare, ut ab alio admoneatur. 124.

Adnotatio XIII. *Sacerdos inuiſens infirmum valdè cupidum diuturnioris vitæ ſtudere debet, ut à tali inordinato affectu eum eripiat.* 132.

Adnotatio XIV. *Si infirmi affectus nimius dignoſcatur erga terrena, maximo ſtudio erit curandum, ut moderetur.* 142.

Adnotatio XV. *Cum infirmo, qui ob morbi longitudinem, vel ob dolorum acerbitatem agitatur impatientiæ tentationibus, peculiari dexteritate procedendum eſt, ut ad patientiam inducatur.* 152.

Adnotatio XVI. *Infirmus, qui non benè ſentit de fide Catholica, varijs motiuis alliciendus eſt ad eam firmitèr amplectendam.* 166.

Adnotatio XVII. *Infirmo non inſtructo in rebus fidei, quæ ſunt neceſſariò credenda, debent proponi.* 181.

Adnotatio XVIII *Corroborandus eſt infirmus in fide, maximè quando de illa tentatur.* 196.

Adnotatio XIX. *Aegrotus diffidentiæ tentationibus oppreſſus erigendus eſt in ſpem.* 203.

Ad-

Adnotatio xx. *Infirmus inducendus eſt ad actus amoris erga Deum eliciendos.* 213.
Adnotatio xxi. *Inducendus eſt infirmus ad eliciendos actus contritionis.* 222.
Adnotatio xxii. *Suadendum eſt infirmo, vt gratias Deo pro beneficijs acceptis agat.* 236.
Adnotatio xxiii. *Infirmus laceſſitus aliqua iniuria eſt hortandus, vt eam condonet.* 246.
Adnotatio xxiv. *Admonendus eſt infirmus vt ad patrocinium Sanctorum, & præcipuè B.V. confugiat.* 255.
Adnotatio xxv. *Commonendus eſt infirmus, ne nimiùm de ſe præſumat, & caueat à vanagloria.* 259.
Adnotatio xxvi. *Conſcientia infirmi ſcrupulis agitata ſedanda eſt.* 263.
Adnotatio xxvii. *Ad munus iuuandi infirmos ritè obeundum plurimùm conducit ſigna aliqua dignoſcere, ex quibus conijci poteſt mortis periculum.* 268.
Adnotatio xxviii. *Infirmus valdè periculoſè laborans hortandus eſt, vt extremam vnctionem ſuſcipiat.* 286.

CA-

CAPVT QVARTVM.

De ijs, quæ præſtanda ſunt cum infirmo agonizanti, ſeu cum eo, cui mors vicina imminet.

Adnotatio I. *Infirmus morti propinquus, qui iam Sacramenta pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ vnctionis recepit, cibos atq; medicamenta abhorrens, ſpe cæleſtis gloriæ recreandus eſt.* 293.

Adnotatio II. *Infirmus, qui iam Sacramentis prædictis munitus eſt, & ita à morbi violentia opprimitur, vt facultas loquendi ei ſublata ſit, hortandus erit, vt corde cum Deo loquatur.* 295.

Adnotatio III. *Sacerdos accerſitus ad auxilium moribundo præſtandum, qui non ſuſcepit Sacramenta, omni conatu efficere debet, vt quę dignè, ac decentèr poteſt, ea recipiat.* 296.

Adnotatio IV. *Diſponendus eſt moribundus vt, ſi fieri poteſt, aliquam Indulgentiam lucretur.* 298.

Adnotatio V. *Sicut moribundo pauca, & modulis interpoſitis ſuggerenda ſunt, ita diuturnis, & inſtantibus precibus, at-*

què

què multiplici Miſſæ ſacrificio ſuffragandum. 300.
Adnotatio VI. *Moribundus aqua luſtrali ſæpè aſpergendus, & ſigno Crucis muniendus.* 303.
Adnotatio VII. *Sacerdos hortetur morientem, qui ea, qua decentèr potuit, Sacramenta recepit, vt etiam more Chriſti fidelis perutili proteſtationibus ſe communiat.* 306.
Adnotatio VIII. *Moribundus breuibus monitis in fide eſt confirmandus.* 312.
Adnotatio IX. *Animus moribundi in ſpem erigẽdus eſt, breuibus tamèn verbis.* 314.
Adnotatio X. *Excitandi ſunt actus charitatis in moriente per breues aſpirationes.* 316.
Adnotatio XI. *Suggerenda breuitèr ſunt moribundo aliqua, quæ eum diuino beneplacito ſempèr magis conformẽ reddant.* 318.
Adnotatio XII. *Promouendus eſt moribundus per breuia effata ad actus contritionis.* 321.
Adnotatio XIII. *Stimulandus eſt infirmus vt magno deuotionis affectu inuocet nomen Ieſu.* 324.
Adnotatio XIV. *Excitanda ſunt deſideria cæleſtis*

leſtis gloriæ in moribundo. 327.
Adnotatio xv. *Animandus eſt moriens, vt corporalem mortem libentèr ſubeat.* 331.
Adnotatio xvi. *Sacerdos quandoquè ſuadeat moribundo breuitèr tamen, vt diuinam opem imploret.* 335.
Adnotatio xvii. *In memoriam moribundi reuocandum eſt, vt deuoto affectu ad B.V. patrocinium confugiat, & aliorum Sanctorum auxilium poſtulet.* 340.
Adnotatio xviii. *Sacerdos moribundi auxiliator domeſticos, & alios circumſtantes hortetur, vt pro eo vnanimitèr orent.* 344.

INDEX

Capitum, quæ ſecundo libro continentur.

Caput i. *In quo varia quæſita reſoluuntur circa Sacramentum Pœnitentiæ infirmis, vel moribundis adminiſtrandum.* 349.
Caput ii. *In quo reſoluuntur aliqui caſus circa reſtitutionem, ad quam aliquando tenetur infirmus, vel morti proximus.* 449.
Caput iii. *In quo reſoluuntur aliqua quæſi-*
ta

ta circa Teſtamentum, quod ſæpè ſolent grauitèr ægrotantes condere. 484.
Caput IV. *In quo reſoluuntur caſus quidam circa Sacramentum Euchariſtiæ ab infirmis ſumendum.* 519.
Caput V. *In quo reſoluuntur aliqui caſus circa Extremam Vnctionem grauitèr ægrotantibus conferendam.* 569.
Caput VI. *In quo deciduntur aliqui caſus circa ea, ad quæ tenentur, vel non tenentur aliquandò infirmi, & morientes.* 604.
Caput VII. *In quo reſoluuntur nonnulli caſus circa Baptiſmi adminiſtrationem tempore, quo mors baptiZando imminet.* 631.
Caput VIII. *In quo reſoluuntur nonnullis caſus irregularitatis ſpectantes ad eos, qui infirmis, vel moribundis opitulãtur.* 647.

Matthæus Morruellus Præfectus Generalis Religionis Cler. Reg. Miniſtrantium Infirmis.

L*Iber ab Adm. R. P. Io. Baptiſta Nouato Mediolanen, Religionis noſtræ Conſultore Generali, ac Sacra Theologiæ Profeſſore, cuius Inſcriptio eſt*, Adnotationes, & Deciſiones morales pro opportuno Infirmis, & Moribundis auxilio præſtando *vt typis mandetur, cæteris noſtris Conſultoribus conſentientibus facultatem concedimus, ſi ijs, ad quos pertinet videbitur. Datum Romæ in Aedibus noſtris S. Mariæ Magdalenæ* 18. *Cal. Septemb.* 1637.

Matthæus Morruellus Generalis.

Saluator Falconius Secr. Conſ. Gen.

Digitized by Google

Ego infraſcriptus vidi, & perlegi librum cui inſcriptio, R. P. Io. Baptiſtæ Nouati Religionis Cler. Reg. Miniſtrantium Infirmis Theologi Adnotationes, & Deciſiones morales, &c. *pro Eminentiſs. ac Reuerendiſs. D. D. Card. Archiepiſcopo, in quo nihil fidei Catholicæ, morumq; probitati repugnans animaduerti; quia opus ipſum, vt typis mandetur, dignum cenſeo, & iudico.*

Ego D. Octauianus Finatius Cler. Reg. S. Pauli & Sacræ Bonon. Pœnit. Rector, &c.

Imprimatur

Fr. Hieronymus Onuphrius Doctor Colleg. & Sanctiſs. Inquiſit. Conſult. pro Reuerendiſs. Pat. Inquiſit. Bonon.

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER PRIMVS

IN QVO

Nonnulla adnotantur plurimùm conducentia ad opportunè infirmos,& moribundos adiuuandos.

CAPVT PRIMVM

De quibuſdam motiuis, quæ ad opem moribundis ferendam valdè extimulant.

ADNOTATIO I.

Quilibet moribundo ſuffragari debet ratione humanæ ſocietatis.

VNA hominum communis natura eos vrgere debet, vt mutuò ſe diligant, reciproco pietatis affectu tangantur, ad inuicemq; ſibi ipſis opitulentur. Ipſi etiam Ethnici hoc cognouerunt. Cic. 3. de offic. *Na-* *Cicero,*

Digitized by Google

ura (inquit) *praſcribit, vt homo homini quicunque ſit, ob eam ipſam cauſam tamen, quod is homo ſit, conſultum velit, neceſſe eſt ſecundum eandem naturam omnium vtilitatem eſſe communem.* Seneca epiſt. 95. egregiè ad rem noſtram diſſerit, cuius verba notatu digna excipe. *Quæ damus præcepta? Vt parcatur ſanguini humano? quantulum eſt ei non nocere, cui debeas prodeſſe? Magna ſcilicet laus eſt, ſi homo manſuetus homini eſt. Præcipiemus vt naufrago manum porrigat, erranti viam monſtret, cum eſuriente panem ſuum diuidat? Quando omnia, quæ præſtanda ſunt ac vitanda, dicam, cum poſſim breuiter hanc formulam humani officij tradere. Omne hoc quod vides, quo diuina, ac humana concluſa ſunt, vnum eſt: membra ſumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iiſdem, & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit: illa æquum, iuſtumquè compoſuit: ex illius conſtitutione miſerius eſt nocere, quàm lædi: & illius imperio paratæ ſunt ad iuuandum manus.* Ouidius

Seneca.

Ouidius.

Conuenlens homini eſt hominẽ ſeruare voluptas,

Et

Et melius nulla quæritur arte fauor.

Chryſoſt.hom.33. ad pop. Antioch. *Habemus enim aliquid ad miſericordiam inclinatum, & à natura, & propterea pro patientibus iniuriam indignamur, & iugulatos cernentes flectimur, & lugentes aliquos videntes lacrymas impendimus, quoniam enim id vult Deus præſtari, naturam ad hoc multum conferre mandauit, oſtendens quòd hoc eſt ſibi valdè gratum.* D.Chryſoſt.

Ambroſ. lib. 3. de offic. cap. 3. *Conſidera o homo, vnde nomen ſumpſeris, ab humo vtique, quæ nihil cuipiam eripit, ſed omnia largitur omnibus, & diuerſos in vſus omnium animantium fructus miniſtrat.* Inde appellatur humanitas ſpecialis, & domeſtica virtus hominis, quę conſortem adiuuet; & meritò idem Ambroſ. reprehendit eodem lib.3. cap. 7. homines opem, quam ferre poſſent, alijs hominibus denegantes: *Feræ* (inquit) *non excludunt feras, & homo excludit hominem, illæ etiam conforme ſui generis adiuuant, homo impugnat, qui nihil à ſe alienum debet credere, quidquid humani eſt.* Ad hanc officioſam inter homines naturæ humanæ ductu viciſſitudi- D.Ambroſ. Idem.

Iſa. nem hortatur Iſaias cap. 58. *Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris*. perpende *Carnem tuam ne deſpexeris*, quibus verbis Propheta inſinuat; quòd homo in alium ita commiſeratione debet affici, ac in ſe ipſum, ob arctiſſimum nexum, quo vnum hominem alteri ſociauit humana natura. Adeo homini propria videtur miſericordia, vt hac ſublata hominis natura D.Chryſoſt. deficere videatur, ita Chryſoſt. hom. 33 ad pop. Antioch. dicens, *Magnum enim homo, & pretioſum vir miſericors, itaque niſi hoc habeat, deſijt eſſe homo*. Si ergo homo homini ſuadente naturæ conſortio, naufrago manum porrigere, erranti viam monſtrare, cum eſuriente panem diuidere, & cuicunque indigenti opem ferre debet; certè cum occaſio ſe offert ſubueniendi proximo in extremis laboranti, atquè adeò miſerijs quampluri-mis coanguſtato, ſola lex humanæ naturæ ſatis eſſe deberet ad quemlibet hominem in hoc pietatis opus impellendum.

* *
*

AD-

ADNOTATIO II.

Præſtantia beneficentiæ nos ad moribundos iuuandos allicit.

EX beneficentia diuinitatem colligebant ſapientes, immò antiquitùs nihil aliud eſſe exiſtimabant Deũ, quàm prodeſſe mortalibus. Vnde Tullius lib. 2. de nat. Deorum, *Iupiter* (inquit) *eſt iuuans Pater*; à Poetis *pater diuum hominumquè* dicitur à maioribus autem noſtris *optimus maximus*, & quidem antè *optimus*, ideſt, *beneficentiſsimus*, quã *maximus*: quia maius eſt certè, gratiuſquè prodeſſe omnibus, quàm opes magnas habere, & quoniam plurima homini commoda, vel incommoda ſolent oriri, & Dei proprium eſt ſeruare, vel benefacere, idcirco qui in graui periculo proximo ſuccurrit, quiue ingenti quopiam eum afficit beneficio, quoniã Dei quaſi vice fungitur, ei, cui prodeſt, dicitur Deus extitiſſe. Et hunc ſenſum pręſefert illud antiquum adagium. *Homo homini Deus*. Plinius ſenior lib. 2. nat. hiſt. cap. 7. *Deus eſt mortali iuuare mor-*

Cicero.

Plin. ſen.

talem,& hac ad æternam gloriam via,hac proceres iere Romani,hac nũc cæleſti paſſu cum liberis ſuis vadit maximus omnis æui rector Veſpaſianus Auguſtus feſſis rebus ſubueniens: hic eſt vetuſtiſsimus referēdi benemerentibus gratiam mos,vt tales numinibus adſcribant. Quippe & omnium aliorum nomina Deorum,& quæ ſupra retuli ſyderum ex hominum nata ſunt meritis. Optimè accinit Strabo lib. 10. *Rectè* (inquit) *dictum eſt mortales tunc Deum maximè imitari, cum benefici ſunt*. Cum ergo adeo excellens ſit beneficētię exercitium,vt nos ad ſimilitudinem Dei eue hat; ſanè quisquis animo verè eſt magnus, libentiſſimè pro viribus opitulabitur homini mortis agone confligtanti, doloribus acerbiſſimis,miſerijſq; pluribus repleto, & quòd maximè refert, damnationis periculo expoſito.

Strabo.

AD-

ADNOTATIO III.

Quòd moribundus adiuuandus ſit, quia creatura eſt imaginem Dei præſeferens, & à Deo maximè amatur.

NOn parum excitabimur ad promptè ſubueniendum moribundis, ſi quemlibet eorum contemplabimur non vt carnem, & ſanguinẽ, ſed vt imaginem Dei ab eo maximè amatam & dilectam. Satis enim notum eſt illud, Gen. 1. *Fecit* quippe *Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*; dum ſcilicet illum intellectu, & libero arbitrio inſigniuit, & donis, ac virtutibus exornauit; Hanc imaginem tanti fecit Deus ipſe, vt pro eius vtilitate ſpectabilem huius mundi vniuerſitatem condiderit; Angelos tutelares creaturas nobiliſſimas deſtinarit,& pro illa reformanda filium ſuum vnigenitum dederit. Vt ſcilicet *omnis,qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Io.3. hæc ſi diligenter penſitabimus,facilè animaduertemus, an æquũ ſit hanc Dei imaginem paruipendere extremo Gen. Io:

eo tempore, quo noſtro auxilio maximè indiget, vt ſubleuetur, & euehatur in magnifico cæli templo collocanda, & ab Angelis æternùm honoranda.

ADNOTATIO IV.

Vt Deum miſericordem imitemur, miſeriam morientium ſubleuare omni noſtro conatu debemus.

HOmo debet ſæpè in memoriam redigere, quòd ipſe Dei imaginem præſefert, cum autem oporteat (auctore Bernardo) lib. med. cap. 1. *Id, quod ad imaginem eſt, cum imagine conuenire, & non in vacuum nomen imaginis participare.* Hinc fit, vt inter alia, quæ in ſe ipſo habere debet homo, vt imaginem Dei repreſentet, ſit promptitudo ad miſeris ſubueniendum. Leo Magnus ſerm. de omnibus Sanctis. *Miſericordem te miſericordia, iuſtum te vult eſſe iuſtitia, vt in creatura ſua creator appareat, & in ſpeculo cordis humani per lineas imitationis expreſſa Dei imago reſplendeat.* Clem. Alex. 2. Strom. *Re vera* (inquit) *imago Dei eſt benefaciens homo.* & Theodoret.

Bernard. *Leo PP.* *Clem. Alex.* *Theodoret.*

doret queſt.20.in Gen.quærens in quo ratio imaginis conſiſtat in homine, ad quā dicitur creatus: *Quia* (inquit) *Deus longanimis eſt longanimis homo habet ſe ad imaginem Dei, eamque imitatur per beneficentiam, & liberalitatem*. Huc reſpexit S. Greg. Nazian.orat.17 hæc habens. *Licet tibi nullo labore Deum fieri, noli diuinitatis conſequendæ abijcere occaſionem:* Oratione autem 16. optimè explicat, quænam ſit hæc occaſio, dicens. *Fac calamitoſo ſis Deus, Dei miſericordiam imitando*; egregiè conſonat S.Chryſoſt.hom.25.in 1. ad Corinth. *Nihil adeo poteſt nos Chriſti imitatores efficere, vt erga proximum cura: ſed licet ieiunando, humi dormiendo corpus maceraueris, nullam autem curam proximi habueris, nihil egregium feceris, & longè ab huiuſmodi abfueris imitatione. Etenim nullum valdè magnum poteſt eſſe officium, quando nullum in proximum lucrum conferatur, quod oſtendit, qui totum reddit talentum, & ſupplicio affectus eſt, quoniam illud non auxit. Tu igitur frater, quamuis fame conficiaris, quamuis cinerem comedas, quamuis lachrymis madeas*

Greg.Naz.

Chryſoſt.

deas

deas, & nihil cuiquam proficias, nihil magnum facis. Theodoretus quæſt. 20. in Geneſ. *Iuſtus, & ſanctus eſt Dominus condolens, & miſericors*, igitur qui amat iuſtitiam, & ſanctitatem, & peragit, atque obſeruat præceptum iſtud Saluatoris, *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter miſericors eſt*, fit imago Dei per omnia; hac imagine carebant fatuæ illæ virgines, quæ oleum, ſcilicet miſericordiæ opera non deferebant, & ideo reiectę fuerunt à ſponſo dicente. *Neſcio vos*, quaſi diceret, recedite à me, quia non agnoſco in vobis imaginem meam. Immò ipſemet Tull. ſolo lumine naturali aliquid diuinitatis in beneficentia viſus eſt agnouiſſe, cum oratione pro Q. Lig. dixit. *Homines ad Deos nulla re propius accedunt, quàm dando, nihil habet fortuna melius, quàm vt poſſis, neq; natura melius, quam vt velis ſeruare plures.*

Theodoret. Matth. 25. Cicero.

AD-

ADNOTATIO V.

Miſerationibus diuinis, quæ nos præueniunt, ad ſuccurrendum moribundis deuincimur.

SErue nequam omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me, nonne ergo oportuit, & te miſereri conſerui tui ſicut & ego tui miſertus ſum? & iratus dominus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuerſum debitum. Matth. 18. *Matth.* Perpende *nonne oportuit, & te miſereri conſerui tui*. Huic enim ſtricta obligatio miſerendi proximo ex præaccepta à Deo miſericordia intimatur; *& iratus Dominus, &c.* ex quo patet quantũ Deo placeat miſero præſtò eſſe, vt idcirco ſe verè agat Deus cum eo, qui diuinam miſericordiam expertus, in proximum eſt immiſericors. Quod optimè adnotauit Chryſoſt. hom. 27. in Geneſ. *Magna* (inquit) *& ineffabilis Dei miſericordia: cum in ſe quidem peccatum eſt, ad nudas tantùm preces remittit, cum autèm in conſeruum vidit crudelem, & in humanũ, ſuam reuocat liberalitatem*. Optimè Saul ex *D. Chriſoſt.*

miſeri-

miſericordia diuinitùs accepta vicẽ miſericordiæ proximis rependendam eſſe
1. Reg. intelligebat 1. Reg. c. 11. *Non occidetur* (inquit) *quiſquam in die hac, quia hodie fecit Dominus ſalutem in Iſrael,* quaſi diceret, ſicut miſericordiam conſecuti ſumus à Domino, ſic debemus miſericordiam facere proximis noſtris. Heu quot lachrymę, quot eiulatus, quot ſuſpiria morientium noſtrum implorant auxilium; certè ſi nos, qui toties miſericordia diuina donati ſumus, nullum in eos exibeamus pietatis officium, diuinam indignationem non effugiemus.

ADNOTATIO VI.

Vnio charitatis, quæ inter credentes eſſe debet, ad auxilium moribundis ſuppeditandum maximè vrget.

S*I patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra* inquit Apoſt. *1.*
1. ad Corin. ad Corinth. 12. Aug. hom. 15. tom. 10.
Aug. ſiue in appendice Serm. 13. *quando* (inquit) *eſt aliqua coarctatio, ſi alter alterum calcat, lingua dicit, calcas me, num ipſa calcata eſt? quid eſt ergò, quod ſonat, calcas*

cas me? Si & ille reſpondeat, libera es lingua in ore tuo, vocem habes, ego ſi calcaui, pedem calcaui, ſed calcas me, charitas dicit, calcas me, compaſsio vnitatis & vinculum ſocietatis dicit. O quam iuſtè conqueritur Petrus Chryſol. Serm. 20. *his verbis re vera fratres. ſi eſſemus vnum, & humanum corpus, ſi eos, qui pereunt, noſtra eſſe viſcera crederemus, afflictione ieiunij, pr ecum gemitu, effuſione fletuum ingiter clamaremus. Domine ſalua nos, perimus, & ſtuderemus nobis in noſtris fratribus ſubuenire, nec furente gladio ſanguinis noſtri mare videremus in terris, nec tanta corporum, ſed nec animarũ tam naufragia ſentiremus, atque humili voce precaremur, Domine ſalua nos, perimus.* Pet. Chriſo. Quod ſi ita eſt, eadem compaſſio ratione vnitatis, & vinculo ſocietatis eò efficaciùs nos mouere deberet ad affectum condolẽtem erga quemlibet hominem in agone conſtitutum, quò tentationibus grauioribus agitatur, doloribus acerbioribus torquetur, & maiori periculo damnationis ſubiacet.

AD-

ADNOTATIO VII.

Pignus æternæ gloriæ, quod habet, qui morientes adiuuat, ad hoc opus pietatis magno affectu amplectendum quemlibet allicere deberet.

Ad Coloſ. 3. *INduite vos ſicut electi Dei ſancti, & dilecti viſcera miſericordiæ*: ecce peculiaris amictus, quo dignoſcuntur electi ad gloriam, affectus nimirum miſericordiæ, quo ob alienas miſerias commoueri debent, Mandauerat Dominus, vt in Salomonici Templi oraculo duo Cherubim de lignis oliuarum auro tecti collocarentur, cum autem tàm ſit certum oraculum illud cæleſtem gloriam præſignare, quàm aurũ charitatis, & oliuam miſericordiæ ſymbolum eſſe; in æterna gloria collocandos manifeſtum ſit eos, qui viſcera miſericordiæ præſeferunt, & opportunis charitatis ſubſidijs alienas miſerias ſubleuant. Et quale myſterium adumbratum credis in poſtibus oliuæ eiuſdem auguſtiſsimi templi? *Fecitque in introitu templi poſtes de lignis oliuarum*

rum quadrangulatos 3. Reg. 6. crediderim per poſtes oliuę, quibus ianuæ templi aduoluebantur, ſignificari mediantibus miſericordiæ operibus, ianuas cœli facillimè aperiri. Chriſtus etiam è Monte Oliueti ad cælum aſcendit, vt nobis indicaret facilem eſſe aditum ab exercitio miſericordiæ ad regnum cælorum. Quæ cum ita ſint, quis non toto pectore incumbet in opus hoc miſericordiæ præſtantiſsimum, adiuuandi ſcilicet in extremis laborantes, vt hac ratione certiſsimam gloriæ arrham retineat. 3. Reg. 6.

ADNOTATIO VIII.

Dolores infirmitatis, & imminentis mortis, quibus afflictatur moriens, nos debent commouere, vt quam poſſumus, illis opem præſtemus.

LIcet mors naturalis poſsit ſine dolore ſenſus aliquando contingere, de quo argumento dixi *tom.* 2. *cap.* 8. *quæſt.* 3. *de Eminentia Virginis*, tamen communiter non accidit, quia mors pręuia humorum noxiorũ alteratione ſolet eue-

euenire, vt patet ex varijs morborum generibus, ex quibus mors ſubſequitur. Aug. Greg. Prętereà veriſsimum eſt Auguſtini, & Magni Gregorij effatum, *Non niſi cum dolore amittitur, quod cum amore poſſidetur*, quarè cum vita nihil nobis charius ſit, neceſſariò fit, vt mors, quę tali iucundo bono priuat, non niſi cum acerbiſsimo doloris ſenſu contingat; & D. D.Thom. Tho. quæſt. 26 de verit. art. 6. ad 8. affirmat laborem omnem quantumuis magnum, & prolixum, quem Confeſſor toto vitæ tempore ſuſtinet, æquiparari non poſſe ſecundum genus operis ei dolori, quem Martyr in momento ſuſtinet, quamuis alia via poſsit Confeſſor Io. 15. plus mereri; Nam *maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ponat quis pro amicis ſuis*, quia per mortem aufertur id quod nobis eſt maximè amabile. Chriſtus quoquè ſicut ſpontè mortem ſubijt, ita & pręuium mortis dolorem voluit ſuſtinere, quod indicauit cum di- Matth. 26. xit, *Triſtis eſt anima mea, vſque ad mor-* Euthy. *tem*, quæ verba ſic declarat Euthymius. *Dolorem patitur anima morti ſimillimum.* Quarè meritò propheta in perſona mo-

rituri

rituri clamat. *Circundederunt me dolores mortis*. Chaldaicè *dolores parturientis*, cui conſonat D. Paulus prima ad Theſſal. 5. *Dies Domini ſicut dolor in vtero habentis*. Dies autem Domini diem mortis ſignificat vt ſatis notum eſt, ex quo innuitur angorem, quo torquetur moriens, tum ob noxios humores inter ſe conflictantes, tum ob apprehenſionem inſtantis mortis, quæ, vt dixi, homini ſpectato naturali appetitu plurimũ diſplicet, adeò ingentem eſſe, vt non niſi per aſſimilationem dolori, qui in parturiente maximus eſt indicari queat. Cùm igitur tot ingraueſcentis morbi moleſtijs agitetur, & communiter loquendo ab horrore imminentis mortis valdè triſtetur agonizans; ſanè magna commiſeratione dignus eſt, eiquè pro viribus ſolamen, quicunq; charitatem erga proximum profitetur, afferre debet.

Psal. 17.

1. ad Theſſ.

Dixi *communiter loquendo*, nàm in viris perfectis vel nullus, vel exiguus eſt dolor ob amiſſionem vitæ temporalis, de illis enim dicitur Sap. 3. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis*; & ratio eſt, quia qui

Sap. 3.

veram ſapientiam ſectatur, non in terris vitam perennare amat, ſciens hoc eſſe impoſſibile; vnde cum mors illi contingit iuxtà diuinum decretum, vel nullam, vel modicam ei ſolet afferre inquietudinem.

ADNOTATIO IX.

Angor, quo cruciatur moriens ob timorem diuini iudicij imminentis, noſtrum auxilium implorat.

INter varias afflictiones, quibus torquetur moriens, vehemens eſt, quæ ex metu diuini iudicij oritur, vt commiſerationis affectum in nobis commoueredebeat. *Factus in agonia prolixiùs orabat*. Luc. 22. Inter alia myſteria, quæ docuit nos Dominus tali mærore affectus morti vicinus illud eſt, vt oſtenderet quàm grauis ſit hominum anxietas in mortis articulo ob ſeueriſſimi Iudicis tribunal, vt optimè adnotauit D. Greg. lib. 14. in Iob. cap. 17. *Quid* (inquit) *pro ſe ille, cum in agonia eſſet, peteret, qui in terra poſitus cæleſtia cum poteſtate tribuebat? Sed appropinquante morte*

Luc. 22.

D. Greg.

te noſtra mentis in ſe certamen expreſsit, qui vim quandam terroris, ac formidinis patimur, cùm per ſolutionem carnis æterno propinquamus iudicio. Creſcit pauor vicina retributione iuſtitiæ, & vrgente ſolutione carnis, quantò magis diſtrictum iudicium iam iamquè quaſi tangitur, tantò vehementiùs formidatur. D. Paulus ad Hęb. 10. *Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis iam nō relinquitur pro peccato hoſtia, terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio,* perpende *Terribilis autē expectatio iudicij;* vt indicetur, quod inter maiora tormēta, quibus homo excruciari poteſt, eſt timor iudicij, qui cū eò magis torqueat, quò magis iudiciū approximatur, moribundus, qui ſibi imminere tale iudicium agnoſcit, acerbiſsima ſine dubio decerpitur pęna. *Ad Hebr.*

ADNOTATIO X.

Vehementes tentationes, quibus impugnatur moribūdus, noſtrā opem requirunt.

DIu. Chryſoſt. hom. de verbis Iſaiæ optima ſimilitudine explicat,

Chryſoſt. quo intenſiori aſtu,& vehementiori conatu dæmon iuſtos in exitu vitę aggrediatur. *Quemadmodum* (inquit) *piratæ, qui mare nauigijs infeſtant; non tum vbi conſpexerint naues è portu exeuntes inuadunt; quid enim hinc fructus caperent, ſi ſcapham inanem demergerent? ſed vbi redierint onuſtæ, plenæquè ſarcinis, tum demum omnes expediunt artes: ita ſceleratus ille dæmon ſimul atquè videt aliquos multa collegiſſe, videlicet ieiunia, preces, eleemoſynam, caſtitatem, reliquaſquè virtutes omnes; vbi videt nauigium noſtrum eſſe plenum pretioſis pietatis lapidibus, tunc irrumpit vndiquè theſaurum perfodiens, vt in ipſis portus oſtijs ſcapham demergat, iamq; nudos nos ad portū eijciat.*

D.Greg. S.Greg. 29. Moral. 14. *Rimatur dæmon debiliora, vt illa parte hominem aggrediatur, qua illum infirmum videt.* Idem ibidem, *Prius complexionem vniſcuiuſque aduerſarius proſpicit, & tunc tentationis laqueos apponit.*

S. Fulgent. S. Fulgent. epiſt. 7. ad Venantium, *Pleroſque ſub vna ſpecie indulgentiæ in peccatis diabolus tentat, & compellit eos Dei iuſtitiam non metuere, quos inaniter ſuadet de Dei bonitate gaudere.*

dere. Facti ſunt hoſtes eius in capite, Thren. 1. à principio vitæ incipit dæmon inſidias ſtruere, & laqueos texere, quibus hominem in extremo vitæ capere, & irretire molitur. Cùm dæmon tertio tentationis inſultu Chriſtum vincere non potuerit, dicit S. Luc. cap. 4. Quòd *reliquit eum diabolus vſq; ad tempus*. D. Thomas in catena, *Vſque ad tempus Crucis*. Beda in Luc. *Vſq; ad tempus paſſionis*. χαιρὸς: quæ vox ſignificat *occaſionem*, ſeù *opportunitatem*, perpende, quaſi in toto vitæ decurſu nulla ſit talis opportunitas comparatione illius, quæ ſe ſe offert in extremo vitæ: *Inſidiaberis calcaneo eius*. Ambroſ. lib. 4. in Luc. *Audito Dei nomine receſsit vſquè ad tẽpus, poſtea enim non tentaturus, ſed apertè pugnaturus aduenit*. Itaque dæmon ſæpius victus iterum acrius inſurgere ſolet. S. Chryſoſt. Epiſt. 7. qua ſolatur Olympiam, quæ labores ſuper labores paſſa fuerat. *Quod lethale* (inquit) *vulnus à te acceperis, hinc declarauit, quod maioribus armis hinc ſe inſtruxit. Vndè etiam acriora prioribus facta ſunt poſteriora; ſicut enim ſcorpius, & ſerpens, cum*

Thren. Luc. D. Thom. Beda. Gen. 3. D. Ambro. Chryſoſt.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

altè vulnus defixum acceperunt, ſublato altiùs aculeo aduerſus eum, à quo percuſſi ſunt, inſurgunt, per acrem ſcilicet in percuſſorem impetum, acerrimum doloris argumentum exhibentes; eodem etiam modo impudens hæc bellua, quoniam vulnera intimo pectore accepit, vehementiorem in te impetum fecit, & plures tentationes admouit. S. Hieron. epiſt. 22. *Non quærit diabolus homines infideles, non eos, qui foris ſunt, & quorum carnes Rex Aſſyrius in olla ſuccendit, de Eccleſia Chriſti rapere feſtinat, eſca eius ſecundum Abacuc cæleſtes, Iob ſubuertere cupit, & deuorato Iuda ad cribrandos Apoſtolos poteſtatẽ expetit.* Dùm animaduertis ergo tot tentationibus agitatum proximum tuũ morientem, ſi non commoueris, Vbi benignitatis, & commiſerationis ſinus? vbi pietatis, & condolentiæ pectus?

D. Hieron.

AD-

ADNOTATIO XI.

Si nullo alio cruciatu angeretur moriens, quàm eo, quem ſuſtinet ab acerbiſsimis conſcientiæ ſtimulis, noſtro ſuffragio maximè dignus eſt.

CORrodit ſemper peccatorem conſcientiæ vermis. Viperini fœtus, vt ij, qui rerum naturas inueſtigant, referunt, viſcera materna dilacerant, diſrumpunt, ſed patratum ſcelus atrociùs committentis animum dilaniat, diſcruciat. *Ecce parturÿt iniuſtitiam concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Pſal. 7. *Pſal.* Statim atque peperit iniuſtitiam, ſcilicet peccatum patratum, concepit dolorem; Vnde Publius Mimus. *Infelice felicitas eſt innocentia, in nequitia verò ipſa ſui pœna eſt.* Moleſta conſcientiæ turbatione agitatus clamabat Dauid. Pſal. *Pſalm.* 57. *Non eſt pax oſsibus meis à facie peccatorum meorum.* Verùm ſi ſemper peccator conſcientię flagris laceratur, multò magis eo tempore, quo mors illi imminet. Quod exemplo ſuo miſerrimus

illeRex Antiochus demonſtrauit, hic enim moriturus *vocauit* (vt ſacra teſtatur hiſtoria 1. Machab. 6.) *Omnes amicos ſuos, & dixit illis; receſsit ſomnus ab oculis meis, & cõcidi, & corrui corde præ ſolicitudine: & dixi in corde meo, in quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus triſtitiæ, in qua nunc ſum, qui iucundus eram, & dilectus in poteſtate mea.* Sed quiſnam erat hic animi angor, & cruciatus? qui dormientem excitabat, & morientem affl ctabat? Sanè ſolus hic erat conſcientiæ ſtimulus. *Nùnc verò reminiſcor malorum, quæ feci in Ieruſalem*; Quaſi diceret meorum conſcientia peccatorum animũ meum mihi torquet, & inſtar ſæuiſsimi carnificis cruẽtat. Hoc cõſcientię tormentum in mortis agone eſt adeò acerbum, vt magis vexet, quàm mors ipſa, licèt hæc naturalitèr ſit valdè horribilis; Quod innuiſſe videtur illud Apoſtoli, 1. ad Corinth. 15. *Stimulus mortis peccatum*. Quaſi mors non ſatis expungere valeat niſi adhibito peccati aculeo; D. Ambr. lib. 2. de Abraham cap. 4. *Dùm* (inquit) *in quadam ſumus delinquendi libidine,*

1. Machab.

1. ad Corin.

D. Ambroſ.

nebu-

nebulis quibuſdam conſcientiæ mens obducitur, nè videat eorum, quæ concupiſcit, deformitatem; ſed cùm omnis nebula trāſierit, grauiora tormenta exercentur in quodam malè conſcij ſecretario. Talpæ, quæ cæca vixit, morienti, Ariſtotele teſte, oculi aperiuntur; Morituro peccatori mentis oculi, qui aſtu dæmonis obuelati fuerant ad conſpiciendam ſcelerum deformitatem, aperiuntur, & hic ſe talibus monſtris mancipatum agnoſcēs interiùs diſcerpitur. *Peccator videbit, & iraſcetur, dētibus ſuis fremet, & tabeſcet.* *Ariſt.* *Pſal. 111.*

ADNOTATIO XII.

Aeternitas, & atrocitas pœnarum inferni, in quas poſſunt incidere morientes, ſi auxilio noſtro deſtituantur, quemlibet vrget ad opem illis ferendam.

QVerulum moribundi affectum exprimit Propheta in Pſalm. 114. *Pericula inferni inuenerunt me*, vt nos ad ei commiſerandum, & auxiliandum inducat. Infernus eſt locus malorum omnium aggregatione completus, & *Pſalm.*

bonis

bonis omnibus deſtitutus. Ibi denſæ tenebræ, anguſtia loci, vermis rodens conſcientiam; Ibi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, Ibi atrociſſimi tortores, grauiſsimus fœtor, ſulphur,& ignis perpetuus concurrunt, vt tormenta tormentis innaſcantur infelici æternatura fœcunditate. Durus infernus, in quo inæſtuantibus vndiquè flammis, vel minima aquæ guttula non inſtillatur, vbi nullum, vel exiguum quietis momentum conceditur, vbi omnis commiſeratio exulat, vbi nulla tormentorum incrementa dæmonum ſæuitiam explent. Durus infernus, in quo nulla temporis longinquitas acerbiſſimos mitigat cruciatus, quinimmò ſuccreſcunt ſæpè acceſſionibus recentium damnatorum, qui ſicut carbones accenſi ſimul collecti alter alterum magis accendit; ita illi iracundię ſuæ igne accenſi ſociorum ardores augent. Durus infernus, in quo nulla eſt redemptio captiuorum eius, nulla ſperanda liberatio, nullum expectandum à parentibus, ab amicis, à ſodalibus leuamen. Durus infernus, in quo priuatio beatificę viſionis
in

in æternum permanſura atrociùs torquet miſeros, quàm alia quæcunque pęna, cuius rei veriſſimum eſt teſtimoniũ Chryſoſt. hom. 47. ad populum. *Multi* (inquit) *hominum gehennam ſolùm formidant, ego autem gloriæ amiſsionem gehenna multò amariorem eſſe dico, intolerabilis quidem eſt gehenna, tamen licèt quis innumeras ponat gehennas, tale nihil dicit, quale illa excidere gloria, & à Christo audire Neſcio vos.* Si vero ſermone probari hoc non poſsit, nihil mirandum, neq; enim illorum bonorum nouimus beatitudinem, vt & miſeriam ex eorum priuatione ſciamus. In hanc non morituri ignis, & perenniũ cruciatuum voraginem infelici præcipitio decidendi periculum ſubit moribundus; Quarè meritò dicere poteſt. *Pericula inferni inuenerunt me.* Hoc ſi accuratè penſitet Chriſtianus, qui proximum ſicut ſe ipſum diligere tenetur, fieri nè poterit, vt non miſereatur, vt auxilium deneget, vt ſuffragium ſubtrahat?

D. Chryſoſt.

Pſal.

AD-

ADNOTATIO XIII.

Motiuum ſubueniendi morientibus deſumitur ex gloria, quam illi à nobis adiuti conſequi poſſunt.

GLoria, quam aliquando moribundus poteſt acquirere noſtris precibus, noſtris auxilijs adiutus, eſt completæ deliciæ, completi honores, completæ opes, completa ſapientia, completa pax, completa ſalus, completa ſatietas, completa ſecuritas, completus omnium intèr ſe amor. Hanc beatitatem anhelans Propheta Deum ſic alloquitur. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vſque in finem* Pſal. 15. Vgo Victorinus lib. ſentent. cap. 3. *Adimplebis* (inquit) *me lætitia cum vultu tuo, quia in hac vita aliquando poſſumus lætari, ſed impleri lætitia nō poſſumus, quia etſi quædam ſunt, quæ lætificant, plura ſunt, quæ cōtriſtant. Delectationes in dextera tua, ſcilicet omnes delectationes ſimul, quales autem delectationes, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcēderūt; Vſque*

Pſalm.

Vgo Vict.

in

in finem, hoc eſt quod ſimul ſignificetur perfectio, & æternitas illarum delectationum, quæ nullis erunt temporibus finiēda. vt adnotat Caſſiodorus. O nunquàm deliciarum, gaudiorumquè finis, commenſurari æternitati exultationes; O felix æternitas, ò terque quaterq; beata; ò quàm benè pro ea impendentur labores noſtri, ò quàm vtiliter inſumētur vigiliæ? collocabuntur ſtudia noſtra, ſi his coadiuuantibus vel vnus è noſtris proximis adeo ingens bonum, in quo ſunt omnia bona, aſſequetur.

ADNOTATIO XIIII.

Qui moribundis opitulatur, pluribus bonis etiam in hac vita donatur.

HOc inter alia quibus fruitur bonis vir miſericors, eſt, quidquid pro ſalute ſpirituali proximi impendimus, in noſtrum lucrum redundat, Damaſc. Damaſc. ſerm. de defunctis. *Quemadmodum enim* (ait) *qui ægrotantem vnguento, vel alio pretioſo oleo vult inungere, prior ipſe vngendo particeps eſt vnctionis, & ſic poſtea inūgit laborantem morbo, ita qui pro ſalu-*

te proximi aliquid facit, primò ſibi deindè proximo prodeſt. Pietas ad omnia vtilis promiſsionem habens vita, quæ nunc eſt, & futuræ 1. ad Timot. 4. *Qui miſeretur pauperis, fæneratur Deo* Prou. 19. *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus* Pſal. 40. hoc eſt in die iudicij, vt exponunt Aug. & Caſſiod. *Beatum faciat in terra*, id eſt *facit*, vt ait Aug. Ecce remuneratio in vita præſenti. Perpendit S. Chryſoſt. hom. 25. in 1. ad Corint. Quod Ioſeph quia rebus omnibus fratrum ſalutem præpoſuit, idcirco omnia poſtmodum bona adeptus eſt, quæ eum clariſſimum reddiderunt. Tobiæ poſt multa miſericordiæ opera egeſtate laboranti inſultabant parentes, & cognati veluti irridentes: *Vbi eſt* (inquit) *ſpes tua, pro qua eleemoſynas faciebas*. Sed cur? forſan Deus in hac vita præmium iuſtis pollicitus eſt? *Nonne ſpes electorũ immortalitate plena eſt*. Sap. 2. Nonne Apoſtolus prædicat 2. ad Timot. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quã reddet mihi Dominus iuſtus iudex in illa die*. Crediderim ſæpius Tobiam promulgatum

[Margin: 1. ad Tim. — Prou. — Pſalm. — Aug. Caſsiod. — D. Chryſoſt. — Sap. 2. ad Tim.]

tum

tum fuiſſe ſingulare priuilegium miſericordię, nimirùm ei etiam in hac mortali vita præmium dari, quod quia non tàm citò tribui viderent eius parentes. & cognati muſſitantes dicebant, *Vbi eſt ſpes tua, &c.* Sed rei euentus declarauit veriſſimam prædictæ miſericordiæ prerogatiuam; Nàm Deus miſit Angelum, qui plura in vtilitatem Tobiæ præſtitit, vndè pluribus bonis temporalibus fuit ditatus; Et ſi hic aliquando beatum ſe reputabat, ſi prolem habuiſſet. *Beatus ero* (inquit) *ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad videndum Ieruſalem.* Ità abundantèr voti fuit compos, vt non ſolùm filium, ſed etiam nepotes viderit, *Vocauit Tobiam filium ſuum, & ſeptem iuuenes filios eius nepotes ſuos.* *Tob. 13.* *Tob. 14.*

ADNOTATIO XV.

Qui moribundis opem fert, ſæpè à malis, in quæ aliàs incidiſſet, liberatur.

ANgelus Raphael dùm vtriq; Tobiæ opus miſericordiæ commendat, *Bona* (ait) *eſt eleemoſyna magis, quàm theſauros auri abſcondere: quoniam eleemoſyna*

moſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam, & vitam æternam. Perpende *à morte* ſcilicet temporali *liberat*, nàm infrà de liberatione à morte ſpirituali eſt ſermo, dùm ſubdidit, facit inuenire vitam æternam. O quoties vir miſericors repentino aliquo accidenti peremptus fuiſſet, niſi ab illo auxiliaris manus Dei eum eripuiſſet; quoties ab ictu caſuri lapidis, ab aquæ immerſione, à gladio, à feris, ab incendio, ab hominum inſidijs liberatur Deo patrocinante, qui libenter opera charitatis erga proximũ exercet. Vnus Lot ex graſſante incendio illæſus euadit, quia vir miſericors erat, & in ſuſcipiendis peregrinis valdè pius: quod adnotauit Petrus Chryſol. ſerm. 42. *Lot* (inquit) *quia hoſpitio ſuſcepit Angelos, iudicium præuenit, miſericordem neſcit diuinus ignis exurere.* Habacuc à leonibus non læditur, Dan. 14. quia miſericordiæ opus exercebat. Vide D. Ambroſ. in Pſal. 36. *Habacuc* (inquit) *prandium meſſoribus deferendo, eleuatus ab Angelo aerij tramitis iter carpſit, & redditus terris intèr ſæuos leonum*

P. Chryſ.

Daniel.

D. Ambroſ.

Strepitus

ſtrepitus pio Prophetæ dulce conuiuium miniſtrauit; ſæuiant leones infernales, circumueniant pro ſuo arbitratu moribundum, non poterunt illum lædere, quia fuit vir miſericors. *Ionas*, vt rectè ad notat Chryſoſt hom. 25. in 1. ad Corinth. *Non alijs, ſed ſibi ipſi proſpiciens penè periclitatus eſt, & ciuitas conſeruata, ipſe vero agitatus, iactatus, & obrutus eſt fluctibus, ſed cum multitudinis ſaluti inuigilauit ſuam inuenit*; & paulò infra. *Conſidera enim, ſi quando domum aliquam exuri contingat, & nonnulli ex vicinis ſibi cauentes, minimè ſe periculis obijciant, ſed domi incluſi timeant, ne quis ingrediatur, qui aliquid ex rebus ſuis auferat, quantam iacturam facient? etenim ignis eos quoquè comprehendet, & omnes eorum comburet facultates, itaquè cum proximi facultatem non conſpexerunt, ſuam perdiderunt. Siquidem Deus, cum inuicem omnes colligere vellet, talem rebus vtilitatem impoſuit, vt in proximi vtilitate alterius vtilitas colligata ſit; & ſic vniuerſus mundus hoc modo conſtitutus eſt.* D. Chryſoſt.

Quærunt aliqui cur vnus homo inter

omnia animantia quæ diuerſimodè armata ſunt munimine in ſui tutelā deſtitutus videatur: rationem aſsignat Lactantius, nimirum quia optimum fulcimentum eſt homini miſerationis affectus, qui illi inſitus eſt. *Cum enim* (inquit Lactantius lib. 2. de origine erroris) *natura hominis imbecillior ſit, quàm cæterorum animalium, quæ vel ad praeferendam vim temporum, vel ad incurſiones à ſuis corporibus arcendas naturalibus munimentis prouidentia cęleſtis armauit, homini autem, quia nihil iſtorum datum eſt, accepit pro iſtis omnibus miſerationis affectum, qui planè vocatur humanitas, qua noſmet inuicem tuemur.* Egregiè ſanè miſerationis affectus eſt firmum humanæ naturæ præſidium, quo qui mouetur ad ſubueniendum proximo anguſtia oppreſſo, ſi hic poſtea, vt humanæ vices ſępè ferunt, in miſeriam, vel periculum aliquod prolabatur, ab alio ſic Deo inſpirante ſubleuabitur.

Lactantius.

AD-

ADNOTATIO XVI.

Ad ſubueniendum moribundis retributio, quæ ab eis ſperari poteſt, inuitat.

TAbitham, ſiue Dorcam mulierem defunctam pauperes (vt habetur Act. 9.) circumſteterunt, & viduæ flentes, & oſtendentes D. Petro aſtanti tunicas, & veſtes, quas illa pia, & benefica faciebat. Quid tum? D. Petrus ſupplicantium votis commotus eam ſuſcitauit. Quam rem perpendens D. Cyprianus ſerm. 1. de eleemoſyna ait, *Quæ laborantibus viduis largita fuerat ſubſidia viuendi, meruit ad vitam viduarum petitione reuocari*: Non minus verè affirmari poterit quod, qui laborantibus moribũdis largitus fuerit ſubſidia ęternùm, beateque viuendi, ad vitam ſempiternam, & beatam merebitur adduci, beatarum animarum petitione, quæ recepta à viro miſericordi auxilia, quibus cooperantibus beatitatem ſunt aſſecutæ, Deo miſericordiarum patri proponent, & quidem eò maiori grati animi affectu, quàm viduæ, & pauperes Petro

Act.

D. Cypr.

tunicas, & veſtes à Tabitha acceptas oſtendebant, quò gratitudo perfectius reperitur in cœlo, quàm in terra. Iob ille patientia, & ſapientia inſignis optimè noſcebat quàm proficua eſſet moribundi benedictio, vt illam aliquando aſſecutus, lætabundus diceret, *Benedictio peri-*
Iob. *turi veniebat ſuper me.* Iob. 29. Iniunxit Dominus homini, quem ab infirmitate longæua liberauerat, vt ſecum de-
Luc. 5. ferret, in quo cubauerat, lectum. *Surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuã.* cur hoc? crediderim certè Christum voluiſſe indicare infirmo vices grati animi rependendas eſſe ab eo, qui cum infirmus eſſet, pietatis officijs fuit adiutus. Quod ſi ita eſt, nonnè firmum habere poſſumus argumentum, quod animæ, quibus in extremo diſcrimine opem tulimus, tanti beneficij memores, ſi ad cęleſtẽ patriam peruenerint, magna gratiarum dona nobis ſint impetraturæ. Meritò Chriſti fideles magnam reponunt fiduciam in gratitudine animarũ, quibus in purgatorio ſuffragantur; ſed certè eò maiorem fiduciam concipere debent de gratitudine animarum, quas vel

vel à periculo damnationis ſubtraxerunt, vel ad minorem pœnam in purgatorio luendam, vel ad plures gloriæ gradus in cælo obtinendos diſpoſuerunt

ADNOTATIO XVII.

Magnum pro adiuuandis moribundis excitamentum debet eſſe, quod tale opus eſt ſacrificium pro abolendis peccatis noſtris Deo acceptiſſimum.

DIu. Paul. ad Hebręos 13. *Beneficentiæ autem* (inquit) *& communionis nolite obliuiſci; talibus enim hoſtijs promeretur Deus.* Indicat Apoſtolus hoc loco miſericordia in proximos Deum nobis propitium reddi; Quam grata Deo ſit victima, ſi proximus à nobis ſubleuetur, oſtendit illud Micheę 6. oraculum. *Quid dignum offeram Domino? nunquid offeram ei holocauſtomata, & vitulos anniculos? nunquid placari poteſt Deus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? nunquid dabo primogenitum meum pro ſcele-* *Ad Hebr.* *Miche.*

re meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? Indicabo tibi ò homo quid ſit bonum, quid Dominus requirat à te? Vtique facere iudicium, diligere miſericordiam, Vnde rectè Gloſſa. *O humanum genus tu quaris, & non inuenis in te, quid dignè poßit offerri Deo pro abolitione peccatorum; ego inueniam ſufficientem hoſtiam, & docebo te, quid boni poſtea debeas agere, vtiquè facere iudicium, & diligere miſericordiam.* Si autem homo pro abolẽdis culpis hoſtiam Deo offert beneplacentem, quoties proximo miſeria oppreſſo ſubuenit; Sanè qui moribundo extremè periclitanti opem præbet, quo maiori ille miſeria coanguſtatur, ita illius ſubleuatio victima erit præſtantior, atquè Deo acceptabilior. *Charitas operit multitudinem peccatorum,* 1. Pet. 4. quæ verba ſic exponit Hilarius can. 4. in Matth. *Charitas plurimum peccatorum tegit, & errorum noſtrorum ambitioſa ad Deum patrona eſt.* Ambroſ. ſerm. 30. de eleemoſ. *Quamuis ergo pollutus, quamuis multis criminibus circumſeptus, ſi eleemoſynas feceris, innocens eſſe cæpiſti.* Vide ergo, quæ

Gloſ.

1. Pet. 4. Hilar.

D. Ambroſ.

quæ ſit miſericordiæ gratia, quæ vna & ſola virtus cunctorum eſt redemptio peccatorum.

ADNOTATIO XVIII.

Inuigilandum eſt auxilio morientium, quia qui hoc pietatis opus exercet, ſeueritatem diuini iudicij non experietur.

I*Vdicium autem ſine miſericordia ei, qui non fecit miſericordiam.* Iacob 2. *Cum iudicatur exeat condemnatus.* Pſal. 108. Chriſtus pepercit mulieri adulterę in iudicium à Iudæis adductæ, quia erat in gazophylacio, ſcilicet loco, qui dicebatur ſubleuamen, ſeu requies egenorum, & vbi pecuniæ pro alendis pauperibus oblatæ ſeruabantur. Quod rectè adnotauit S. Ambroſ. epiſt. 76. *Hoc adultera iudicium in templo Dei poſitus exercet, ſicut ſcriptum eſt infra, Hæc verba locutus eſt Ieſus in gazophylacio docens in templo. Quid eſt gazophylacium? collatio fidelium, ſumptus pauperum, requies egenorum; ob locum vbi miſerorum ſubleuamina congerebantur, rigor iudicij in-*

Iacob.
Pſal.
D. Ambroſ.

clementiam indulgentiæ cõmutatur; Nonnè hinc firmum argumẽtum habemus, quod qui opus miſericordiæ excellentiſſimum ſuccurrendi moribundis exercet, in finali iudicio non Deum fulminantem ſeueritatem, inſtar irati iudicis, ſed ſpirantem ſuauem benignitatem inſtar amantis Patris experietur. Parabola de decem Virginibus Matth. 25 communiter à Patribus de extremo iudicio ad litterã exponitur. Ita Origenes tract. 32. in Matth. D. Chryſoſt. homil. 69. D. Aug. ſerm. 22. de verbis Domini; ſed ſi de iudicio agitur, cur ſolum ſponſi nomen, & non iudicis auditur? *Exierunt obuiam ſponſo, moram autem faciente ſponſo, ecce ſponſus venit, venit ſponſus, &c.* vis noſcere myſterium? Perpende *quinque Virgines*, quæ *exierunt obuiam*, habebãt oleum in lampadibus, per quas denotantur animæ, quæ miſericordiæ operibus fuerunt deditæ, dum ergo hæ apparent ante tribunal iudicij, Chriſtus cum his agit non tamquam iudex ſeuerus, ſed vt ſponſus benignus. Greg. Nazian. orat. 17. *Ad neceſſaria tempora ſuperna beneuolentia tibi præſidium*

Orig. *D. Chryſoſt.* *D. Aug.* *Matth.* *Greg. Naz.*

dium para, miſericodiam Deo commoda, neminem vnquam Deo aliquid prius obtuliſſe pænituit, in beneficio reddendo copioſus eſt. Perpende, *commoda*, quo innuitur obligatio reddendi.

ADNOTATIO XIX.

Plurimũ nos inducere debet ad ſubueniendum moribundis, quòd qui hoc præſtat, cum ipſe à dæmone impugnabitur, & præcipuè in agone non expugnabitur.

NOn eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitia, ad Epheſ. 6. *Ad Epheſ.* Nulla meliori ratione ſibi cõſulere poſſunt pugiles, & luctatores, quam perunctis oleo membris, ſic enim è manibus aduerſarij ſe facilè ſubtrahere poſſunt; ita, vt conatus eludamus colluctantis nobiſcum dæmonis, & præcipuè cum in extremis laboramus, quo tempore valentiores exerit ille vires, nihil opportunius eſt, quam ſi oleo miſericordiæ

Digitized by Google

in proximum exhibitę peruncti erimus. Egregiè ad rem D. Chryſoſt. hom. 65.
D. Chryſoſt. in Matth. *Non enim ſic oleum corpus hominis roborat, vt animam miſericordia ſtabilit, adeoquè confirmat, vt ſuperari à Diabolo nequeat; lubricum enim eleemoſyna oleum corpus hominis conſtituit, ita vt manus diaboli facilè propter lubricitatem fugiat.* Victoriam, quam auxiliator morientium reportaturus eſt de hoſte tartareo, optimè præſignauit Dauid, qui pugnaturus cum Goliath, pro certo argumento, quod de illo triumphaturus eſſet, adduxit, quod ſæpius oues dè faucibus vrſi, & leonis extraxerat, eoſque ferocientes enecauerat. *Paſcebat*
1. Reg. 17. (inquit Sacer textus 1. Reg. 17.) *ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamquè eos. Nam & leonem, & vrſum interfeci ego ſeruus tuus: erit igitur & Philiſtæus hic incircumciſus, quaſi vnus ex eis.* Non ſecus dæmonis audaciam

re-

retundet,& profligabit,cum ab eo ferociente aggreſſus fuerit is, qui omni adhibito conatu morientiũ animas ab eiuſdem infernalis hoſtis faucibus eripuerit, dum eas inſtar cuiuſuis vrſi furentis,& ſæuientis leonis deglutire auido ore tentat.

ADNOTATIO XX.

Qui cupit peculiaria ſubſidia in mortis agone habere parata, ſimilia ſuppeditet moribundis.

VIs beneficia capere? confer beneficium alteri. vis miſericordiam conſequi? miſerere proximi. Chryſoſt.hom. 13. ad populum ad ea Chriſti verba. *Omnia ergo quacunquè vultis, vt faciant vobis homines,& vos facite illis.* Rectè ac cinit P.Chry.ſer.20. *Studeamus* (inquit) *nobis in noſtris fratribus ſubuenire*, quia veriſſimum eſt Euangelicum dictum Luc.6. *Eadem menſura qua menſi fueritis, remetietur & vobis.* Hilar. can. 4. in Matth. perpendens illa verba Matth.5. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Sic ait. *Miſericordibus*

D.Chryſoſt.

P. Chryſol.

Luc.

Hilar.

Matth.

dibus miſericordiæ munera præparat, in-tantum enim Deus beneuolentiæ noſtræ in omnes delectatur affectu, vt miſericordiam ſuam ſit ſolum miſericordibus præſtaturus. Applaudens Cæſari Plutarchus, *O Cæſar (*inquit*) cum ſtatuas Pompeij collocaſti, tuas ſtabiliuiſti*, & hoc, tum quia in illis memoriam Cæſaris perennaturam credebat: tum quia ſibi certò pollicebatur, vt tali exemplo inſtructa poſteritas ſimulacrorũ erectione pares vices foret reddìtura. Sed certiori argumento dicere poſſumus, quiſquis es, qui morituro auxilia ſuppeditaſti, eadem tibi paraſti. Cerui flumen aliquod tranaturi miro modo ſibi inuicem opitulantur, præit vnus ſup cuius clunem alter ſubſequens reponit caput, & idem ſucceſſiuè præſtant cæteri hac lege, vt cum primus feſſus fuerit, ſe ab onere ſubtrahat, & ad vltimum ſe trãſferat, ſupra cuius dorſum capite collocato proſequitur natando, hac auxiliari viciſsitudine ſeruata turò traijciunt, quod eis non contingeret, ſi quilibet corũ ſeparatim enataret, pondere enim cornuum pręgrauãte caput ſupra aquas diù

Plutarch.

diù ſuſtinere non poſſet. Omnes nos fluctuans agonis flumen traijcere debemus, & tunc, quantum onus ſcelerum graue grauitabit, ſentiemus; verùm nè tanto pondere obruamur, ſubleuare nos poterunt auxilia, quæ alijs morituris præſtiterimus, ſimilia enim nobis non deerunt.

ADNOTATIO XXI.

Libentiſſimè opus charitatis in adiuuandis moribundis amplectendum eſt, quia per hoc cæterarum virtutum perfectio acquiritur.

S*ancti tui Domine benedicent tibi*, inquit Dauid in Pſal. 144. vertit D. Hieronym. *Miſericordes benedicant tibi.* Quo innuitur idem eſſe virum miſericordem, ac ſanctum. *Eſtote miſericordes, ſicut pater veſter miſericors eſt.* Luc. 6. & Matth. 5. *Perfecti ergo eſtote, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Nulla in vtraque exhortatione diuerſitas, ſola in verbis diſſonantia: humana enim miſericordia diuinæ imitatrix non diſſociando nexu coniungitur cum per-

Pſalm. *D. Hieron.* *Luc.* *Matth.*

perfectione Euangelica. Quærere quis poſſet, cur, cum plures ſint virtutes, quæ præmiandæ ſunt à Chriſto iudice in iuſtiſsimo iudicio, vni miſericordiæ gloriæ corona decernitur? cur hoc? nonnè ob alias etiam virtutes iuſti regnum cęlorum accepturi ſunt? nonnè lata lex eſt de alijs virtutibus ſeruandis? nonnè hæ ad examen reducendæ? Ita ſanè, ſed cum miſericordia ſit indicatrix cæterarum virtutum, facta de hac exacta diſquiſitione, cęteræ etiam ad calculos ſimul relatæ innoteſcunt. Qui vult ergo ſummam virtutum omnium perfectionem aſſequi, hoc inſignis miſericordiæ munus auxiliandi moribundis omni cum perfectione peragere debet, pari enim gradu in cęteris virtutibus, quo in miſericordia, proficiet.

ADNOTATIO XXII.

Vt rem Beatiſſimæ Virgini pergratam praſtemus, operam omnem in adiuuandis moribundis impendere debemus.

MARIA, quia prona eſt ad miſericordiam, miſericordiæ deditos maximè diligit, quare opus hoc inſignis miſericordiæ adiuuandi moribundos illi acceptiſsimum eſſe, nemo dubitare poteſt; dum pro viribus ſuffragamur moribundis, efficimus vt quantum in nobis eſt, proficui ſint labores, & cruciatus, quos B.V. vt humanæ ſaluti cooperaretur, ſuſtinuit, & nitimur vt in tuto ponantur dona gratię, quę B.V. intercedente vnicuiq; morientium, non modo eo tempore, quo in extremis laborat, ſed etiam toto præcedenti vitæ decurſu conceſſa fuerant. De hoc aliqua dixi tom.2. de B.V. Eminentia cap.8. quæſt.6. §. collige 1. & in Praxi obſequiorum obſequio 16.

AD-

AD NOTATIO XXIII.

Magnum incentiuum nobis eſſe debet ſaluti morientium cooperandi, quod Deus plurimi faciat munus ſaluandi animas.

TAnti pendit Deus opus ſaluandi animas, vt illud ſe maximè dignum exiſtimet, atque ideò in hunc finem voluit, vt filius ſuus vnigenitus, & coæternus humanam carnem aſſumeret, in Bethlemitico antro omni regio apparatu neglecto naſceretur, incommoda plurima, labores plurimos toleraret, vitam communibus calamitatibus tranſigeret, immitia vincula, funes, catenas perferret, ſæuam inſultantium, & impellentium rabiem experiretur, hoſtilibus calcibus, proculcationibus, efferis ſæuientium animorum efferitatibus concuteretur, iniurijs cõſpuentium, colaphizantium, deludentium, ſacrilego ore blaſphemias deuomentium afficeretur; columnæ alligatus flagris laceraretur, ſpinea corona cruentaretur, deniquè ſub crucis pondere lapſabun-

dus

dus fatiſceret, eiquè clauis confixus animam efflaret. Hos labores, & cruciatus, quos pertulit Chriſtus ex æterni Patris decretò pro noſtrarum animarum ſalute, qui attentè cogitat, animaduertet quãti hæc facienda ſit, & quàm egregium, & quã diuinũ, vt adnotauit Dionyſ. Areop. *Dionyſ. Areop.* cap. 3. de cæleſti hierarchia, opus ſit cooperandi Deo ſaluti animarum, & eò maximè tempore, quo ille verſatur in ſummo diſcrimine cadendi irreparabili lapſu in perditionis barathrũ. Et ſanè quis non videat quidquid operis pro ſalute hominis ante tempus mortis impenditur, eſto ſuum ſortiatur effectum, ob humani cordis incõſtantiam valdè periclitari, & ſępè qui ad Deum conuertitur, paucis poſt diebus peruertitur. at ſi noſtro ſuffragio moribũd⁹, vel è ſeruitute diaboli ad Chriſti libertatem traducatur, vel ſi iam Deo gratus noua gratiæ incrementa acquirat, hæc lucra [redacted] iam in tuto vidẽtur reponi, breuibus morulis, quibus illius vita coarctatur, maximè nobis ei perſeuerãter auxiliãtibus. cõmuniter enim loquendo omnino difficile eſt, vel à ſtatu gratiæ cadere moribũdũ, vel grad⁹ gratię amittere.

D AD-

ADNOTATIO XXIIII.

Magnum incitamentum adiuuandi mortè proximos eſſe debet, quod quidquid impenditur illis, Chriſtus ita accipit, ac ſi ſibimet ipſi factum eſſet.

Math. 25 SAt notum eſt illud Matth. *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*
Act. 9. *Saule, Saule quid me perſequeris?* Act. 9. Sed ſi fideles perſequebatur, cur Chriſtus dicit, *Me perſequeris? num ipſum perſequebatur in cælo?* inquit Aug. hom. 15.
Aug. com. 10. ſiue in appendice ſerm. 17. *Sed quia erat in Chriſtianis compatiens membris omnibus.* Notatu digna ſunt, quæ
D. Bonau. habet D. Bonauent. in ſtim. Amoris cap. 5. in medio perpēdens illa prædicta verba. *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Et ideo cum in lecto videt infirmum, videtur ſibi, quod videat Chriſtum ſuum, ac per hoc nihil ſibi difficile, nihil abominabile, nihil ignominioſum facere pro infirmo, ac pro alijs videtur deſolatis, Sed omnia dulcia, omnia ſuauia, omnia amabilia indicat, cum ſic in proximo Chriſto miniſtrat:*

ſtrat: Credo ſine praiudicio, quod qui ſic, vt dictum eſt, feruentèr & diligentèr Chriſto in proximo miniſtraret, purè per Chriſtum, & totaliter tendens in ipſum, quod plus me reretur, & virtuoſius moueretur, & à Deo amplius approbaretur, quàm ſi proprio Chriſti corpori miniſtraret; & hoc patere poteſt. Vnus enim peſsimus homo, ſi videret Chriſtum in vno lecto, et benè cognoſceret ipſum eſſe, credo non eſſe dubium, quod ſibi diligenter miniſtraret. Sed ſibi Chriſto in proximo cum tanto feruore, ac diligentia miniſtrare non poſſet, non perfectus, vt credo, immò vt ita loquar, plus quàm perfectus. Et ideo toto animi conamine hanc gratiam nitamur habere. Quis enim de certo abhorrebit leproſum, declinabit infirmum, negliget deſolatum, cum in eis videamus Chriſtum? & plus poſsumus mereri, & Deo placere, vt probatum eſt, quàm ſi miniſtraremus ipſi Chriſto. Cur anima tota die anxiaris poſt Chriſtum? Indicabo tibi, quem diligit anima tua ò ſponſa dilecti. Certè in infirmaria iacet, & ibi anguſtiatur, ibi torquetur. Curre, & ſibi miniſtra, ſibi compatere infirmanti. Cur inſtas ſponſa quotidie, vt ſponſi oſculo oſcu

leris? Accede ad leproſum, & oſculare eum, quia ibi iacet ſponſus. Cur ſponſa miſerrima pro ſponſi amore languere te dicis, & ipſum quotidie nudum, diſcalciatum, & afflictum ante te vides tranſire, & negligis, nec etiam compateris ſibi? Et ſi non poſſumus fratres omnibus præſtare obſequia, quia multi ſunt ſuper indigentes, ſaltem omnibus cordis compaſsione donemus, & in omnibus conſideremus Chriſtum. Credo firmiter, quod ſi ipſum neglexerimus in cœno, ipſum non habebimus in cælo. Audi quid dicit. Infirmus eram, & non viſitaſtis me. Timeamus ergo fratres mei illam ſententiam, quæ ſtatim ſequitur. Ite maledicti in ignem æternum &c. qui toties neglexímus eum. Non ergo de cætero interrogemus eum vbi iaceat, vbi cubat in meridie, quia iam nouimus locum; Scimus quod in infirmaria iacet, non reſtat niſi præſtare obſequium.

AD-

ADNOTATIO XXV.

Ad opem moribundis præſtandam excitare nos debet gloria Dei, quæ ex ſalute animarum reſultat.

QVis, ſi verè ſapit, non omnem mouebit lapidem, non operam quamcunque impendet, non laborem quantumlibet grauem tolerabit, vt animam morientis in cœlo reponat ęternùm laudaturam, & glorificaturam Deum, quæ gloria adeò magna eſt, vt ſpectata eius æuiterna duratione eam excedat, quam omnes ſimul Angelici ſpiritus, & beatæ animæ hucuſquè Deo tribuerunt, & tribuent vſquè ad mundi deſolationem, hæc enim certis limitibus circumſcripta terminanda eſt, illa vero interminata duratione perſeuerabit. Celebris ille pictor interrogatus, cur tam diuturnam in pingendo adhiberet diligentiam, reſpondit, diù pingo, quia pingo æternitati. Verum ſi hunc non pigebat manum diù operi admouere, diù ſtudere pro æternitate, quam ſibi fruſtra polli-

cebatur in rebus perituris, quem quæſo
pigere debeat diù vigilare, longas age-
re excubias, plurimas effundere pre-
ces, vt moribundi anima ſal-
uetur, ex qua felici æter-
natura fæcundita-
te Sacroſan-
ctæ Tria-
di
gloria perennis
germina-
bit?

CA-

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM

De nonnullis requiſitis, quæ præcipuè in eo requiruntur, qui munus adiuuandi moribundos omni cum perfectione obire cupit.

ADNOTATIO I.

Puritas conſcientiæ neceſſaria eſt in auxiliatore morientium.

SI Sacerdotes moribundis adſtantes in auxilium, idem cum Angelis munus cooperandi Deo ſaluti animarum exercent, ad eos etiam ſpectabit Angelorum puritatem præſeferre; præterea vitæ integritas ad efficacitatem orationis, qua maximè ſubleuandus eſt Agonizans, requiritur. Et quidem quantùm poſsit oratio iuſti, tum ad auertendum diuinæ iuſtitiæ gladium, tum ad obtinenda pro miſeris diuina ſubſidia, plura Sacræ paginæ exempla teſtantur. Dum Senacherib obſidione Ieroſolymam ſtringebat, Rex Ezechias in

longas fuſus preces, liberationem obſeſſæ vrbis obtinuit, quæ & propter gloriam nominis ſui, & propter merita Dauid implorauerat, vt ex ſacro textu colligi poteſt 4. Reg. 19. vbi Dominus ait. *Protegam vrbem hanc, & ſaluabo eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum: Factum eſt igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum cẽtum octoginta quinque millia &c.* Rurſus eadem ciuitas obſeſſa fuit à Nabucdonoſore, & perniciem maximam perpeſſa eſt, vt 4. Regum 25. habetur. *Et clauſa eſt ciuitas, atquè vallata vſque ad vndecimum annum Sedeciæ nona die menſis, prænaluitquè fames in ciuitate, nec erat panis populo terræ. Et interrupta eſt ciuitas, & omnes viri bellatores nocte fugerunt &c.* Sed cur non eadem merita Dauid militant pro hac ſecunda obſeſſione, eiuſdem enim virtutis eſſe videntur ad vindicandam ciuitatem ab hoſtilibus manibus Nabucdonoſoris, ac Senacherib, poſtrema nullus fuit deprecator, at prima proſternitur humi deprecabundus iuſtus Ezechias, vndè non mirum ſi ciuitas

4. Reg.

4. Reg.

uitas tali orationis ſubſidio ſuffulta non ſuccumbit inimicis, ſed diuinitùs liberatur. Ità dum in perniciem moribundi atra dæmonum agmina concurrunt, ſi vir iuſtus pro eo diuinam miſericordiam, meritiſquè Chriſti, Beatiſsimæ Virginis, & Sanctorum propoſitis, ſollicitet, firmiter ſperandum erit fore vt diuina ope ſuffragante tartarei hoſtes diſſipentur, & profligentur. Adeò efficax erat oratio Eliæ, vt quidquid vellet, impetraret, vt ex 3.Reg. 17. & ex capit. 18, colligi poteſt. Vnde meritò D. Chryſoſt. Serm. quodam de Elia, qui habetur tom. 1. *Clauis* (inquit) *cæli fit ſermo Eliæ, iubet enim, & clauditur cœlum, orat poſtmodum, & aperitur, vt Sanctorum meritum monſtretur, non ſolum in terris poſſe quod voluit, ſed & in caleſtibus poſſe impetrare quodcunque petierit*. Præclarum etiam argumentũ pro efficacitate orationis eſt illud, quod narrat Damaſc. in ſermone pro mortuis, S. Gregorium ſcilicet oraſſe pro anima Traiani iam vita functi, & audiuiſſe vocem de cœlo dicentem ſibi, *Vocem tuam audiui, & veniam Traiano do*. Cuius rei, vt S. Damaſc. dicit

3.Reg. 17. 18.
D. Chryſ.
S. Damaſc.

ſc.dicit in dicto ſerm. *Teſtis eſt Oriens omnis, & Occidens*. Quis autèm non hoc admiretur, vtpotè quid vſquam inauditum, maximè ſi Traiani vita, & mores perpendantur, qui infidelis & idolatra in Chriſtianos immaniter ſæuiebat, ita vt vna ex decem immanibus perſecutionibus, quas Eccleſia paſſa eſt, tempore huius Traiani fuerit. D. Tho. rem hanc vti retuli narrans in additionibus ad tertiam partem quæſt. 71.art.5.hæc habet, *de facto Traiani hoc modo poteſt probabiliter exiſtimari, quod precibus B. Gregorij ad vitam fuerit reuocatus, & ita ſit gratiam conſecutus, qua pœnitens peccata expiauit*. S. Philippus Nerius (vt in eius vita lib.3.cap.9.recenſetur) adſtans matronæ in extremis laboranti precibus à Deo obtinuit, vt illa animam efflaret eo tempore, quod maximè erat opportunum ad effugiendas paratas dæmonis inſidias. Quarè ſi ea eſt vis iuſti deprecantis, vt ad eius nutum cælum claudatur, & reſeretur, vt impio Tyranno qui iam è viuis deceſſerat, gratiam impetret culpis per pœnitentiam non expiatis, per quam reuiuiſcat, & remiſſionem peccatorum

D. Tho.

In vita S. Phil. Ner.

torum

torum conſequatur. Quiſnam eſſe poterit ſtatus moribundi adeo deploratus, vt non ei poſſint tutum ſubſidium præbere viri iuſti feruidę & inſtātes preces? Ad rem noſtram videri poſſunt nonnulla exempla lib. 3. cap. 2. vitæ Serui Dei Patris Camilli de Lellis noſtræ Religionis Fundatoris. *In vita P. Camilli.*

ADNOTATIO II.

Magna animi ſubmiſsio in eo; qui moribundis opem fert, requiritur.

ALtiſsimum eſt opus adiuuandi moribundos, vſquè enim ad cœlum extēditur, quò animas euehere æternùm fruituras Deo aſpirat, quare quiſquis huic operi impensè incumbere vult, certè quod ſapienter monet Aug. lib. 1. de verbis Domini ſerm. 10. ſeruare debet. *Aug.* *Cogitas* (inquit Aug.) *magnam fabricam conſtruere celſitudinis, prius de fundamento cogita humilitatis.* Et infra. *Hoc in te fodi fundamentum humilitatis, & peruenies ad faſtigium charitatis.* Et ſanè cum auxiliator moriētium maximè cum Deo agere debeat, vt ab eo opportuna gratiæ

adiu-

adiumenta pro Agonizantibus impe-tret, vt voti fiat compos, præuia in eo debet eſſe humilitas: Cuius rei exemplũ præbuit Abrahamus, qui cum Deo locuturus pro obtinenda flagitioſiſsimis hominibus venia prius ſe humiliauit. *Loquar* (inquit) *ad Dominum meum, cum ſim puluis, & cinis.* Gen. 18. Vndè tanta fuit poſtea locutionis eius efficacitas cum Deo, vt licet potius interrogando, quàm rogando ageret, Deum propitium, & votis annuentem experiretur. Rectè autem perpendit Rupertus tantùm præualuiſſe Abrahamum cum Deo ob virtutem ſubmiſsi animi. *Nam Deus* (inquit Rupertus ibi) *ſingulis eius concedit propoſitionibus, fortis enim erat vera fortitudine homo, qui fortiſsimum Dominum tenebat; hac enim fortitudo vera eſt ſpiritus humilitatis.* Operæ ergo pretium erit, vt qui adſtat moribundo in auxilium, ſæpius humilitatis actus eliciat, ſæpiùs Deo proponat pro tanto miniſterio inhabilitatẽ ſuam, ſic enim vberiores diuinæ gratiæ influxus pro ſe, & pro Agonizante attrahet: veriſſimum enim eſt, *Aqua confluit ad humilitatem vallis, & denatat de tumori-*

Gen.

Ruper.

moribus collis, vt inquit Aug. ſerm. 27. de verbis Domini. *Aug.*

ADNOTATIO III.

Adiutor morientium firmam in Deo habere debet fiduciam.

SIcut hic proprijs viribus diffidere debet, ita Deo maximè fidere, ab eoquè ſperare vim auxiliarem, qua aptus reddatur ad opportunè ſuccurrendum moribundis; conſueuit enim diuina prouidentia; quæ omnia ſuauiter diſponit, cùm aliquem ad munus aliquod eligit, ſimul ea conferre, quæ ad illud ritè peragendum requiruntur, vt bene notat S. Tho. 3. parte quæſt. 24. art. 4. in corpore inquiens, *Quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat, & diſponit, vt ad id, ad quod eliguntur, inueniantur idonei*, iuxta illud 2. ad Corinth. 3. *Idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti*. Quarè hinc animum ſumere debent, qui à Deo aduocantur ad hoc præclarum miniſterium adiuuandi moribundos, & præcipuè noſtri, quibus ex peculiari Religionis inſtituto demãdatum eſt hoc munus; certò enim crede- *D. Thom.* *2. Ad Corinth. 3.*

re de-

re debent parata ſibi eſſe peculiaria gratiæ auxilia ad illud proficuè obeundum. Adde quòd in Deo confidentes facilè ab eo obtinebunt miſericordiam, & quæcunque dona, vnde Dauid Pſalm. 142.

Pſal.

Auditam (inquit) *fac mihi mane miſericordiam tuam, quia in te ſperaui.* Ecce affert fiduciam in Deo tanquam ius quoddam ab eo exigendi miſericordiam; rectè Bernardus in eum locum: *Sola* (inquit) *ſpes apud te miſerationis obtinet locum, & oleum miſericordiæ in vaſe fiduciæ pones.* Et ſer. 115. in Pſalm. *Qui habitat* animosè ſic nos excitat. *Quemcumque locum occupauerit pes veſter, veſter erit, pes veſter vtiquè ſpes veſtra, et quantumcumque illa proceſſerit, obtinebit, ſi tamen in Deo tota figatur, vt firma ſit, & non titubet.* Porro hæc in Deo fiducia non ſolum plurima largitur, qui illi innititur, ſed etiam alijs, ad quos ſubleuandos extenditur, vt recte monet D. Ambroſ. lib. 7. in Lucam. *Magna* (inquit) *eſt Dei noſtri liberalitas, quem ſi ex toto corde diligas, non ſolum licebit tibi petere pro te, ſed etiam pro tuis proximis, & licet eis fiducia deſit, ob tuam exaudieris, & illis ſubuenietur,*

D. Bernar.

D. Ambroſ.

Digitized by Google

nietur, ſiquidem Chriſtus Dominus noſter videns fidem offerentium paralyticum in lecto iacentem, vt illi ſanitatem reſtitueret, integram ei reddidit in corpore, & anima, dicens illi, confide fili remittuntur tibi peccata tua, & poſtea, ſurge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam, vt ex hoc intelligas tantam vim habere fiduciam, vt etiam pro peccatoribus exaudiatur. Quarè conſulto aget, qui moribundo adſtat, ſæpius confidentiæ actus renouare, quò enim magis in ea ſe dilatauerit, eò maiora pro ſe, & moribundo obtinebit gratiæ adiumenta.

ADNOTATIO IIII.

Qui præsto eſſe moribundis ſtudet, cum aduocatur, nulla interpoſita mora debet accurrere.

IN *omnibus operibus tuis eſto velox*: monet ſapiens Eccl. 31. Verùm ſi in omni virtutum exercitio celeritas commendatur, maximè certè in eo quod ad præſtãdam miſericordiam ſpectat; & S. Gregor. Nazianz. orat. 40. dicit, *Pari vitio ſunt promptitudo ad vitium, & ſegnities* Eccl. Greg. Naz.

ad

ad virtutem. Verum ſi celeritas in omni virtutum exercitio commendatur, maximè certè in præſtanda miſericordia. Quarè ad feſtinum afferendum mæſto patri ſolamen iniungit Ioſeph fratribus, vt celeri greſſu contendant. *Feſtinate, & aſcendite ad patrem meum.* Gen. 45. *Nunc properandum eſt vobis* (inquit Philo) *ad patrem, vt à verbis potius, quam à fama accipiat latum de me inuento nuncium*; vbi enim agitur de ſolando homine mærenti, quod eſt opus miſericordiæ, valdè feſtinandum eſt, nullus dilationi locus dãdus. Sed quia de hoc argumento dixi Tom. 1. da Eminentia Deiparæ cap. 8. quęſt. 2. concl. 3. proponam hic duo exẽpla, ex quibus conijci poterit, quanti interſit omni negotio poſtpoſito citiſsimè conuolare in auxilium morientium. Frãciſcus Maria Tarugius quodam mane acceſsit ad Philippum, vt ei confiteretur, cui Philippus dixit. Quid eſt de tali muliere? & à quo tempore eam non vidiſti? I nunc, & eam inuiſe, & poſteà ad confeſsionem redi, quia angor corde ob illius animam. (Erat hæc mulier famula in Noſocomio S. Iacobi Incurabilium

Gen.

Philo.

in

valdè pia,& ſollicita.) Iuit Tarugius, & inuenit prædictam in lecto decumbentẽ, animamq; agentem, ei adfuit opportunus defenſor, & adiutor in illo extremo diſcrimine, vt refertur in vita S. Philippi Nerij lib. 3. cap 4. Perpende quòd ſi in prædicto caſu, nè tantiſper retardaretur auxilium exhibendum morituræ fœminæ, Sacramentalis confeſſio ex conſilio viri ſancti dilata fuit, quale quæſo negotium tanti momenti eſſe poterit, vt ob illud retrahendus ſit adiutor morientis ab ea celeritate, qua accerſitus ad opẽ moribundo ferendam properare debet. Refert S.Greg. lib. 1. Dialog cap 12. de quodam Sacerdote nomine Seuerus, quẽ curauit vocari quidam paterfamilias in extremis conſtitutus rogans, vt ad eius confeſſionem excipiendam accederet,& ſuis orationibus ipſum iuuandum; ſerui quidèm venerunt, cùm Seuerus occuparetur in ſua vinea putanda, & cùm parum illi adhuc ſupereſſet, voluit priùs illud abſoluere, dixitq; ſeruis vt præcederent ſe illos ſtatim ſubſecuturum: cùmq; ille poſtea ſubſequeretur redierunt ſerui ei obuiam dicentes, cur pater moras traxiſti?

In vita S. Phil. Ner.

S. Greg. lib. 1. Dial.

xiſti? benè potes redire, iam enim infirmus mortuus eſt: manſit Seuerus his auditis magno cum dolore propter huiuſmodi euentum,& culpam ſuam agnoſcebat, quòd proximus abſq; confeſſione mortuus fuiſſet; & accedens ad locum, in quò iacebat cadauer,proſtratus in terram amarè flebat terram percutiens capite præ nimio dolore ob talem euentum, & cùm diù orans ibi manſiſſet,miſericordiam à Deo petens ex tempore reſurrexit defunctus,ac dixit,quòd cùm quidam feri Aethiopes animam eius ducerent per viam quandam obſcuram,ex tēpore prodijſſet magna quædam lux, & iuuenis quidam valdè ſplendidus, qui dæmonibus dixerat, reddite animam iſtam corpori; quia Dominus tradidit illam lacrymis Seueri, tùnc lætus,& valdè confortatus vir ſanctus reſuſcitati confeſſionem excepit, qui ſeptem adhùc dies ſuperuiuens valdè bene diſpoſitus requieuit in pace. Quarè cæteri Sacerdotes, qui tale donum non habent reuocandi mortuos ad vitam, cùm aduocantur vèl ad confeſsiones infirmorum excipiendas, vèl ad opem moribundis ferendam,

ſta-

ſtatim accurrere debent nè ob eorum negligentiam damnum aliquod irreparabile proximo obueniat.

ADNOTATIO V.

Animoſitate, & patientia magna munitus eſſe debet, qui moribundis adſtando completum illud munus obire cupit.

DEfenſor morientis in certamen cum dæmone inſultante deſcendit, quarè alacritèr, & ſtrenuè irruendum eſt, vt oppugnator potiùs abſterritus remaneat ex impetu aggreſſoris, quàm ex ignauia animum ſumat; vix enim dici poteſt, quantùm hoc iuuet ad palmam de tartareo hoſte referendam. Significantèr hoc adnotauit Cyprian. lib. de zelo & liuore. *Quamobrem* (inquit) *contra omnes diaboli vel fallaces inſidias, vel apertas minas ſtare debet inſtructus animus, & armatus, tàm paratus ſemper ad repugnandum, quàm eſt ad impugnandum paratus.* Appoſitè etiam Clim. in Scala ſpirituali gradu 1. vbi cùm hæc præmiſiſſet; *odioſum ſanè, periculiſquè pleniſſimum eſt ab ipſo ſtatim* S. Cypr. Clim.

conflictu flaceſcere luctantem; eſt enim futura necis non obſcurum argumentum; rectè ad rem ſubdit. *Cum gaudio & ſine metu ad egregium iſtud certamen accingamur, inimicos noſtros nulla ratione formidantes, intuentur enim illi, etſi non videantur à nobis animarum noſtrarum vultus, & ſi illos viderint formidine contrahi, vel immutari, contra nos acerbiùs armantur; intelligunt enim verſutiſsimi timorem noſtrum. Magno igitur animo aduersùs illos arma accipiamus, contrà eum enim qui alacritèr pugnat, nullus oppugnando praualet*. Idem animus alacris, & excelſus plurimùm iuuabit in laboribus, qui cum exercitio morientium coniuncti ſunt, facilè perferendis. Veriſſimum enim eſt Chryſoſt. in dog. effatum, *ſi quis* (inquit) *labores contemptim ſuſcipiat, promptoquè animo ad eos accedat, haud magnam aduersùs eum habituri ſunt vim, vt ſi pedem referat, ab iiſque ſe remoueat, maiores omninò, ac vehementiores videbunt*. Sanè adſtanti ad opem morientis ſtrenuè agendum, magna quippè tolerantia ſæpè opus eſt, quià plures ſuboriuntur difficultates, incommoda ſuccreſcunt,

D. Chryſoſt.

ſcunt, interdùm longæ excubiæ tædium afferunt, cùm Agonia in longum protẽditur, ſæpè graueolentia moribundi caput offendit, ſæpè in pauperum ædiculis anguſtia loci opprimit, ſæpè corporis vires laſſantur, aliaquè perpeſſu aſpera ſæpiſſimè ſeſe offerunt. Porrò ad animosè difficultates ſuperandas, & moleſtias ſuſtinendas in munere adiuuandi morientes admixtas, plurimùm conducit ſi attentè conſideretur eas dirigi ad rem Deo gratiſſimam, ſalutem ſcilicet animarum. Cùm Bethlemitica ciuitas inimica acie vndiquè cincta eſſet, anhelans Dauid aquam in Bethlehem ciſternã fluentem dixit. *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem iuxtà portam.* 2.Reg.23. Præclarum quidem, ſed valdè arduum opus erat, exoptatam ſitienti Dauid aquam deferre, cùm propè ipſum fontem minitabunda Philiſtinorum arma reſonarent. Nihilominùs, vt hiſtoria teſtatur, *Irruperunt tres viri fortes caſtra Philiſtinorũ, et hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, quæ erat iuxtà portam, & attulerunt ad Dauid.* Quarè ſi generoſi milites non de- 2. Reg. 2. Reg.

fecerunt, qui, vt Dauidis deſiderio Bethlehemiticam aquam poſtulantis ſatisfacerent, hoſtiles phalanges pertranſirent, vitæ diſcrimina non curarent, aduerſarios paratiſſimos ad pugnandũ non perhorreſcerent, certè dùm cæleſtis, ac ſupremus Rex Ieſus hominum ſalutem ardentiſsimè ſitit. quod ipſemet de Cruce teſtari voluit, cùm dixit, *Sitio*. omni nixu contendendum nobis eſt, vt talis ſitis adeò Domini amantiſſimi expleatur; quod quantum in nobis eſt, præſtamus, dum nullis parcimus laboribus, dũ difficultates quaſcunque ſuperamus, dum moleſtias omnes perferimus, dum vitæ pericula contemnimus, vt morientium ſaluti ſpirituali cooperemur ad prædictũ munus ſtrenuè præſtandum. Et ſi quilibet hac conſideratione animandus ſit ad ſtrenuè moribundis opitulandum, multò magis noſtri Religioſi, qui iam ex voto emiſſo infirmis, & moribundis, etiam peſte infectis præſtò adeſſe tenentur; certè pro data fide à nonnullis rebus quantumcunquè arduis, aut terrorem iaculantibus non dicam retrahi, ſed ne retardari quidem debent à perſeueranti exer-

ti exercitio adiuuandi in extremis laborantes.

ADNOTATIO VI.

Vt opportunis ſubſidijs quis ſubleuet grauitèr ægrotantem, vel extremos halitus efflantem, magna prudentia debet eſſe præditus.

VIrtus prudentiæ, quæ meritò magiſtra vitæ à Tullio 2. de orat. nominatur, quia ad omne humanum negotium optimè dirigendum requiritur; ad munus adiuuandi moribundos maximè neceſſaria eſt. Quarè præter documenta, quæ in genere innuam capite ſequenti, ſemper diſcretione vti debet, qui hoc miniſterium exercet. Aegroti enim primò naturam, ſtatum, propenſionem cognitam habere ſtudeat, vt opportunè valeat ſuggerere, quæ ad illius ſalutem conferre maximè exiſtimabit, ſic etiam adſtantium rationem habeat, vt cum eorum ædificatione procedat. Vocem etiã moderari, & ità eam componere debet, vt pietatem, & condolentis affectum reſonet, non properanti, non tono alto,

ſed ſuaui; moras quoque interponat, vt ea quę dicuntur, commodiùs imprimantur mentibus audientium, præcipuè verò longæ verborum ambages omninò vitandæ, quæ nimiùm moleſtæ eſſe ſolent tùm ipſi infirmo, tùm circumſtantibus, Porrò dexteritatem plurimam acuet in adinueniendis opportunis medijs ad opem infirmi, vel moribundi, affectus charitatis, quo eorum ſalutem adſtans ardentèr expetit; eſt enim ingenioſus amor, & optimus induſtriarum magiſter. Et ſi talem dexteritatem, qua Alcon ſagitta ità ſerpentem in pectore proprij filij dormientis multos in orbes plicatum, & decumbentem trãsfixit, vt nulla in parte non modo carnem, ſed nè cutem quidem pueri læſerit, amor paternus docere potuit, Vnde Manilius lib 3.

Manil.

> Ars erat eſſe patrem, vicit natura periclum,
> Et pariter iuuenem ſomnoq; & morte leuauit.

Sanè & verus amor ſuggeret aliquando congrua, & apta adinuenta, quibus peccatum, quod inſtar ſerpentis in homine moribundo decumbit, auferatur.

AD-

ADNOTATIO VII.

Peritia, & doctrina requiritur in eo, qui ad opportunè iuuandos quoſcumque morientes paratus eſſe cupit.

SI in cæteris miniſterijs, quibus animarum ſaluti homo cooperatur ſciẽtia neceſſaria eſt, certè multò magis in munere ſuccurrendi moribundis, in quo de ſumma rerum agitur, & cùm mors ſemel tantùm contingat, ſi quis error committitur, nullo ingenio corrigi poteſt, & ſi, vt quis idoneus ſit ad concionandum, benè dicendi arti, philoſophiæ, Theologiæ operam nauat, ſanè in eadem ſtudia impensè incumbendum eſt ei, qui ad opportuna moribundis quibuſcunq; ſubſidia præbenda ſe maximè aptum reddere vult, quod aliqua in parte dilucidandum cenſeo; Et quidem certum eſt, quod ſi ad vnam concionem, vel ſermonem habendum plurimum ſtudij requiritur, vt habita ratione perſonarum, loci, temporis & argumenti, de quo loquendum eſt, res accommodatæ ordine congruenti, modo opportuno, & verbis aptis proferan-

ferantur;quantò magis ad negotiũ adiuuandi morientes tàm arduum, tot difficultatibus implexum,tot inopinatis euentibus obnoxium? Nõ enim eædẽ res omnibus non eodem ordine, nõ iiſdem verbis, ſed pro varietate diſpoſitionis, loci, temporis, morientium variãdum; alitèr cum magnatibus,& primarijs, alitèr cum plebeis,alitèr cum ſenibus,alitèr cum adoleſcentibus, alitèr cum ingenioſis,& ſapiẽtibus,alitèr cũ rudibus, & ignaris; quarè vt genio,& ingenio, naturæ & capacitati ſingulorũ accommodata habeantur,quis non intelliget ſcientiã prædictarũ facultatum neceſſariã eſſe? Prætereà ſæpiſſimè diſſoluẽdi ſunt difficillimi cõſcientiæ nodi,& quidẽ plurièsaccidit,vt prementibus tẽporis anguſtijs hoc celeritèr preſtandũ ſit. Sanè peritiſſimus eſſe debet Sacerdos in ijs maximè,quæ ad moralẽ Theologiam ſpectant, vt in promptu, quæ pro exoneranda moribundi conſcientia faciunt, valeat ipſe explicare. Similitèr cùm aliquando circà fidei miſteria dubia infirmis vel moribundis occurrãt (quod ingenioſis, doctis, melancholicis frequentiſsimè accidit) quibus eorum animi

animi grauitèr agitantur, & licèt communitèr loquendo hi ſint hortandi, vt in obſequium fidei intellectum captiuēt, omiſsis ratiocinationibus, & ſcholaſticis diſputationibus, quia ad eas tempus infirmitatis non eſt aptum; nihilominùs aliquando etiam euenire poteſt, vt infirmi animus ob excitatum dubiū aliquod ità fluctuet, vt non ſine illius ſolutione valeat acquieſcere, & dubium etiam tale eſſe poteſt, vt breui argumento ex ijs, quæ ſacra doctrina tradit, auferri poſsit. Quarè ſi ſacerdos aſsiſtens in Theologia, quam ſpeculatiuam vocant, fuerit verſatus, huic parti facilè ſatisfacere poterit. Adde cùm ab hac charitate, quæ moribundis auxiliatur, nullus ſit excludendus, etiam hæretici, ac infideles; quotiès cum illis grauitèr laborantibus, vel morti proximis agendi occaſio ſe obtulerit, adiuuandi erunt; quarè qui profitetur quorumcunque morientium ſaluti pro opportunitate poſſe conſulere, in Theologia debet eſſe verſatus. Tandèm ſi Dæmon inſidias, & perniciem moliturus ad morientem accedit, verſutia, calliditate, & rerum notitia inſtructus,

D. Chryſoſt. vndè Chryſoſt. hom. 28. in 1. ad Corinth. *Grauis* (inquit) *rhetor ad decipiendum eos, qui inconſultiores ſunt*. Sanè par eſt, vt Sacerdos morienti auxiliaturus, contra vafrum hoſtem tartareum ſacra doctrina, & Theologica ſapientia munitus ſe opponat. Placet hic recenſere, quod ex teſtimonio grauiſſimi & ſapientiſſimi viri Pater Sanctius Cicatellus adnotauit cap. 19. lib. 3. in vita Serui Dei Patris Camilli de Lellis Fundatoris noſtræ Religionis Cler. Reg. Miniſtr. Infirmis: vbi differens de ſtudijs ad eiuſdem Religionis noſtræ inſtitutum neceſſarijs, hæc habet. De ſtudijs porrò hoc ſolùm indicabo, quod mihi aliquando Illuſtriſs. Maggius vir ſingulari prudentia & eruditione præſtans dixit Noſtræ Religionis alumnos tali rerum notitia debere eſſe præditos, vt ipſomet dœmone doctiores ſint, quandoquidèm cum illis aſſidua contentione agendum ſit, & hoc quidem non ſolùm vt in priuatis ædibus perfectè munus noſtrum obeant, in quibus non rarò viri ſcientiarum profeſſores, Prælatura, & alia quacunque dignitate inſignes moriuntur; ſed etiam

in vita P. Camilli.

in No-

in Noſocomijs, vbi ſæpiſſimè reperiuntur ægrotantium conſcientiæ valdè implicatæ, grauiterquè periclitantes.

ADNOTATIO VIII.

Modeſtia conſpicuus eſſe debet, qui in priuatis ædibus moribundis adſtat ad opem.

PLura ſuadent modeſtiam maximè neceſſariam eſſe ei, qui officio adiuuandi morientes cupit rectè fungi, & primò cum hic in adeò præſtanti munere Chriſto ſit cooperator, eiuſdem etiam Chriſti debet imitari modeſtiã, qui oculos ſic verecundè demiſſos habere conſueuerat, vt ſi quando opus fuerit illos ſubleuare, tanquàm aliquid nouum Euangelica hiſtoria adnotet. *Cùm ſubleuaſſet* (inquit Io. 6.) *oculos Ieſus*. quem locum expendens Theophylatus ait. *Vt* Ioan. *diſcamus quòd non ſolitus ſit hinc & indè vagari oculis, ſed compoſitus, & attentus ſedere, vt potè docens diſcipulos ſuos diuiniora quædam*. Præterea cum adſtans morienti ſibi certò perſuadere debeat Deum habere præſentem, tanquam pri- Theoph.

marium auxiliatorem, certè modeſtiam talem ſeruare debet, qualem diuina præſentia exigit, in cuius conſpectu ipſimet Seraphim præ reuerentia alis faciem velabant, vt fuit demonſtratum Iſai. 6. Studioſiſſimus etiam modeſtiæ debet eſſe, qui ad infirmos, & morientes ſolet accedere, vt ſibi caueat, niſi enim aduigilet in cuſtodiendis oculis, plura habebit obuia pericula ex aſpectu circumſtantium fœminarum; ſunt enim oculi ad turpem concupiſcentiam ilices, & in his, vt poetæ dixerunt, Cupido excubans ſuas ſagittas iaculatur. Vnde
Virgil. Maro cecinit

Vt vidi, vt perij, vt me malus abſtulit error.

Clem. Alex. conſonat effatum Clem. Alex. lib. 3. pedag. cap. 11. dicentis. *Cùm per eos* (ſcilicet oculos) *cupiditas ineat prima pugnæ præludia, ante totum enim corpus corrumpuntur oculi*; & appoſitè confirmat D.
D. Hieron. Hieron. expendens illud Iob. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt nè cogitarem de virgine. Nè prius quidem* (ait) *incautè aſpiceret, quod poſtmodum inuitus amaret,*

nam

nàm ſemel ſpecies forma cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis manu ſoluitur, intueri nō debet, qđ nō debet cōcupiſci, & mūda mēs in cogitatione ſeruetur, deprimēdi ſunt oculi, quaſi quidam raptores ad culpam. Eleganti etiam metaphora D. Chryſoſt hom. 20 in Gen. aduertit quātum in lubrico periclitatur, qui effrenes non cohibet oculos. *Oculi* (inquit) *eſt videre, malè autem videre à mente eſt, poſtquam autem hac negligens eſſe, & habenas laxare cœperis, quemadmodum auriga neſciens indomitorum equorum ferociam compeſcere, & equos currum trahentes, & ſe ipſum in praceps ire facit, ſic & voluntas noſtra.* Quarè quilibet quamuis obfirmatiſſimum contra laſciuientem appetitum animum geſtare ſibi videatur, tamē magna indiget cautione, & diligenter exequi debet, quod D. Aug. in Regul. 3. cap. 21. ad finem primi Tom. præſcribit. *Ocul.* (inquit) *veſtri, etſi iaciuntur in aliquam fœminarum, defigantur in nulla.* Demùm modeſtia elucere debet in inuiſente infirmos, & morientium auxiliatore, quia ad eius etiam munus ſpectat circumſtantes ædificare, modeſtia

D. Chryſoſt.

D. Aug.

autèm

autèm externa, cùm optimum Chriſti odorem diffundat, & ſit index internæ puritatis, & animi pluribus virtutibus exornati, eiuſdem puritatis, & cæterarum virtutum amorem in alijs excitare ſolet. Hanc vim modeſtiæ feliciter expertus fuit Seruus Dei Pater Camillus de Lellis Religionis noſtrę Fundator, qui antequàm ſtatum religioſum eligeret, videns aliquando duos Fratres ordinis S. Franciſci demiſſis oculis, inceſſu decoro prætereuntes, adeò ex eo conſpectu fuit compũctus, vt ad meliorem vitæ frugem ſe recipere decreuerit votumque eius sãcti Ordinis ingrediendi nuncupauerit. Immò vnius viri modeſti præſentia tantæ eſt efficacitatis, vt ipſis etiam mulierculis impudicis vel frænum inijciat, vel eas confundat. Vndè Palladius in vita D. Chryſoſtomi, *Infelicia* (inquit) *ſcorta ex ipſo oculorum motu pudicos agnoſcũt, & fugiunt viros, non ſecùs ac infirmus oculus Solis iubar, & vultur vnguentum.*

Pallad.

CA-

CAPVT TERTIVM

De modo cum infirmo procedendi, antequam agonizet.

ADNOTATIO I.

Inuiſendus eſt infirmus quandoquè amicitia prætextu.

POterit Sacerdos infirmum beneuolis verbis, & voce blanda alloqui, v. g. ſaluè N. N. non alia de cauſa hùc veni, niſi quia nunciatum mihi fuit te non benè valere; quamobrèm partium mearum eſſe exiſtimaui in neceſſitatibus veræ charitatis, & amicitię Chriſtianæ, quæ inter nos eſt, certa indicia, & ſigna exhibere. Ad perfectam ſiquidèm charitatem ſpectat, vt Apoſtolus docet; *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*, & neceſſitatibus Sanctorum, ideſt fratrum noſtrorum communicare, & cũ infirmis infirmari. Quod etiam Ethnici ex parte cognouere dicentes: *Amicorum* *Ad Ro. 12.* *Ethn.*

rum omnia eſſe communia. Certum autèm amicitiæ experimentum eſſe, ſi proſpera recedente fortuna non recedat paritèr amicus; Vide igitur nùm in re aliqua tibi prodeſſe poſſim, & libentiſſimè, habita ratione mei ſtatus, operam meam impendam. Maximè autem illud deſidero, ſi quo modo poſſum, aliquid tibi gratiæ ſpiritualis impertiri. His vel ſimilibus verbis prolatis expectandũ eſt, quid infirmus reſpondeat, & ſi vlterioris ſermonis occaſionem præbeat, intèr alia, quæ ſequenti capite ſubnectam, proponi poterunt. Verùm quia ſæpè euenit, vt infirmus vrbanitèr quidèm excipiat inuiſentem Sacerdotem, ſed illum quamprimùm inſtigante dæmone dimittere volens dicat hæc, vel ſimilia; Gratias tibi ago Pater, affectum erga me tuum probo, ſed nùnc graui moleſtia afficior, & vix loquentem ſuſtinere poſſum, ſpero tamen breui me futurũ ſanum, & interim ſi opus fuerit te accerſitum curabo. Vale.

In hoc caſu valdè cauendum eſt, nè in aliquam turbationem animus concitetur infirmi, ſed ſi nullum immineat periculum,

riculum, & prudentèr iudicetur commodè in aliud tempus, quæ ad ſalutem neceſſariò pertractanda ſunt, poſſe differi, quieſcendum tùnc eſt. Quarè Sacerdos tùnc manu ſuprà caput ægroti eleuata dicat orationem pro infirmis ab Eccleſia aſſignatam, compatientiſque affectus ſigna oſtendens, ſe pro illo Dei, & Sanctiſſimæ Virginis auxilium imploraturum, & ſequenti die, ſi illi gratum erit, rediturũ polliceatur, atque ità diſcedat.

ADNOTATIO II.

Accerſitus ad inuiſendum infirmum probata vita præcipuè ſtudere debet, vt ea, quæ illi conſolationi eſſe poſſunt, ſuggerat.

QVi conſolatoris munere fungitur, Primò aliqua de cõformitate noſtræ voluntatis cum diuino beneplacito innuet, & præcipuè quantùm Deo placeat homo, qui huic exercitio inuigilat. Vndè Dauid vir iuxtà cor Dei dicitur. *Quæſiuit Dominus virum iuxtà cor ſuum.* 1. Reg. 13. quia à diuina voluntate nunquam reſiliebat, ſemper illi conſentiens. 1. Reg.

D.Chryſoſt. quod ègregiè adnotauit D. Chryſoſt. homil.de Dauide,& Goliath. *Dauid (*inquit*) ſanctiſsimus homo ſecundum cor Dei, quidquid Deus cogitat, gerit, quidquid mēte concipit, perficit. Dū* (inquàm) *Dauid cordi Dei cor propriū iungit, & menti eius mentē ſuā adnectit; hoc eſt vt, quæ Deus vult, velit, et quæ non vult, ſimiliter nolit, ſic eū Dominus indiuiduo amore, et coniuncta charitate dilexit.* Ad hanc verò cōformitatē faciliùs allicit diuinæ prouidentiæ conſideratio, quæ ſuauitèr omnia diſponit, & ad omnes homines ità ſe extendit, vt nullius obliuiſcatur etiam viliſſimi, & abiectiſſimi, vt enim ait ſapiens. *Puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter illi eſt cura de omnibus*. Sap. 6. & ità etiā

Sap. attemperat ægritudines, quoàd numerū, qualitatem, intenſionem, & durationes earum, vt cognita natura, diſpoſitione vniuſcuiuſquè noſtrum, non permittat vt morbo aliquo affligamur vltrà vires noſtras diuina ope munitas; quarè noxius humor, qui caput excruciat, vel manum, vel pedem, non poteſt ad alias partes effluere, aut augeri, aut plures horas, aut longiores morulas perdurare, quàm

Deus

Deus præſcripſerit, & ſimilitèr ab eiuſdem diuinæ prouidentiæ ordinatione omnes euentus curationis pendent; quarè quòd medici, quid applicandum ſit pro recuperanda ſalute infirmi, agnoſcant, vel ignorent, medicatæ potiones opportunè parentur, vel alia pharmaca apta, vel inepta adſint, non caſu ſit reſpectu Dei, qui his omnibus rebus, & circumſtantijs vtitur pro aſſecuratione finis, quem intendit; Rectè enim monent diuina oracula, quòd *à Deo eſt omnis medela*. Eccl. 36. *Vita, & mors à Deo ſunt*. Eccl. 11. *Percutit, & ſanat, mortificat, & viuificat*. Oſe. 6. *Deducit ad ſepulchrum, & reducit*. 1. Reg. 2. Quarè infirmo ſuggerendum erit, cùm hæc omnia à Deo potentiſsimo, ſapientiſſimo, & amantiſſimo Patre ità minutiſſimè decreta eueniant, non modò æquo, ſed hilari animo accipienda eſſe; & cum S. Iob. ſæpius iterare. *Dominus dedit* (ſcilicet ſanitatem) *Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ità factum eſt, ſit nomen Domini benedictum*. Plurimum etiam ſolaminis afferet infirmo in rebus ſpiritualibus exercitato in memoriam eius reuocare,

Eccl. Oſe. 1.Reg. Iob.

maximè ſi hic dolore aliquo excrucietur, quòd viri iuſti, ità Deo ordinante, affli-ctantur aliquando, vt poſteris præclara patientiæ exempla relinquant. Sic Deo diſponente Ioſeph in Aegyptum ductus, carceris,& vinculorum acerbitatem pertulit, vt ſuo exemplo Iudæi longo poſt tempore ab Aegyptijs opprimendi, ad moderatè tolerādam illam vexationem animarentur. Sic Iſaac,& Tobias à Deo videndi facultate priuantur, vt alij, qui in ſimile infortunium inciderent, animo non conciderent, & in deſperationem nō
Tob.2. prolaberentur. Vndè illud Tobiæ, *hanc tentationem ideò permiſit Dominus euenire illi, vt poſterioribus daret exemplū patientiæ eius, ſicùt & Sancti Iob*. Tob. 2. Si ergò vult Deus, vt aduerſitatibus, & doloribus agitentur viri fortes, nè imbecilles intèr ærumnas, aut infirmitates exanimentur; ſtrenuè agendum tibi eſt, vt poſteris egregia patientiæ exempla proponas, & tibi gaudendum eſt, quòd ad hunc finem adeò excelſum à Deo ſis electus.

Similitèr maximum ſolatium eſſe debet ijs, qui afflictantur, mentis oculos con-

conijcere in acerbiſſimos cruciatus, quos Chriſtus pro nobis pertulit. *Ipſe enim* (vt inquit Bernard. ſerm. 11. ex paruis) *tanquam pius & laudabilis medicus priùs bibit potionem, quam parabat ſuis, ideſt paſſionem, & mortem ſuſtinuit, & ſic ſanitatem immortalitatis accepit, & impaſſibilitatis, docens ſuos, vt confidenter biberent potionem quæ generat ſanitatem, & vitam.* Quarè ſi Chriſtus calicem paſſionis priùs ebibit, vt ſuo exemplo faciliorem redderet quemlibet fidelem ad dolorum, & moleſtiarum quarumcunquè calicem hauriendum, certè nimis à Chriſti palæſtra reſiliret, & propriam animæ ſalutem negligeret, qui nauſea ad talem hauſtum torperet. Rectè Bernardinus Senenſis ſerm. 5. de omnibus Sanctis. *Pudeat* (inquit) *ſub ſpinato capite membrum fieri delicatum.* Quarè mi frater dùm mente peruoluimus Chriſtum flagellis laniatum, ſpinea corona cruentatum, cruci affixum, pareſt vt mira quædam patiendi appetentia in nobis ſuſcitetur, & acuatur.

Bernard.

Bernard. Sen.

ADNOTATIO III.

Infirmus recentèr iacens, qui vitam peccatis implexam traduxit, etiam ſi periculosè non laboret, admonendus tamèn eſt, vt per talem ægritudinem agnoſcat ſe à Deo animaduerti, vt reſipiſcat.

PRoponendum primò eſt tali infirmo, morbum, quo affligitur, non à caſu, & fortè fortuna accidiſſe, ſed Dei ordinatione, qui curã omnium habet, qui ſapientiſſimus eſt, qui nihil fruſtrà nihil temerè agit, qui vnũquẽquè noſtrũ magis amat, quàm parentes proprios filios ament, qui longo interuallo, & patris pietatem, & matris curam ergà nos ſuperat: de qua re diximus aliqua, adnotatione præcedenti. Intèr alios autèm fines, quos Deus intendere ſolet, quando infirmitate peccatorem proſternit, eſt illius conuerſio. Prou. Quod ſapiens indicauit Prouerb. 20. *liuor vulneris abſterget mala, & plaga in ſecretioribus ventris.* Quia dùm peccator percutitur vulnere, vel morbo, illa excitatur afflictione, eorum, quæ malè geſſit, recordatur, atquè per pœniten-

tiam

tiam illa expiat. Hùc reſpicit illud Dauid Pſal. 131. *conuerſus ſum in ærumna mea, cum configitur ſpina.* Spina enim eſt quæcunquè afflictio, quæcunquè ægritudinis moleſtia, quæ pungit ſenſus, vt compungatur animus, quicunquè autèm ſentiens pœnam corrigit culpam, is dicere poteſt. *Conuerſus ſum in ærumna mea, cùm configitur ſpina.* Satis nota eſt hiſtoria de quodam Leone, qui ad Sanctum Eremitam confugiens inſtàr blandientis catuli illum demulcens, pedem ſpina transfoſſum demonſtrauit, aſpectu ſubmiſſo innuens curationem ab eo poſtulare. Sed quis ferocientem Leonem adeò blandum, & mitè deprecabundum reddidit? Nonnè ſpina pedem cruentās? ſic ſpina infirmitatis peccatorem de patratis culpis dolentem, & antè tribunal diuinæ miſericordiæ veniam implorantem ſæpè inducit. Appoſitè D. Chryſoſt. hom. 5. ad populum. *Aegritudines* (inquit) *& preſſura nos docent, etenim & paupertas cohibet, et mulcta caſtigat, et periculū cohibet, & multa huiuſmodi alia; non terret te magiſter, non pater, nō princeps, nō legiſlator, nō iudex, non te confundit amicus, nō*

Pſalm.

D. Chryſoſt.

mor-

mordet inimicus, non caſtigat Dominus; non docet maritus, non corrigit conſcientia, ſed ægritudo ſuperueniens ſæpè correxit. Inuiſens ergò infirmum flagitioſæ vitæ, quantùm poteſt, illum vrgeat, vt nolit obdurato corde in via iniquitatis perſeuerare, aliòquin qui infirmitate à Deo correptus vitam deteriorem in meliùs commutare firmitèr non proponit, de eius ſalute valdè dubitandum eſt; nullum enim, vel ferè nullum illi ſupereſſe videtur remedium, & ſic etiam Dei punitio non ceſſabit. Signatè enim S. Chryſoſt. hom. 3. ad populum, *Poteſt* (inquit) *Deus omnia grauia ſtatim ſoluere, ſed donèc viderit conuerſionem, non diſſoluit tribulationem, etenim aurifex, donèc aurum benè purgatum viderit, de conflatorio non extrahet; ſic & Deus non abſcindit tribulationem, donèc emendetur. Opus igitur noſtrum eſt ad virtutem immutari; Dei verò malis vrgentibus ſuo tempore finem dare; etenim ipſe magis, quàm tu, qui tentaris, incendium extinguere vult, ſed ſalutem tuam expectat.* Si autem adhùc infirmus tantæ peruerſitatis ſit, vt prædictis monitis non compungatur, illi ſuggerendũ erit,

D. Chryſoſt.

erit, quòd tali obſtinatione Deum ad grauiores pœnas infligēdas prouocabit, & inculcandum illi erit graue periculum æternæ damnationis, quod illi imminet, moralitèr enim loquendo de illius ſalute valdè dubitandum eſt, qui infirmitate correptus non reſipiſcit.

ADNOTATIO IV.

Infirmus hortandus eſt, vt præſcripta à medico pharmaca ſumat, ità tamen, vt præcipuam ſanitatis recuperandæ ſpem in Deo reponat.

CVm prudentia dictauerit, inſinuandum erit infirmo, vt medicamenta non ſpernat; etenim *Altiſsimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam*. Eccl. 38. verùm licèt Eccli humana media, & corporalia remedia adhibenda ſint, vt quis ab infirmitate liberetur, præcipua tamen fiducia non eſt in illis collocanda, ſed in Deo, ad quem confugiendum tanquàm primarium optimæ valetudinis largitorem. Qua in re cautos nos reddere debet miſerandus euentus Ochoziæ, qui morte punitus fuit, quia

quia dùm infirmus iaceret, noluit ad Deum recurrere. *Numquid non eſt Deus in Iſrael, vt eatis ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron? idcircò ſuper lectum, quem aſcendiſti, non deſcendes, & mortuus*
4. Reg. *eſt iuxtà ſermonem Domini.* 4. Reg. 1. Et meritò Deus eripiendo vitam, vitæ Dominum ſe declarauit Ochoziæ, qui eundem Deum vitæ Dominum, & largitorem noluit agnoſcere. Sic etiam grauitèr obiurgatur in Sacris paginis impius Rex Aſa, quia cùm ægrotaret dolore pedum vehementiſſimo, nèc in infirmitate ſua quæſiuit Dominum, ſed ma-
2. Paralip. gis in medicorum arte confiſus eſt. 2. Paralip. 16. Sapientis ergo conſilium ſequi debemus dicentis, *Fili in infirmitate tua nè deſpicias te ipſum, ſed ora Dominum, & ipſe curabit te, auerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.*
Eccl. Eccl. 38.

AD-

ADNOTATIO V.

Periculoſè ægrotans, & confidens nihilominus ſe conualiturum, confirmandus eſt in concepta fiducia Deo innixa, & admonendus eſt, vt ſe diſponat ad obtinendam, quam ſperat à Deo ſanitatem, & demùm aliquid illi de debita reſignatione inſinuandum.

HAec, vel ſimilia tali infirmo ſuggerere poterit Sacerdos; laudo, & probo tuam prudentiam, & animi fortitudinem, atquè magnanimitatẽ, quòd in tam graui infirmitate ſpem conualeſcendi non amittas, quodquè animo non deijciaris, magnanimi enim viri eſt magnos labores, & dolores non magnifacere, & in rebus arduis, & difficillimis animum non deſpondere, ſed ſemper ſperare. Quod multò laudabiliùs facit, qui Chriſtiano animo, vt de tua pietate mihi perſuadeo, non in proprijs viribus, vel in alia re temporali finitæ virtutis temerè confidens, morbum quantumlibet grauem, & medicorum iudicio ſatis periculoſum, & difficilem curationem ſuſtinentem

nentem pauci facit;ſed in Deo,qui eſt ſapiétiſſimus,& potétiſſimus nō tantū animarū, ſed & corporū medicus nobis è cęlo miſſus,huius enim medici potétia quid verebitur, cùm omnia medicinalia ipſe creauerit? & ſicùt virtutem efficiendi ſanitatem & alios ſalubres effectus herbis, oleo, aquis, & lapidibus, immò & animalibus dedit, ità etiam poſſit inditam virtutem augere, & ſi opus fuerit omninò immutare. Immò cùm ipſe ſit naturæ auctor non eſt legibus naturę ſubiectus;imperat ventis,& mari, & obediunt ei, imperat febri, & relinquit ægrotum, imperat lepræ, & mundatur leproſus. Quòd ſi ſerpens æneus, qui erat Chriſti figura, vix dùm aſpectus ſanabat à ſerpétibus vulneratos, quantò magis cum fiducia aſpicientes in eum ipſe ſaluabit, & liberabit ab omni infirmitate; & ſi Apoſtolis, & credentibus in eum id contulit, vt languores omnes curarent, idquè non niſi eius nomine inuocato, immò etiam ſæpè ſola obumbratione, aut veſtium contactu. Quis dubitabit, an poſſit à Chriſto liberari? Sed & ſi voluerit, non tantùm conueniētèr ſecundum naturam

inſtru-

inſtrumentis patienti applicatis ſanitatē afferet, vel ſine vllo medio ſola prorſus ſua voluntate; immò etiam per contraria media, & inſtrumenta idipſum poterit; fecit lutum ex ſputo, & liniuit oculos cæci nati, morte propria mortem occidit; per Crucem de principe huius mūdi triūphauit; nec ſolùm quaſdam infirmitates curare poteſt, ſed omnes, quod nullus hucuſquè potuit. Reuocare enim poteſt de morte ad vitam. *Qui enim credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet; Lazare veni foras.* Io. 11.

Quòd verò potentiſſimus hic, & benignus medicus ſit & promptus ad ſalutem concedendam, ſi ea ad maiorem eius gloriam, & noſtram ſalutem conducat; Argumentum certum eſt, quòd in charitate perpetua dilexit nos, & amantiſſimo Patris nomine vult à nobis nuncupari. Optimè igitur facis, & optimam partem elegiſti, nè tua te ſpes decipiat. Quis enim vnquàm in illo ſperauit, & confuſus eſt? cæterùm nè in eum fruſtrà ſperare videamur, vel potiùs præſumere, quàm confidere iudicemur, illud curandum eſt, vt in primis illius gratiam, &

amici-

amicitiam conciliemus. Porrò diuinam amicitiam acquirimus, & corroboramur per gratiam, quæ per actus compunctionis, & ſacramentorum vſum confertur; fruſtrà enim gloriatur peccator de diuina protectione, cùm *odio ſit Deo impius, & impietas eius*. Sap. 14. & Prouerb. 10. ſcribitur, quòd *ſpes impiorum peribit; Deſiderium impiorum*. Pſal. 7. Eccl. 12. *Altiſsimus odio habet peccatores*. Verùm quia nimia ſpe vitæ temporalis fretus æger non ità ſeriò ſe diſponit ad cōſecutionem æternæ vitæ, proponendum illi eſt, debere quidèm ſperare, & poſtulare ſanitatem à Deo, cum debita tamen reſignatione in eius beneplacito, à quo homo nunquam debet reſilire, maximè cùm nullus noſtrum ſcire poſſit, quid nobis magis expediat, valetudo, an infirmitas, viuere, vel mori potiùs hoc, vel illo tempore. Quarè omni cordis affectu dicet. Pater amantiſſime totus tuus ſum, par eſt, vt tua voluntas in me fiat. Domine fac de me iuxtà tuum abſolutum beneplacitum.

Sap.
Prouerb.
Pſal.
Eccl.

AD-

ADNOTATIO VI.

Suadendum eſt infirmo omni poſt habito humano reſpectu, maximè ſi grauitèr ægrotet, vt peccata per ſacramentalem confeſsionem expiet.

QVantùm neceſſe ſit, vt infirmus cõfiteatur, colligi poteſt ex eo, quod Eccleſia diſtrictè præcipit Medicis, vt ad medendum ægroto decumbenti accedẽtes, eum antè omnia moneãt, vt confiteatur; Quod decretum fuit innouatum à Pio V. anno 1566. Motu proprio quod incipit. *Supra gregem Dominicum*, addit etiam præcepto nè Medici vltrà tertium diem ægrum inuiſant, niſi per Cõfeſſarij ſcriptum ipſis de infirmi confeſſione fides fiat, niſi Confeſſarius ex iuſta cauſa longius tempus infirmo concedendum iudicet. Præcipit etiam Vniuerſitatibus, & Collegijs, vt cùm licentiam medendi alicui conceſſerint, aut ad doctoris gradum promouerint, exigant ab eo iuramentum prædicta ſeruandi; Et re vera Medici tali iuramento ſe obſtringunt; & Innoc. 3. cap. *Cùm infirmitas*, *Pius V.* *Innoc. 3.*

tranſgreſſoribus grauem etiam iniungit pœnam, nempè vt ab Eccleſiæ ingreſſu arceantur; & Pius V. perpetuam infamiam, ac gradus priuationem, & à Medicorũ cætu eiectionem, & pœnam pecuniariam arbitrio Ordinarij taxandam ſuperaddit; Et hoc eſt ſeruandum à Medicis non ſolùm in morbis periculoſis, ſed etiam grauibus, quando nimirùm infirmus cogitur decumbere, ſecus autèm ſi ex ſolo impedimento podagræ iaceret, niſi per nouas fluxiones in partibus ſuperioribus periclitaretur iudicio Medici. *Caiet.* Pro hac parte eſt Caiet. in ſum. verbo *Tabien.* *Medicus* ad finẽ. Tabien. verbo *Medicin.* *Suar.* quæſt. 12. num. 13. Suar. tom. 4. in tertiã partem diſp. 35. ſec. 3. num. 4. An verò ſit deſerendus à Medico infirmus pertinacitèr renuens confiteri, dicemus infrà lib. 2. cap. 1 quęſito 40. Verùm licet partes Medici ſint ſic infirmum admonere, aliquando tamèn obliuiſcuntur eos admonere, aliquando etiam admonitio illorum nihil proficit, conſanguinei verò, & familiares ſæpè non admonent timentes nè nimium turbetur æger, atquè hinc morbus augeatur, ſi iterùm cum eo de

expian-

expianda conſcientia per confeſſionem agatur; qua in re plurimùm dæmonis aſtus cooperantur.

In hoc ergo vel ſimili caſu accerſitus Sacerdos ad viſendum infirmum admonere debet conſanguineos, & familiares illius, ob timorem conijciendi ægrotum in mærorem, aut in morbi incrementum, non eſſe deſiſtendum ab officio admonēdi, & hortandi eum, vt peccata confiteatur; potiùs enim auertere debemus pericula amittendæ ſalutis animæ, quàm valetudinis corporis, & ratio prudentiæ dictat, vt anteponamus ſecuritatem vitæ æternæ, dubiæ, & incertæ ſpei recuperandæ ſanitatis. His ità præmiſſis.

Accedet Sacerdos ad infirmum, beneuolè, & amantèr eum alloquatur; aliqua ad exhilarandum animum, habita ratione ſtatus, & diſpoſitionis infirmi ſuggerat; deindè proponat animi quietem, & mentis tranquillitatem maximè conferre ad ſedandos, & ad bonam temperiem reducendos malè concitatos corporis humores; hanc verò ſerenitatem internam non poſſe conſiſtere cum conſcientia peccatis agitata, quarè opus eſt, vt confeſ-

ſione expurgetur. Addat peccatum eſſe maximam miſeriam, immò miſeriarum omnium primariam originem, & quo diutiùs in nobis immoratur, eò maioribus malis nos ſubiectos detinere; quarè per ſacramentalem confeſſionem debet citiſſimè eijci. Et ſi infirmus ſic admonitus adhùc pertinax in renuenda confeſsione perſiſtat, ſubdere poterit Sacerdos, quòd Deus ſæpiſsimè homines infirmitate percutere ſolet in pœnam admiſſorum ſcelerum. Quod ipſe Chriſtus Saluator noſter indicauit Paralytico à ſe ſanato dicens. *Vade noli ampliùs peccare,*
Io. *nè deterius tibi aliquid contingat.* Io. 5. vndè manifeſtum eſt in morbis recurrendum eſſe ad remedia aduersùs peccata, quæ ſunt conuerſio ad Deum per pœnitentiam, & debitus ſacramentorum vſus. Qui verò animam gaudet habere infirmam, cùm in promptu ſit medela, qua illam ſanitati poſsit reſtituere, meretur, vt corpore quoquè ſit adeò infirmo, & ſaucio, vt nullis vnquàm remedijs curari valeat. Deniquè plurimùm preces apud Deum pro conuerſione huiuſmodi infirmi iuuabunt.

AD-

ADNOTATIO VII.

Hortandus eſt infirmus, vt non differat confiteri, niſi ob fines, quos prudens confeſſarius iuſtos iudicauerit.

SI infirmus in aliquam horam ſibi cõmodiorem, vel vt diligentiori examine ſe præparet, velit differre confeſſionem, nullumquè delirij, aut mortis immineat periculum, permittendum illi eſt, & tempore opportuno redeundum ad audiendam (niſi velit alij idoneo Sacerdoti confiteri, qua in re libertati ſuæ relinquendus eſt) confeſſionem. Verùm ſi nulla ex aſsignatis, vel alia rationabilis cauſa confeſſionis procraſtinandæ adſit. Suggerendum tùnc erit, quòd in rebus magni momenti differre ſemper nocuit; in morbis nulla diligentia omittitur, nulla mora interponitur, vt opportuno tempore medicamenta applicentur, cùm tamen vita ſolùm corporis, quæ tandèm amittenda eſt, periclitatur; at in expianda per confeſſionem conſcientia licebit nè procraſtinare? nonnè per huiuſmodi moram in diſcrimen adducitur vita ani-

mæ? Aeterna felicitas? Proponendum etiam eſt ei, quòd Deus quidèm pænitenti pollicitus eſt indulgentiam, nulli autèm diem, vel horam vitæ promiſit; quarè nullus ſanæ mentis peccatorum reus nè per temporis quidem punctum differre debet confiteri, & hoc maximè cùm morbo laborat, variæ enim, & ſubitæ mutationes, & inopinati ſunt morborum euentus. Delirium poteſt, & ſubita mors contingere, vndè nimis vecors, nimis ſtolidus, & præſtigijs huius mundi deceptus, qui ſibi in re adeò periculis plena non ſtatim cùm poſſit ſibi cauet. Iuuabit etiam diuinam vltionem comminari, v. g. quòd aduertat Deum facilè permittere poſſe in pænam tantæ retardationis, & proteruiæ, vt cùm voluerit confiteri, non poſſit, quia vel confeſſarij copia non aderit, vel ipſe loquelam amittet.

Si animaduertat Sacerdos infirmum velle differre confeſſionem, quia vel ob morbi moleſtias, vel ex alio capite laborioſa nimis videtur, illum debet animare, vt difficultati, quæ à confitendo retardat, non ſegnitèr, ſed ſtrenuè nùnc repu-

repugnet, quia ſemper procraſtinatione maior fiet, & qui non vult hodierna die viriliter aggredi egregium facinus, minus valebit craſtina. Is, qui ob ignauiam peccata confiteri procraſtinat, ſimilis eſt herinacio, cuius animalculi ea eſt natura, vt difficultati pariendi cedat, dùm enim pungitur ab aculeata prole, quam vtero geſtat, partum in dies differt, vt conceptæ prolis aculei in maiorem duritiem concreſcentes, acerbiùs eius viſcera feriant, grauioremquè pariendi difficultatem efficiant, quam cùm ſuperare ſtrenuè non conetur, morti tandèm ſuccumbit. Ità qui conſcientiā peccatis grauidatam habet, quò diutius per Sacramentalem confeſſionem exonerari ex infelici conceptu differt, eò acrius impia proles lædit, & illius propulſatio difficilior euadit, & mors ſæpè partum præuenit.

Demùm Sacerdos polliceatur opem ſuam paratiſsimam, qua in memoriam peccata reuocabit, faciliorquè reddetur confeſsio.

ADNOTATIO VIII.

Adiuuandus quandoquè eſt infirmus, nè ob verecundiam renuat confiteri, vel non integrè.

PVdor aliquandò nonnullos, & faciliùs quidem mulieres, & adoleſcentes deterrere, aut retardare ſolet à confitendis patratis delictis, quòd ſi huius verecundiæ indicia aliqua in infirmo agnoſcat Sacerdos, eum beneuolis verbis ad fiduciam excitabit, variaſquè rationes proponet, quæ huiuſmodi pudorem imminuere poſſunt. Dicat ſe optimè noſſe quantùm humanę fragilitati compatiendum, ſubdat arctiſſimum, & nullo caſu frangendum ſigillum, quo peccata in confeſſione manifeſtata conteguntur. Addat pudorem potiùs ad peccantem, quàm ad confitentem pertinere, vt ſapientiſsimè monuit D. Ambroſ. lib. 2. de pœnit. cap. 10. *Nihil eſt* (inquit) *quod pudori eſſe debeat, niſi non fateri, cùm omnes ſimus peccatores, vbi ille laudabilior, qui humilior, ille iuſtior, qui ſibi abiectior.* Simile eſt effatum Theodoreti de prouid. lib. 10. de ora-

D. Ambroſ.

Theodor.

de oraculis. *Nullus* (ait) *pudor voſà confeſſione remoretur, neque enim pudẽda eſt peccati cõfeſſio, ſed ꝑpetratio.* Indicet hãc eſſe vafri dæmonis calliditatem, vt pudorem, quo à peccatis homines retrahẽdi eſſent, ad tẽpus confeſſionis transferat, vt ab illa retardentur, quod optimè adnotauit D. Chryſoſt. proemio in Iſaiam. *Cùm noſſet* (inquit) *Satanas, quia peccatum verecundiam habet, pœnitentia fiduciam, ordinem reprobus permutauit: pœnitentiæ dedit verecundiam, fiduciam peccato.* Præterea non leue argumentum eleuandi huius pudoris eſt, ſcire quòd accuſat ſe apud alium hominem peccatis obnoxiũ. Quod benè perpendit D. Aug. lib. de vera, & falſa pœnit. cap. 19. *Non erubeſcat* (ait) *peccator confiteri peccata peccatori; ſi enim Sacerdos peccare non haberet, erubeſcere poſſet, qui peccata ſua ei manifeſtaret.* Demùm ſi tantùm præualet pudor, vt auertat hominem, nè peccata ſua vni homini fateatur, quis non horrebit confuſionem illam, qua afficiendus eſt, cùm æternæ damnationis ſententiam ſubibit, qui ob verecundiam ſacramentalem cõfeſſionem omittit. Quarè quiſquis ſapit,

D. Chryſoſt.

D. Aug.

pit,

pit nè coram multis æternùm erubeſcat, non effugiet exiguo tempore coràm vno tantùm aliquantulùm erubeſcere. Difficultates quędam circà infirmorum confeſsiones enodabuntur infrà cap.1.lib.2.

ADNOTATIO IX.

Diſponendus eſt infirmus periculoſè laborans ad deuotè ſumendam Euchariſtiam.

SI animadertat Sacerdos infirmum remiſsè, & negligentiùs ſe gerere in ijs, quæ ad ſalutem animæ conferunt, nèc vllam appetentiam Euchariſtici panis indicare, illum primò admoneat obligationis communicandi tempore, quo quis periculoſo morbo ægrotat, vt conſtat ex Conc. Çarthag.4.cap.77.& 78. quarè nõ ſolùm magnum eſſet ſcandalum, ſed etiã meritò de ſtatu animæ ſuæ ſuſpectus haberetur, qui voluntariè negligeret imminente periculo, vel articulo mortis viatico refici. An verò obliget pręceptum diuinum ad ſumendam Euchariſtiã in periculo mortis, dicam infrà cap. 4. lib.2. Poterit ergò Sacerdos hæc proponere

Conc. Carthag.

nere infirmo. N. N. tibi omni ſtudio curandum eſt, vt appetentia Euchariſtici cibi acuatur in te. *Eſurientes enim implet bonis*. & licèt hic ſit panis filiorum, tamèn ad exemplum filij prodigi, & mulieris Cananeę ad eum ſubmiſſo animo accede; & dic. *Pater mi nō sũ dignus vocari filius tuus. Sed & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum*. Supremæ maieſtati Dei, quem in Euchariſtia recipere intendis N.N. tria offerre ſacrificia valdè grata poteris; nimirùm ſacrificiũ reconciliationis ad eum pro patratis criminibus placandum, ſacrificium oblationis, & holocauſti, & ſacrificium laudis. Sacrificium reconciliationis (quod appellatur victima ſeù hoſtia pro peccatis) exhibebis, dùm offeres Deo Patri ſanctiſsimam filij ſui humanitatem demiſſam vſquè ad mortem crucis, & proprio ſanguine madentem, vt illo à peccatis noſtris mundaremur, & ira diuina mitigaretur. Sacrificium oblationis, ſeù gratitudinis Deo offeres, ſi corpus, & animam tuam dicabis eiuſdem ſanctiſsimo beneplacito, vt pro arbitratu ſuo de te diſponat, cui non diſſoluendo mancipij vin-

Luc. 1.
Luc. 14.
Matth. 15.

vinculo te alligas. Sacrificium deniquè laudis offeres, ſi in Dei honorē hymnos canes, ſi pro acceptis beneficijs gratias illi referes, ſi nomini eius gloriam & laudem dabis; ad hoc enim per prophetam nos hortatur. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei.*

Pſal. 49.

Allici etiam poterit infirmus ad libentèr communicandum, ſi illi proponantur admirabiles effectus Euchariſtiæ, v. g. augmentum gratiæ, auxilium ad peccata vitanda, ad ſuperandas tentationes, ad excitandam animi deuotionem, & charitatis feruorem, & ſpiritualem conſolationem; ad eneruandas vires inſultantis dæmonis, ad imminuendum mortis timorem; quarè hac, vel ſimili ratione vti poterit Sacerdos. Quid non boni in cibo iſto cœleſti habes N. N. sì ſanitatem cupis, accede ad Euchariſtiam; in qua eum ſumes, *à quo virtus exibat, & ſanabat omnes*. Sì mœrore afficeris, sì dolore cruciaris, accede ad Euchariſtiam, in qua eum ſumes, *qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra*. Maximas ſentis difficultates, accede ad Euchariſtiam, & eum

Luc. 9.

2. ad Corin. 1.

eum ſuſcipies, à cuius virtute roboratus Paulus dicebat. *Omnia poſſum in eo qui me confortat*. Si charitas in te frigida eſt, accede ad Euchariſtiam, quæ charitatem in te accendet; Deum enim ſuſcipies, qui eſt charitas. Vnde rectè Chryſoſt. hom. 6. ad populum. *Sicut auro* (inquit) *liqueſcente, ſiuè manum, ſiuè linguam aliquis immittat, eam ſtatim auream reddit; ità & Euchariſtia pretioſam animam reddit, efferuet quidèm hic fluuius, & igne vehementiùs, ſed non comburit, ſed tantùm quid accepit baptiʒat*. Si dæmonis inſultus times, accede ad Euchariſtiam, in qua eũ ſumes, qui tibi vires & arma ſuppeditabit pro reportanda victoria; huc enim reſpicit illud Dauidis Pſal. 21. *Paraſti menſam in conſpectu meo aduerſus eos, qui tribulant me*. Egregiè ad rem D. Chryſoſt. hom. ad Neophyt. *Prætereà mihi aliam Deus vltrà tutelam dedit armorum, menſam ſcilicet præparauit; vt poſt epularum refectionẽ inimicum poſſim robuſtiùs ſuperare; cùm igitur te poſt conuiuium dominicum viderit inimicus, poſt cœleſtes epulas, tanquàm igne ore Leonis flammãtem fugit omni vento velocior, & cùm cruẽ-*

Ad Philip. 4.

D. Chryſoſt.

Pſalm.

D. Ambr.

tam ſanguine Chriſti linguam tuam de longè ille crudelis proſpexerit, mihi crede, non ſtabit. Si mortis timore concuteris, accede ad Euchariſtiam, in qua ſumes eum, qui mortem vicit, & te ad eam non timendam diſponet. Ambroſ. ſerm. 15. in

D.Chryſoſt. Pſal. 118. dicit hoc ſacramētum inebriare affectus fidelium, vt curam ſæculi huius, metum mortis, ſollicitudinemquè deponant. Si verò infirmus cupidus ſit Euchariſticæ refectionis, & iàm conſciētiam ſuam diligenti examine perſcrutatus, iudicet ſe per ſacramentalem confeſſionem peccatis expiatum (ſuppoſito quòd nullum ſit periculum vomitus, aut indecentiæ ergà Sanctiſſimum Sacramētum, de quibus caſibus dicam infrà lib. 2. cap. 4.) ad Euchariſtiam deuotè ſumendam hortandus erit. Quarè hæc vel ſimilia poterit Sacerdos ſuggerere.

Conſidera mi frater quā magna inurbanitas ſit, ac ingratitudo eorum, qui Dominum hoſpitio recipiunt abſquè debito obſequij, ac reuerentię affectu, ac ſi panis bucellam ſumerent. Iàm optimè noſcis N. N. quod hic eſt ille magnus Dominus, qui cœlum terramquè pro-

crea-

creauit, & ſicut è nihilo vno verbo vniuerſum condidit,ità vno halitu difflare poteſt. Hic eſt abſolutus Rex, & Dominus creaturarum omnium, hic eſt Iudex bonorum, ac reorum, remunerator cunctorum iuſtiſſimus; hic eſt qui intuetur, & perſcrutatur ſecreta cordium, quem nihil latere poteſt; hic eſt, qui omni in loco, & quacunque in re per præſentiam, potentiam, & eſſentiam reperitur. Quarè dic quæſo, ſi magnus Rex, aut quilibet alius Princeps à ſubdito exciperetur hoſpitio, nulla animi ſubmiſſione, nullo debito reuerentiæ, ac obſequij exhibito ſigno, nonnè iurgijs, nonnè flagris, nonnè ſeueriori quacunque mulctatione puniendus eſſet? Itá ſanè. Hanc & maiorem iniuriam infert Deo, qui non ſubmiſſo animo, ac non præmiſſo aliquo deuotionis apparatu ipſum excipit in Euchariſtico Sacramento, ſed ſolito tepore, aut torpore hærens, nihil in tanti Regis aduentu commouetur, & quaſi nullo nouo beneficio fuerit affectus, nulla lætitia afficitur, nullas reddit gratias. Quarè, vt præcaueamus tantum errorem N. N. Par eſt vt intrà te hæc penſites.

Ego

Ego nè in Sacra Communione recepturus ſum verũ Deum in pectore meo? permanſurus ille eſt intrà viſcera mea? Deus meus deoſculabitur, amplectetur me, vnietur animæ meæ,& corpori meo? O! quæ fortunata ſors, ò qualis fauor, ò quale beneficium, quanam ratione me digne vnquam apparabo? Quid faciam, cùm tot peccatorum ſim reus, & cordis mei habitatio tot turpata ſceleribus, & coinquinata criminum ſordibus ſit? quonàm modo, cum virtutum ſim expers, & gratiarum ſpiritualium decore denudatus, potero me, vt æquum eſſet, exornare, vt pro dignitate tantum Dominum ſuſcipiam? Verùm cum nihil aliud peragere poſſim, humillimè ipſum deprecabor, vt mittat Angelos ſuos ad perpoliendum ac concinnandum, & illuſtrandum habitaculum tanto Deo dignum; Et cùm ad me veniet, occuram illi humili corde, ac ſi illum ſpiritu conſpicerem, ad eius pedes humillimè prouolutus dicam. Quæ gratia, quis fauor, quæ miſericordia, quæ benignitas tanti Domini erga miſerum peccatorem? ergo nè ad me venire dignaris? Ah Domine mi

con-

condona quæſo quaſcunquè culpas, quas contrà te admiſi; ah Domine poſtquàm vis ingredi in cubiculum cordis mei illud quæſo ſanctifica; ah Domine nè reſpicias maculas, aut turpitudines meas; ah Domine mi non ſit hæc tua inſignis miſericordia ad punitionem, ſed ad indulgentiam mei reatus, dele priùs meas iniquitates, expurga cor meum, & de reliquo me totum tibi committo. Domine non ſum dignus, non ſum dignus, ſed poſtea quàm ità iubes, ità vis, ecce me, totum cor meum poſſide, quod totum tibi pluribus titulis trado; non ampliùs permittam, vt in illo inimici tui dominentur; contendam pro viribus omnem culpis intercludere aditum; cuperem eo deuotionis & amoris apparatu te excipere, quo inſigniores Sancti te recipere cóſueuerunt. Reſpice quæſo hæc mea vota, hanc oblationem nè deſpicias, mequè tanto priuilegio dignare vt gratiæ tuæ ſignaculo obſignes tanquàm rem omninò tuam.

ADNOTATIO X.

Infirmus, qui nupèr Euchariſtiam ſumpſit, inducendus ad gratiarum actionem, & ad varios deuotionis, & charitatis affectus.

GRatus animus pro acceptis beneficijs gratias reddit, & eò maiores, quò beneficium eſt excellentius, quod ſi ità eſt, quas gratias Deo referre debes N. N. pro adeò inſigni beneficio, quod nupèr accepiſti, dùm ipſemet Deus dignatus eſt ad te venire in Euchariſtico Sacramento. Sicùt Panis, quem aliquandò deguſtauit Elias, Euchariſtici
3. Reg. fuit typus. 3. Reg. 19. Ità ſomnus eiuſdem Eliæ antè, & poſt illius comeſtionem, quid neceſſarium ſit antè, & pòſt ſumptionē Euchariſtici cibi indicauit. Somnus autèm in Sacris paginis etiam orationem valdè attentam deſignat; quod
D. Greg. adnotauit S. Greg. 23. Moral. cap. 20. Huc enìm reſpicit illa adiuratio ſponſi
Cant. diuini Cant. 2. *Adiuro vos filiæ Hieruſalem per capreas, ceruoſque camporum, nè ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam,*

ctam, quoaduſquè ipſa velit. Quià ſicùt dùm homo dormit, ſopiti ſunt, & quaſi ſepulti corporei ſenſus, ità anima dùm ſe diuino alligat arbitrio abdicatis rerum humanarum curis ſuauitèr quieſcit; hinc ergò conſtat orationem, & rerum humanarum abnegationem maximè requiri & antè, & poſt Communionem.

Quarè N. N. poſtquàm eo maiori affectu, quo potuiſti, gratias tanto benefactori egiſti, qui ad te per Sacramentum Euchariſticum venire voluit, debes etiã in ſinu, in vlnis, in gremio eiuſdem Dei ſupremi Domini, & Patris omnium noſtrum amantiſſimi tali affectu te collocare, vt animum omninò auoces à rebus mundi, nèc quidquam ampliùs habeas cum propria voluntate commercij. O' quali quiete, ò quali delicio perfrueris, ſi te in hoc dulciſſimo Dei amplexu huic myſtico ſomno trades.

Poterit etiam aliqua ex his, quæ ſubnectam, vel alia ſimilia ſuggerere prudens Sacerdos prò excitandis in infirmo varijs diuerſarum virtutum affectibus.

N. N. Vide beneficium, agnoſce ho-

H 2 norem,

norem, perpende gratiam, quam nùnc tibi contulit præpotens ille Deus, rerum omnium Dominus, Iudex ſupremus, ad quem ſinè vlla appellatione ſpectat pręmia bonis, vel pęnas reis decernere; non miſit è cœlo aliquem ex Angelicis ſpiritibus, ſed ipſemet venit ad te, nèc à maieſtate ſua, nequè à ſuprema dignitate voluit detineri, & licèt eum ſæpiùs ſceleribus multis ad vindictam prouocaueris, tamèn tot iniuriarum oblitus, benignus, & propitius ad te accedit velo ſacrorum accidentium panis cooperiens diuinitatem, & tegens ſplendorem ſuæ maieſtatis, à qua poteras perterreri. O' grandis Deus, ò grandis amor.

N. N. Non eſt cur ampliùs timeas, animum erigere debes, iàm enim eum tu ſuſcepiſti, qui vitæ & mortis eſt dominus, & ad quem ſpectat abſoluere, vel punire, Paradiſum, vel Infernum darę, cuius præſentia deſtruit quaſcunquè extructas à Dęmone inſidias; illiuſquè vires omninò coercet; non ampliùs ob admiſſa ſcelera timore concutieris; firmitèr ſperare debes ſuppoſita pœnitentia tua, quòd iàm miſericordia diui-

na ti-

na tibi pepercerit, & quòd ſanguine redemptoris noſtri anima tua ab omni iniquitate abluta ſit.

O' quàm apta occaſio, ò quæ opportunitas ſeſe tibi offert N. N. pertractandi negotia tuæ ſalutis, & conſtabiliendi fœdera pacis initæ cum Deo. Confitere iterùm magna animi compunctione Deo crimina, quæ commiſiſti & ad illius pedes humillimè prouolutus fiducialitèr proponas tuas neceſſitates, tuos animi angores aperias, pericula relabendi in antiquas miſerias, & incidendi in laqueos, quos tibi omni momento adſtruit vafer dæmon. Pete deuoto affectu auxilium, ſupplici voce efflagita à Deo per eximiũ fauorem, quem tibi ille per hoc Sacramentum contulit, vt votis tuis annuat. Gratias illi age, eum lauda, eum toto corde dilige pro adeo ſingulari beneficio accepto, fac vt non deficiat vnquàm concentus hic ſpiritualis gratiarum actionũ, & laudum, ſic enim vberiora à Dei bonitate obtinebis pro ſalute tua ſubſidia.

Ecce N. N. iàm pignus glorię, immò & auctorem, & Dominum gloriæ in te retines; par eſt, vt tantum theſaurum ma-

gni facias, reuerentèr cuſtodias, toto cordis affectu venereris, omni obſequio excolas, adores, & arctiſſimo amplexu perſtringas. Dic cum cœleſti ſponſa. *Inueni quem diligit anima mea tenui eum, nèc dimittam.* Profuſus in preces eum exora, ne vnquàm à te diſcedat. dic cum illis diſcipulis. *Mane nobiſcum Domine, quoniàm aduesperaſcit*; & cum Sancto Propheta.. *Nè derelinquas me Domine, nè diſceſſeris à me*, ſed, *intende in adiutorium meum Domine Deus ſalutis meæ, quoniàm tribulatio proxima eſt, & non eſt qui adiuuet.* Ah quæſo nè me deſeras, nè me ſolum derelinquas in tot periculis. Ecce lux obſcuratur, ecce dies vitæ meæ occidit, ecce tenebræ ſuperuenientes, & quē implorabo auxiliarem, ſi tu mihi ad opē non aderis? quis mihi lumen in via lubrica, & tenebroſa præbebit, ſi tu à me, qui es lux vera, diſcedis? Mane, Mane mecum Domine, quoniàm adueſperaſcit.

Cant. 3.

Luc. 24.

Pſal. 37.

Pſal. 21.

Non eſt cùr excidas animo N. N. immò tibi gaudendum eſt, quia recepiſti Eucha riſtiam, quæ eſt donum Dei maximum, & pignus ad ea omnia ſperanda à Chriſto,

ſto, quæ nobis proficua eſſe poſſunt; ſicut enim dixit Apoſtolus. *Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodò cum illo non omnia nobis donabit?* Ad Rom. 8. Sic etiam dicere poſſumus, qui ſe ipſum nobis in cibum, & potum dedit, quomodò non ſecum omnia nobis donabit? *Ad Rom.*

Erige animum N. N. vinces quaſcunquè difficultates, ſuperabis cunctos dæmonis inſultus, diuino enim auxilio armatus es per ſumptionem Euchariſtiæ, eum enim recepiſti, qui dixit. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* eum recepiſti, qui dæmonis vires eneruauit, eum recepiſti, qui dixit. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me*, Et ſi Eliſæus pallio, quod illi dimiſit Elias, aquas Iordanis pertranſiuit incolumis; dubitabis forſan, quòd ope diuini Sacramenti, quod tibi Deus, tradidit, intèr aquas tribulationum dolorum, & periculorum non ſis tranſiturus felicitèr? *Matth. 11.* *Pſal. 49.*

Digitized by Google

ADNOTATIO XI.

Sacerdos accerſitus ad infirmum, qui iàm confeſſus eſt, & Euchariſtiam ſumpſit, aliqua dexteritate ab eo petere debet, vt, an conſcientiam pacatam habeat, recogitet.

Contingit aliquando vt infirmus de repentè confeſſus ſit, quia periculum erat in mora, vel ob graue vulnus nupèr inflictum, vel ob lethale aliquod accidens. Si poſteà morbus protrahatur, vel idem Sacerdos, qui talis infirmi confeſſionem audiuit, vel alius eum admonebit, vt meliùs ſuam perſcrutetur conſciētiā, & videat, an alicuius peccati oblitus ſit, ſubeatquè quod licèt confeſſio facta pro temporis anguſtijs valida fuerit, quia tūc imminente morte aliter fieri non potuit; tamèn non ſublata, ſed veluti ad tempus conſopita obligatio remanſit adhibendi moralem diligentiam, vt quis integrè confiteatur, quandò habet conſcientiam lethalibus peccatis oneratam; de qua obligatione loquitur Conc. Trid. cap. 5. ſeſſ. *Tridem.*

14. de

14. de Sacram. pœnit. *Conſtat enim in Eccleſia nihil aliud à pœnitentibus exigi, quã vt poſtquam aliquis ſe diligentiùs excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortalitèr offendiſſe meminerit*; Et ratio eſt, quia vel ignorantia inuincibilis, vel moralis impoſſibilitas excuſat ab hac integritate confeſſionis, vtraquè autem ceſſat quotiès homo poteſt ad integrè confitendum adhibere eam diligentiam, quæ ſolet adhiberi in re graui, & quæ valdè premit.

Quarè inculcet Sacerdos hanc vrgentém obligationem, vt inducatur infirmus ad diſcutiendam ſuam conſcientiam diligenti examine; at ſi mærore affectus, vel dolore excruciatus renuat infirmus, illũ exhortetur, vt ſaltèm aliqua confiteatur, polliceaturquè, quòd ipſe per interrogationes diſcutiet, & ſupplebit, moleſtiamquè ipſius confitentis morulis interpoſitis leuabit. Idem faciendum eſt, quandò infirmus non eſt tantæ capacitatis, vt ſolus per ſe ſuam conſcientiam perſcrutari valeat, non enim eſt cogendus, vt inuti-

litèr

litèr in eo laboret, & defatigetur, ſed charitate, & induſtria confeſſarij ſubleuandus erit. Si verò Sacerdos, qui prædicti infirmi confeſſionem audiuit per interrogationes, quibus pœnitentem audiuit, ſatisfactum moralitèr iudicet integritati confeſſionis, non erit abſquè noua aliqua cauſa exſtimulandus infirmus ad inſtituendum conſcientiæ examen.

Quando verò Sacerdos accedit ad infirmum, qui ſatis temporis habuit diſcutiendi propriam conſcientiam, & non feſtinantèr, ſed maturè confeſſus fuit, & iā Euchariſtiam recepit; tùnc in genere illi proponere poteſt, quantùm exactum cōſcientiæ examen omni tempore conducat ad animæ ſalutem. Vndè S. Greg. lib. 4. Moral. *Qui* (inquit) *cogitationes ſuas in iudicio ſubtilitèr examinandas cognoſcit, antè iudicium vehementèr examinet, vt iudex eò veniat tranquillus, quò reatum inuenerit punitum.* Et D. Anſel. perpendens illud Apoſt. 1. ad Corinth. 11. *Si noſmetipſos iudicaremus, non vtiquè iudicaremur*, ait, *Si in diuerſas partes actionum, & cogitationum noſtrarum oculos mentis circumduxerimus, & de ſingulis, quæ nos malè feci-*

D. Greg.

D. Anſel.

fecimus, aut cogitauimus, nos ipſos diſtrictè pœnitendo iudicaremus, non vtiquè iudicaremur à Domino.

Sanè quilibet fidelis deberet quotidiè examen conſcientiæ inſtituere, immò nõ defuerunt, nec deſunt aliqui, qui tèr in die perſcrutantur conſcientiam propriã, & alij feruentiores ſingulis horis. Verùm ſi ſingulis diebus, vel etiam horis explorandæ, & inueſtigandæ ſunt admiſſæ culpæ, vt de illis pœnitentiam agamus, quãtò magis tempore infirmitatis hoc præſtandum erit, à qua facilè poteſt fieri trãſitus ad tremendum Dei iudicium, in quo etiam de verbo otioſo reddenda erit ratio. Subnectat quod forsàn nullum aliud opportunius tempus examinandi propriam conſcientiam concedetur, quarè conſulto aget, ſi tale ſcrutinium non amplius differet.

AD.

ADNOTATIO XII.

Sacerdos inuiſens infirmum, cui mors iuxtà peritorum ſententiam creditur imminere, vel illum de periculo, in quo reperitur, debet admonere, vel curare, vt ab alio admoneatur.

NOnnulli adeò tenaci affectu huic vitæ adhærent, vt non ſolùm mortem horreant, ſed etiam omnia, quæ ad apparatum benè moriendi ſpectant, quęquè mortis ſuſpicionem ingerunt. Quarè nolunt, vt aliquis ſecum agat de expiandis per Sacramentalem confeſsionē peccatis, de ſuſcipienda Euchariſtia, renuunt viſitationes Religioſorum, iubent illis aditum intercludi, repellunt quemcunquè è conſanguineis, vel familiaribus qui velit ſecum loqui de condendo teſtamento, vel de ijs, quæ ad ſalutem animæ faciunt; quaſi hæc ſint infelicia præſagia, & illis mortis ianuas adaperiant; & non ſatis benè affectos reputant, qui de huiuſmodi rebus aliquid innuunt, quarè cum infirmo nullus audet ſermonem inſtitue-

ſtituere de ijs, quæ ad aſſecutionem vitæ æternæ conducerent.

In his caſibus primò ſuadendum eſt conſanguineis, & familiaribus infirmi, vt vel ipſi eum admoneant de periculo mortis imminentis, vel permittant, vt hoc munere alij fungantur, ſcilicet vel Medicus, vel Parochus, vel alius Religioſus, nèc ab hoc officio deſiſtendum ob timorem moleſtiæ, qua hinc afficiendus ſit. Etenim ſi medicamentum aliquod omninò neceſſarium cenſeretur, nonnè conſanguinei, & veri amici etiam ipſi reluctanti, & plurimùm conquerenti applicandum curarent? Sane multò magis ijdem conſanguinei, & veri amici media neceſſaria pro ſalute ſpirituali infirmi, quem vehementèr diligunt, non prætermittent nulla habita ratione triſtitiæ, aut afflictionis, quam hinc ſubiturus ſit infirmus, nèc ab hoc præſtando retardandi ſunt ſub prætextu pietatis, quia hæc triſtitia eſt quid valdè leue reſpectu damnorum, in quæ perſeuerans in obſtinatione lapſurus eſſet, nèc ab eo dignoſcuntur. Vndè amici condolentes, qui illa aduertunt; etiam ſollicitè auerterè debent;

optimè

optimè enim noſcunt lumine fidei ſic ma lè diſpoſitum verſari in euidenti periculo cadendi in inferni barathrum, vbi tormē-ta tormentis innaſcuntur infelici perennatura partu. Et quanàm ratione Chriſtiana pietas, & ſincerus amor perferre poteſt, vt amicus in tanto æternæ damnationis diſcrimine permaneat? forsàn ad verum amicum non ſpectat, etiàm quandò opus eſt, iuſtè contriſtari amicū?
2. ad Cor. 7 Nonnè hoc Apoſtolus ſeruauit? *Gaudeo quòd contriſtati eſtis*. Quarè ſignum eſt amoris infirmi, & deficientis, qui vt aſperum amici reſponſum declinet, illum derelinquit in extremo periculo. Qui videret amicum perſiſtentem propè parietem iamiàm ruiturum, & non proclamaret, vel etiam vi illum aliundè non impelleret, cùm poſſet, meritò impius, & crudelis haberetur; ità deteſtandæ impietatis genus eſt nolle pro modico tempore affligere amicum, vt ab imminenti calamitate æternùm duratura eripiatur; & quis pater, vel quæ mater, nè audiat eiulatus infantis, permittet illum in ignē decidere, vel cultrum in manu tenere, quo ſibi facilè vulnus poſſit inferre? Et quis

quis pater, vel mater, vel alius amicus, vel conſanguineus permittat filium, vel conſanguineum, vel amicum æterna pœna, æternis cruciatibus adiudicari, nè illum parumpèr obſtrepentem ferat?

Dicent forsàn conſanguinei, & familiares, quod quandò periculum mortis magis vrgebit, etiam ipſi vrgebunt infirmum, vt ſe diſponat, ſed nùnc non illis placet eum tali moleſtia affligere, vt ob eam non conualeſcat, & deſperationi ſuccumbens è vita migret, atquè ità ſpes ſaltèm futuræ conuerſionis ſublata ob nimium zelum animæ, damnum & ipſi animæ, & corpori irreparabile inferat.

Sed reſpondeant quæſo, quodnàm erit tempus magis idoneum ad agendum de ſalute animæ, cum iàm nunc & ex medicorum iudicio, & ex varijs indicijs actum ſit de vita corporali. Certè dùm infirmus ſenſibus pollet, ſemper ſpem ſanitatis recuperandæ retinebit, & dùm non admonetur ſeriò de imminenti morte, in ſpe conualeſcendi firmabitur, illam fouebit, illi ità adhærebit, vt nihil, quod eam vel auferre, vel imminuere valeat, admittat. Quandò poſtea incipient deficere

cere ſenſus, veluti aggreſſus ab inopinato hoſte, perterritus, & confuſus, quid conſilij capiat, prorsùs ignorabit, & accuſante conſcientia, quòd opportuno tẽpore ad Deum confugere recuſauerit, nimio de illius iuſtitia timore concepto cõcidet animo, & facilè in deſperationis præcipitium ruet.

Adde quandò vires, & ſenſus corporis imminuentur, quid præſtare poterit infirmus, vt ſaluti animæ conſulat? quomodò poterit peccata in memoriam redigere, illaquè integrè confiteri? quomodò conſilium petet pro conſcientiæ ſuæ nodis diſſoluendis? quomodò ſe diſponet ad dignè recipienda Sacramenta? Illi, qui toto vitę decurſu ſedulò Sacramenta frequentant, & exercitijs ſpiritualibus vacant ſi graui morbo decumbunt, vel in extremis laborant, dolore diſtracti, & mortis agone agitati vix mentem colligere, vix ea, quæ tùnc expediunt, cogitare poſſunt, & ſibi vim faciunt ſæpiſsimè, vt virtutum actus conuenientes tali tempore eliciant, quanàm fiducia fulcitur ille, qui rebus ſpiritualibus operam nunquàm nauauit, qui in curanda pro-

priæ

priæ animæ ſalute deſes fuit? quomodò hic ſibi polliceri poterit, quòd prementibus temporis anguſtijs, excruciante agonia, accuſante conſcientia, inſurgentibus tentationum fluctibus veram pœnitentiã aget & negotium tanti momenti, ſcilicèt æternæ ſalutis, ritè pertractabit ſinè conſiliario, ſinè directore, quo certè carebit, cùm ſenſibus deſtitutus erit?

His ergò cum conſanguineis, vel familiaribus infirmi in prædicto caſu peractis, vel illi de morte imminente eum commonefacient, vel ipſe Sacerdos hoc onus aſſumet, Diuino prius feruentèr implorato auxilio ad eum accedet, hocquè vel ſimili modo loquetur.

N. N. vehementèr compatior tibi, video enim te graui oppreſſum morbo, vtinam te ſaltèm aliqua in parte ſubleuare poſſem, ſed quod tibi magnum ſolatium afferre debet, eſt ſuauis prouidentia Dei, quæ omnia pro maiori ſua gloria, & noſtro bono diſponit, & ſic eos vitæ periodos conſtituit cuilibet, quos magis expedire præcognouit: quarè mi N. N. acquieſcendum eſt tali ordinationi, & quotiès alicui conſtat ad terminum vitæ pre-

ſcriptum ſe perueniſſe, non eſt cùr turbetur; quod tibi modò mi N. N. accidit, vt medici conſiderata diligentèr infirmitate tua animaduertunt. Sæpè ſolemus Deum deprecari, vt à ſubitanea, & improuiſa morte nos liberet, vt conſtat ex litanijs, ergò voti ſumus compotes, quotiès verum nuncium de imminenti morte nos admonet; non eſt ergò mi N. N. cùr nimiùm angaris, quòd tibi ſignificetur periculum mortis imminentis, hæc enim notitia plurimùm tibi prodeſſe poteſt ad ea paranda, & diſponenda, quæ neceſſaria ſunt pro felici tranſitu à temporanea, & ærumnoſa, calamitatibuſquè repleta vita, ad immortalem, beatam, delicijſq; innumerabilibus redundantem.

Adag. Theodor. Intèr antiqua Adagia hoc recenſetur. *Amyclas perdidit ſilentium.* De quo Theodorus in Theat. vitæ humanæ vol. 7. li. 6. Occaſionem autèm huius adagij præbuit, quod lege cautum erat, nè terrore turbarentur Amyclæ, quod eſt oppidum in Italia intèr Caietam & Terracinam, nè quis vnquàm aduentum hoſtium nunciaret; accidit aliquandò vt inimicæ phalanges ad prædictum oppidum acceſſerint,

& quià nullus legem prohibentem loqui de hoſtium aduentu violare voluit, de repente Amyclæ captę fuerunt. Lex apùd aliquos præualet, ſilentium de morte habendum cum infirmo, etiamſi hæc re vera nō ab eo longè diſtet, nè terrore quaſſetur, nè in melancholiam adducatur, nè triſtitia opprimatur. Sed ò grauis deceptio, ò magna inſidiantis dæmonis calliditas, quæ eò tendit, vt improuiſa morte cadat infirmus. Non ità agendum eſt tecum N.N. nolo enim vt taciturnitas irreparabili damno tibi ſit, eſto quòd naturalitèr mortis nuncium, aliquem tibi incutiat terrorem, ſatius tamen eſt, vt aliquantulùm, & breui turberis, nè in æternam turbationem prolabaris.

Alia ſubijcientur ſequenti adnotatione ad ſuadendum mortem æquo animo ſubeundam. Ità admonitus infirmus hortandus erit ad ſacramenta ſuſcipienda, qua in re inſeruire poterunt aliqua ex dictis ſuprà adnotatione 6. 7. & 8.

ADNOTATIO XIII.

Sacerdos inuiſens infirmum valdè cupidum diuturnioris vitæ ſtudere debet, vt à tali inordinato affectu eum eripiat.

IN mentem talis infirmi reducendum erit, quòd mors omnibus hominibus eſt communis. *Vnus introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus.* Sap. 7. æquales ſumus in naſcendo ſic æquales erimus omnes in moriendo. *Moritur doctus ſimilitèr vt indoctus.* Eccl. 2. nullus poteſt aſſequi ſcientiam non moriendi, nulla vis, nulla poteſtas, nullæ opes à morte hominem poſſunt vindicare; hæc enim omnes inuadit, omnes occidit. Non minùs tritum, quàm verum illud Horatij.

Sap.

Eccl.

Horat.

Pallida mors æquo pulſat pede

Pauperum tabernas, Regumquè turres.

Quarè prudentis eſt ea, quæ ineuitabilia ſunt, pacato animo perferre, & non inanitèr reluctare, & quàmuis mors ſit debitum naturæ neceſſariò perſoluendum, tamèn ſi libenti animo perſolues, & vitã

tuam

tuam ad Dei beneplacitum offeres, fiet etiam ſacrificium voluntarium ipſi Deo gratum, & valebit ad ſatisfaciendum pro peccatis, & ad promerendum.

Proponat ei perpendendum, quàm calamitoſa,& tribulationum ſpinis circunſepta modò ſit huius mundi vita, quod indicare voluit Deus, cùm poſt lapſum Adami præcepit terræ,vt tribulos,& ſpinas germinaret, & licèt aliquandò proſperis euentibus videatur felix, nunquã tamèn aculei deſunt, quibus torquetur. Rectè D. Ambroſ.lib. 3.Hexam.cap.11. D. Ambroſ. *Surrexerat* (inquit) *ſinè ſpinis roſa, & pulcherrimus flos ſinè vlla fraude vernabat, poſteà ſpina ſepſit gratiam floris, tanquàm humanæ ſpeculum præferens vitæ, quæ ſuauitatem perfunctionis ſuæ finitimis curarũ ſtimulis ſæpè compungat; vallata eſt enim elegantia vitæ noſtræ, & quibuſdam ſollicitudinibus obſepta, vt triſtitia adiuncta ſit gratiæ.* Vndè etiam in prouerbio eſt, quòd plus aloes, quàm mellis habet vita noſtra. Chriſtus Dominus videns efferri demortuum filium Viduæ Naim, matremquè plorantem, *Miſericordia motus* Luc.7. *ſupèr eam.* Et cùr non ſuper defunctum,

 nimi-

nimirùm vt innoteſceret, quòd miſeriæ quidèm huius vitę magis deplorandę sũt, quàm ipſa mors. Lachrymæ etiam, quas idem Chriſtus fudit, dùm Lazarum ſuſcitauit, teſtes ſunt miſeriarum, quibus humana vita repleta eſt, vt optimè adnotauit Petrus Bleſenſis epiſt. 174. *Chriſtus* (inquit) *non pro morte Lazari, ſed pro ipſius reuocatione ad miſerias temporales planxiſſe dicitur, & luxiſſe*. Nonnè quotidianum experimentum docet, quibus laboribus, ęrumnis, periculis, perſecutionibus, infirmitatibus, neceſſitatibus, timoribus, & triſtitijs vita mortalis referta ſit. Salomon ille Rex ſapientiſſimus, qui licèt maximis afflueret diuitijs, & nihil ei voluptuoſæ vitæ deeſſet, nihilominùs animaduertens humanas huius vitæ miſerias, & afflictiones innumeras, vſquè ad tædium vitæ peruenit. *Tæduit me vitæ meæ videntem mala vniuerſa eſſe ſub ſole, & cuncta vanitatem, & afflictionem ſpiritus*. Eccl. 2. Cum ergò mors finis ſit tot miſeriarum, & malorum remedium, vt ſapientiſſimè notat Ambroſ. ſerm. in cap. 7. Iob. tom. 2. *Tantis* (inquit) *malis hæc vita repleta eſt, vt comparatione eius mors re-*

Petr. Bleſ.

Eccl.

D. Ambr.

medium

mediam eſſe putetur, non pœna, nam ideò Deus breuem illam fecit, vt moleſtia eius, quia proſperitate non poterant, temporis exiguitate finirentur. Non eſt mi N. N. cur eam tantoperè perhorreſcas cur adeò ægrè feras. Amplectere illam pacato animo. Pende monitum Greg. hom. 39. in Ezech. *Quid eſt, quod in hac vita libeat fratres mei? & ſi talem mũdum diligamus, non iam gaudia, ſed vulnera amamus.* Nõnè etiam ingens eſt bonum, quod mors efficit, dùm metam peccatoribus huius vitæ præſcribit, vnde rectè vitiorum ſepulchrum eam appellauit D. Hieron. & Greg. Nyſſen orat. in funere Pulcheriæ. *Neque enim aliud quidquam eſt in hominibus mors, niſi vitioſitatis expiatio*, Signatè Ambroſ. lib. de bono mortis cap. 4. *Paſſus eſt Dominus ſubintrare mortem, vt culpa ceſſaret, ſed nè iterùm natura finis eſſet in morte, data eſt reſurrectio mortuorum, vt per mortem culpa deficeret, per reſurrectionem autèm reſtitueretur natura*. Idem de fide reſurrectionis: *Beata igitur mors, quæ culpa refuga Domino dedita à mortali nos ſeparat, immortali nos conſecrat*. Et ſanè ſi nihil aliud emolumenti à morte pro-

D. Greg.

Greg. Nyſſ.

D. Ambroſ.

Idem.

uenirer, quàm hominis ſubtractio ab occaſione patrandi noua peccata, ex hoc ſolo capite diligentibus Deum mors eſſe deberet non tolerabilis modò, ſed etiam ſummè amabilis. Quarè mi N.N. eleua mentem tuam ad Deum,& dic cum S. Simeone. *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace.* Optimè enim ſciebat iſte ſanctus egreſsũ ex hac vita eſſe liberationem à lucta tentationum, eſſe euaſionem à periculis peccandi,& ideò dicit, *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace.* Obſeruarunt hoc Ambroſ. & Cyprianus. *Ità dimitti petit*(inquit Ambroſ. lib.de bono mort.cap.2.)*quaſi à vinculis quibuſdã ad libertatem feſtinaret; ſunt .n. velut vincula quædã corporis huius cogitationes,& (quod eſt grauius) vincula tẽtationũ, quæ nos alligant,& ad iniuriã captiuitatis adſtringunt quadam lege peccati.* Cyprian. verò ſuper illud. *In pace* ſerm. 4. de mortalit. ait. *Tunc eſſe ſeruis Dei pacem, tunc liberam, et tranquillam quietem, quãdo de iſtis mundi turbinibus extracti, ſedis, & ſecuritatis æternæ portum petunt.* Et quis fidelis ignorat ijs, qui in Domino mo-

Luc. 2. D. Ambr. D. Cyprian.

moriuntur, mortem eſſe tranſitum ad immortalem vitam? in Sacris paginis guſtare mortem, idem eſt ac è vita migrare, hoc loquẽdi modo vtitur Chriſtus Matth. 16. *Sunt de hic ſtantibus, qui mortem non guſtabunt*. Sed quid morti guſtum, delectationem, & oblectamentum inijcere poteſt, niſi firma fides, qua certò ſciunt iuſti mortem eſſe tranſitum ad immortalem vitam? hac fide Paulus animatus mortem lucrum reputabat. *Mihi autem mori lucrũ* ad Philip. 1. & 2. ad Corinth. 5. *ſcimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis*. Matth. AdPhilip. 2. Ad Cor.

Quarè mi N. N. cõſiderare debes mortem non tanquàm vitæ priuationem, ſed tanquàm æternæ vitæ ianuam, & principium. Quod etiam ſolo lumine naturali inſtructus agnouit Seneca illis verbis epiſt. 102. *Dies iſte, quem tanquàm extremum reformidas, æterni natalis eſt, depone onus, quid cunctaris?* Dic ergò cum Dauid, *Educ de cuſtodia animam meam ad cõfitendum nomini tuo*. Seneca. Pſal. 141.

Sed dicet aliquis, maximè ſi adoleſcẽs ſit,

ſit, libenter quidèm mortem oppeterem, ſed non tam citò, videntur enim mihi nimiùm abbreuiari dies vitæ meæ; quarè optarem vt Deus aliquantulum ſaltèm vitam meam protraheret. Huic compatiendum eſt, naturalis enim eſt appetitus viuendi, & diutiùs viuendi; ſed illi ſuggerendum eſt primò, quòd mors dilata eandem, & etiam maiorem habebit difficultatem, & quicunquè pigreſcit in vita, non ideò amarum mortis fel fugiet, ſed amarius etiam percipiet. Quarè; & ſi ob appetitus naturalis repugnātiam aliquid in morte, quod diſplicet, reperitur animosè tamen illi occurrendum eſt; hæc enim generoſitas faciliorem reddet victoriam.

Prætereà ſuggerendum ei erit, ſi opportunum iudicabit prudentia Sacerdotis, mortem immaturam ſæpè Dei beneficium, & rectè tranſactæ vitæ præmium eſſe, vt tentationum pericula per eam remoueantur. Veriſſimum enim eſt, quod

Iob. teſtatur Iob. 7. *Nunquid non tentatio eſt vita hominis ſuper terram?* Quarè Sap. 4. de eo, qui valdè Deo gratus erat, dicitur.

Sap. *Placens Deo factus eſt dilectus, & viuens*

intèr

intèr peccatores translatus eſt; raptus eſt, nè malitia mutaret intellectum eius, aut nè fictio deciperet animam illius, & ſtatim, *Placita enim erat Deo anima illius, proptèr hoc properauit educere illum de medio iniquitatum.* Nonnè Abel Deo acceptiſſimus erat? de cuius oblatione legitur Geneſ.4. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Præmium autèm, quod conſecutus eſt, fuit permiſſio mortis immaturæ, qua à laboribus, ærumnis, & periculis huius vitæ liberaretur; è contra verò Cain vir flagitioſus & fratricida, diuturna vita vt potè calamitoſa mulctatus eſt, quod benè perpendit D. Ambroſ. li. 2. de Abel, & Cain cap. 10. *Redarguuntur itaquè hoc in loco qui vnicā hanc vitam putant eſſe, quæ ſit in hoc ſæculo, (omnia plena lapſus, plena mœroris ſunt,) & redarguuntur ſimplici ſerie geſtorum. Ecce enim iuſtus, innocens, pius propter gratiam deuotionis odia fratris incurrens, immaturus adhùc æui ſublatus eſt parricidio; & iniquus, ſceleratus, impius, fraterna etiam cæde pollutus, longæuam duxit ætatem, duxit vxorem, poſteritatem reliquit, vrbes condidit, & hoc meruit permiſſione diuina.* Ità Ambroſ. De-

Gen.

D. Ambroſ.

Demùm proponi poteſt breuitas huius vitæ, quæ licèt aliquandò ad plures annos ſe extendat, nihilominus adeò velocitèr illi tranſeunt, vt modicis mortalis vita cancellis circumſcripta videatur: de hac vitæ breuitate nos admonerē voluit Sapiens Eccl.3.cùm dixit. *Tempus naſcendi, & tempus moriendi*; nulla verò de tempore viuendi facta mentione, ſic enim innueret adeò breue eſſe vitæ ſpatium, vt dies natiuitatis, & dies mortis videantur affines., & coniuncti: elegantèr quidam Poeta fugacem & breuem humanam vitam deſcripſit his carminibus.

Eccl.

Vita quid eſt, niſi bulla leuis, niſi tranſitus auræ,

Quæ velut vmbra perit, quæ velut vnda fugit.

Iob.

Huius vitæ noſtræ breuitatem expertus Iob. cap. 9. dicebat. *Dies mei velociores fuerunt curſore, fugerunt, & non viderunt bonum, pertranſierunt quaſi naues poma portantes, ſicut aquila volans ad eſcam.*

Iacob.

Cohæret illud Iacob.4. *Quid eſt vita noſtra? Vapor eſt ad modicum parens.*

Licèt ergò mi N.N. vita tua vſquè ad octogeſimum, vel centeſimum annum

pro-

protraheretur, nihilominùs cùm prædictum tempus perueniſſet, tranſacti anni tibi inſtàr vnius diei, vel etiam momenti viderentur; quarè non tibi multum moleſtiæ afferre debet, quòd finiatur nùnc vita tua, quam quantumcunquè productam, verè tamen in fine breuiſſimam iudicaturus eſſes. Meritò Dauid humanæ vitæ durationem tanquàm rem nullius momenti cenſet illis verbis Pſal. 89. *Et cuſtodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt*, & in hebræo legitur, *Somnus erunt*, ideſt euaneſcunt velut ſomnia mortalis vitæ anni. Cùm quis è ſomno expergefactus, ſi ad ea, quæ ſomniauit, animum conuertit, illa imaginaria, & inania fuiſſe cognoſcit, ità homo in fine vitæ conſtitutus, ſi mentis oculos ad tranſactos in humanis annos conuertit, vitam præteritam velùt euanidum ſomnium exiſtimat. *Pſal.*

Aliquandò etiam contingit, vt infirmus diù viuere appetat, vt de patratis culpis completam poſſit peragere pœnitentiam, hic hortandus erit, vt ſuam cum diuino beneplacito conformet voluntatem, ſequè totum in Dei holocauſtum

offerat; hàc enim ratione plurimùm ſatisfaciet diuinæ maieſtati, cui hæc reſignatio acceptiſſima eſt; de cætero ſuadédum erit, vt in eo quod ſupereſt vitæ inuigilet, & in concepto emendationis vitæ deſiderio perſeueret, nihilquè eorum omittat, ad quæ tenetur, dùm ſuperſtes eſt, ſæpiuſquè renouet actus conformitatis cum diuina voluntate.

ADNOTATIO XIIII.

Si infirmi affectus nimius dignoſcatur ergà terrena, maximo ſtudio erit curandum, vt moderetur.

MAximum quandoquè incurrendæ damnationis æternæ periculum grauitèr laboranti eſt, quãdò nimio inordinato affectu rebus huius mundi adhæret. Vndè in Diſcip. ſerm. 134. de tempore circà finem exemplum hòc refertur. Fuit filius cuiuſdam Comitis, qui fuit caſtus, & bonus, ſed in agone cùm mori deberet, in tantum doluit de hoc, quod debuit ſeparari à ciuitatibus ſuis, caſtris, & villis, quæ iure hæreditario ad eum pertinebant, qui propterea fuit damnatus; *Diſcip.*

& poſt

& poſt mortem apparuit, & dixit quòd hæc eſſet cauſa damnationis ſuæ, quia in agone cum bonis paternis ſe nimiùm occupauit, & ſic Dei, & propriæ ſalutis oblitus fuit. Verùm cùm plura ſint obiecta terrena, nimirùm voluptates, diuitiæ, dignitates, conſanguinei, vel aliæ perſonæ, quibus nimio affectu animus infirmi adhærere poteſt, quomodò circa hæc ſingula ſit procedendum ab eo, qui infirmum ſpiritalitèr adiuuat, aliqua innuā, &

Primò, Si infirmum mori pigeat, eo quòd voluptuoſam vitam, cui deditus erat, derelinquere cogatur, proponendū illi erit, vt illę humanum appetitum explere nequeant; vndè D. Bernard. in ſuis declamationibus. *Nèc animus* (inquit) *varietate, nèc voluptate corpus aliquandò ſatiatur*; & idem apùd Tilmanum in allegat. loquens de prodigo adoleſcente voluptatibus immerſo, & rabidiſſimam famem experiente, *Vndè* (ait) *huic egeſtas tanta, niſi ex eo quod legitur diſsipaſſe bona ſua cum meretricibus viuendo luxurioſè? meretrices ſunt iſtæ carnis concupiſcentiæ, cum quibus luxurioſè viuendo diſsipat bona naturæ, qui eis abutitur ad voluptatem,* D. Bernar.

tem, huic egeſtas pernicioſa ſuccedit, eo quòd non ſatietur oculus viſu: nec auris auditu impleatur. Prætereà voluptatis finis ſolet eſſe triſtis, experimento enim
Prou. 14. conſtat, quòd *Extrema gaudij luctus occupat*. Vndè Boetius de conſolat. phi-
Boet. loſoph. ſic cecinit.

Hoc habet voluptas omnis,
Stimulis agit furentes,
Apiumquè par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

Quare cùm fugax & momētanea ſit quęlibet voluptas huius vitæ, quæ ideò per roſas breuitèr marceſcentes ab ipſiſmet voluptatum ſectatioribus deſignatur. *Coronemus nos roſis antequam marceſcant.*
Sap. Sap. 2. D. Aug. tract. 7. in Io. *lætitia* (in-
D. Aug. quit) *ſæculi vanitas eſt, cum magna expectatione ſperatur, vt veniat, & non poteſt teneri, cùm venerit, iſte dies, qui lætus eſt, cràs vtiquè non erit, tranſeunt omnia, euolant omnia, & ſicut fumus vaneſcunt.* Etiā
Seneca. ipſemet gentilis Seneca adnotauit hanc veritatem in conſolatione ad Polybium cap. 29. cùm ait. *Citò enim nos omnis voluptas*

luptas relinquit, quæ fluit, & tranſit, & penè antequàm veniat aufertur.

Quarè mi N. ſi oblectamenta ſenſus adeò defectibilia ſunt, vt humanæ appetentiæ ſatisfacere nequeant, ſi in dolores, afflictiones, & ærumnas deſinere ſolent, ſi adeò rapido fluxu elabuntur; nōnè æquum eſt, vt animum tuum ab illis euellas, & in cœleſtem gloriam dirigas, vbi beatæ animæ perennaturo voluptatis perfectæ torrente potabuntur.

Similia ſuggerenda ſunt infirmo, qui nimis ergà diuitias, vel dignitates afficitur.

Nequè enim humanæ cupiditates ſatiari poſſunt diuitijs, vel dignitatibus. vndè D.Hyeron. in epiſt. 103. ad Paulinum. *Antiquum* (inquit) *dictum eſt, auaro tàm deeſt quod habet, quàm quod non habet*; Et ditiſſimus ille Iſraelitarum Rex Achab non contentus ſuarum diuitiarũ affluentia Nabothi vineæ inhians, *Da mihi* (inquit) *vineam tuam*. 3. Reg. 21. quæ verba premens D. Amb. lib. de Naboth. ca. 3. inquit *Da mihi, hoc eſt, da mihi, quia egeo. Da mihi, quia aliud viuendi ſubſidium habere non poſſum. Da mihi, quia* D. Hyeron. 3. Reg. D. Ambroſ.

K non

non eſt panis ad victum, nummus ad potũ, ſumptus ad alimentum, ad indumentum ſubſtantia. Diuitiæ quoquè ſollicitudines, & ærumnas pariunt innumerabiles, hę quoquè inſtar rapidi fluminis effluũt. Conſimiles ſunt dignitates, quarum typus eſt flos, qui citiſſimè areſcit, quod indicauit Deus, cùm in lege veteri Aaronem ad Sacerdotalem dignitatem electũ demonſtrauit ſigno floreſcentis virgæ; quaſi Deus eodem ſigno, quo ad illam dignitatem Aaronem promouerat, eãdẽ ſimul tranſitoriam, fugacem, & fragilem declararet; quod optimè perpendit D.
D. Ambroſ. Ambroſ. epiſt. ad Eccleſiam Vercellensẽ. *Vt ſummam* (inquit) *haberet humilitatem, ſciens commiſſum ſibi florem poteſtatis.* Porrò inanitatem, fragilitatem diuitiarum, dignitatum, & cęterorum, quę huius mundi bona nuncupantur, luculentèr expreſſit Greg. Nyſſ. tract. 1. in Pſal. cap. 7.
Greg. Nyſſ. aranearum telis aſſimilans. *Vt enim* (inquit) *tela aranea apparet quidèm quoad connexa fuerit, at ſi quis manum admouerit, de repente contactu digitorum elabens euaneſcit, ſic & humana vita ſuperuacaneis, & non conſiſtentibus ſtudijs tanquàm*

aereis

aereis quibuſdam filis ſemper implicata cõtexit ſibi non ſubſiſtentem telam, quam ſi quis firma cogitatione apprehendas, effugit contactum vana ſedulitas, inquè nihil recidit. Omnia enim, quibus in hac vita mortalium cura detinentur, inanis quædam opinio ſunt, nihilquè ſubſiſtens, opinio eſt honor, dignitas, generis claritudo, ſuperbia, elatio, diuitiæ, & his ſimilia, quibus vita huius aranei ineunt. Itaquè ſi hucuſquè mi N. diuitias, vel dignitates nimiùm dilexiſti, in quarum poſſeſſione, vt etiam experimento noſti, nulla fuit tui cordis ſatietas, nulla perfecta quies, ſed innumeræ ſollicitudines, multi angores, plurima incommoda. Eia nùnc affectum tuum ad Deum conuerte, hunc ama, qui eſt ſummum bonum, in quo ſunt omnia bona, & ſufficiet tibi. Dic cum S. Dauid, *Deus cordis mei, & pars* *Pſal. 72.*
mea in æternum. Anhela ad claram Dei viſionem, per quam in cœleſti patria opes, & dignitates æternaturas poſſidebis. *Gloria*, enim, *& diuitiæ in domo Do-* *Pſal. 111.*
mini,

Verùm ſi talis eſſet infirmus, vt prædictis rationibus non flecteretur, ſed ad-

hùc tenaci affectu implexum in voluptatibus, vel diuitijs, vel dignitatibus animum indicaret; tùnc expediet illum vrgere terrore diuinæ iuſtitiæ, & inferni flammas, atquè miſerias proponere, quibus torquebitur quicũquè magis appretiatione obiecta terrena, quã Deũ diligit.

Sic ergò huiuſmodi obduratum infirmum alloqui poterit Sacerdos.

Fieri nè poteſt N. vt te huius vitæ voluptates, vel diuitiæ, vel dignitates ità dementent, vt ab illarum inordinato amore non amouearis, nequè ſpe beatitatis perennaturæ, nequè timore diuinæ iuſtitiæ, nequè imminenti periculo incidendi in barathrum inferni? Fieri nè poteſt, vt pro leui voluptate, in qua delectationis nimium, doloris plurimum, æternas accerſere velis flammas? pro lucello, pro modico auro nunquàm poſſeſſorem ſedaturo ignes pergas aduocare non morituros? pro fugientibus dignitatibus nunquàm ſaturantibus, duroquè ſeruitio ſubiectis cruciatus parare non ceſſes perennaturos? & ſi te tantùm voluptates alliciunt, ſi diuitias, & dignitates tanto proſequeris amore, quomodò

dò infelici commutatione æterna tormẽta feres? quomodò extremam patieris inopiam, ità vt nè guttulam quidèm aquæ ad refrigerandam æſtuantem ſitim obtinere poſſis, ſicut infelix euentus Epulonis comprobat? dæmonum irriſiones ſuſtinebis, & locum, vbi luctus, & dentiũ ſtridor, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Aliquando Nero ſitim ardentiſſimam extinguere aqua luToſa coactus, memor delirij, quo fruebatur in epotandis aquis diſtillatis querulus exclamauit, *Vbi ſunt decocta Neronis?* Sed ò quali maiori cruciatu angit īfelices damnatorũ animas memoria voluptatũ, diuitiarũ,& dignitatũ,quibus intèr mortales potiti sũt,dũ nùnc duravicíſſitudine oblectamenta in ęternaturas pœnas verſa, opes in anguſtias, dignitates in ignominias, in contemptus, in miſerias commutatas experiuntur. Tu potes minima, & non difficili fuga, nimirùm affectum ſolùm auocando à tranſitorijs,& momẽtaneis voluptatibus, opibus, & dignitatibus, ab æternaturis pœnis te ſubtrahere, & negligis? Ah quæſo, dùm modicum hoc tempus obtinendæ indulgentiæ

conceditur, reſipiſce, te ad meliora vota conuerte, modicus dolor dolorem pellet æternum, & admiſſi erroris pœnitudo te à periculo damnationis, in quo verſaris, eripiet.

Interdùm infirmus, cuius vita periclitatur, magno opprimitur angore ob amorem vxoris, vel filiorum, vel aliorũ conſanguineorum, quos ſe breui relicturum putat, & eò magis affligitur, ſi in paupertate conſtitutos ſciat, qua in re ſolet etiam dæmonis aſtus plurimùm ſub pietatis tegumento moleſtiam augere. Hic primò monendus eſt, nè permittat ſe huiuſmodi afflictionibus diſtrahi, agnoſcatquè inſidias eſſe à dæmone paratas, quibus impediatur, nè conuenienti præparatione ſe ad benè moriendum diſponat; & de cætero tali angore vxori, aut filijs, aut conſanguineis vtilitatis nihil afferre poteſt. Prætereà ei erit ſuggerendum, quòd ſicut Diuina fretus miſericordia ſperare poteſt ſe aſſecuturum ſtatum beatitudinis, ità ſibi polliceri poteſt, quòd in eo paruulis filijs, puellis non collocatis, cæteriſquè conſanguineis egentibus impetrare valebit maius ſubſidium illo,

quod

quod præſtare potuiſſet in hac mortali vita. Sic etiàm in eius memoriam reuocanda erit fiducia, quam in Deo habere debet, qui orphanorum pater, Viduarũ, cæterorumquè miſerorum adiutor, & protector eſt, iuxta illud Pſal. 9. *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor*, Pſal. & Pſal. 29. *Quoniàm pater meus, & mater* Pſal. *mea dereliquerunt me Dominus autèm aſſumpſit me*. Hebraicè eſt in futuro *Aſſumet*, ſeù *colliget*, iuxtà Pagnini, & Eugu Pagn. bini tranſlationem, ſed in vulgata lectio Eugub. ne eſt præteritum pro futuro, quaſi à ſpe ad rem nulla ſit interponenda mora, ſed *dictum factum*, vt eſt in Prouerbio: ex his ergò colligitur Deum promiſſione infallibili ſe obſtrinxiſſe pro ſua immenſa bonitate parentum vice extremè indigentibus adfuturum. Huic ergò diuino patrocinio hortandus eſt infirmus, vt familiam ſuam committat, certus quòd, quò magis illa erit deſtituta humana ope eò promptiùs illi ſubueniet Dei auxiliũ. Veriſſimum enim eſt, quod monet Chryſoſt. hom. 22. in Gen. *Quãdò* (inquit) *apùd* D. Chryſ. *homines deſperatum eſt, tùnc potentiam, et ſapientiam ſuam Deus declarat*.

Ità ergo dici poteſt ægrotanti. N. dilectiſſime acquieſce innixus prouidentię, quam de te, vxore, liberis, cæteriſquè conſanguineis tuis habet Deus, cui neceſſitates, miſeriæ tuæ, & prædictorum ſunt notæ, nèc deerunt illi media ad mala quæcumquè propulſanda, prompta,& prona eſt eius bonitas ad bona multa cõferenda ,eſt infinitè ſapiens, eſt pater amantiſſimus, eſt omnipotens. Quarè ſecurum pro te, & tuis aderit ſubſidium. Lætare ergò cariſſime frater, & exulta quòd res tuæ ſub adeò alta, & ſuprema prouidentia in tuto poſitæ ſunt. Dic *Dominus regit me*, Dominus regit familiam meam, *& mihi*, & illi *nihil deerit*.

Pſal. 22.

ADNOTATIO V.

Cum infirmo, qui ob morbi longitudinem, vel ob dolorum acerbitatem agitatur impatientia tentationibus, peculiari dexteritate procedendum eſt, vt ad patientiam inducatur.

HVic infirmo Sacerdos ſigna animi compatientis, & affectus condolentis oſtendere debet, & feruenti prece

Deum

Deum exorare, vt illi virtutem patientèr perferendi moleſtias ægritudinis largiatur. Cùm infirmus dolore aliquo vehementi excruciatur, tùnc praxis, ſpectata communi hominum natura, optima eſt nihil ei ſuggerere, ſed expectandum donèc dolor remittatur. Quòd ſi infirmus adeò impatientèr turbaretur, vt vel in blaſphemias prorumperet, vel aliquid ſcandaloſum diceret, aut ageret, tùnc breui aliquo monito, ſi hoc profuturum prudentèr iudicabitur, cohibendus erit, ſempèr tamen cauendum eſt, nè in maiorem furorem concitetur.

Si verò prædicti infirmi animus ob actualem dolorem non ſit conturbatus, poterunt aliqua ex his, quæ ſubijciam, pro vt magis expedire videbitur, ei proponi.

Primò. Valdè tibi N. compatior, ſcio ſenſus tuos non eſſe æneos, ſed carneos, agnoſco infirmitatis acerbitatem eſſe vehementem. Vtinàm tibi ſubleuamen aliquod afferre poſſem, quod certò libentèr etiam magno cum meo incommodo præſtarem; ſed cùm nihil aliud efficere in tui ſolatium poſſim, Deum deprecor vt dolores tuos lenire aliqua in parte digne

tur.

tur. Tu quoquè ad eum confugias magna fiducia, dic cum Apoſtolo. *Benedictus Deus, et Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra.* Dignetur quæsò, & me licèt indignum conſolari, & animi, & corporis afflictionem ſubleuare.

2. ad Cor. 1.

Secundò, Cariſſime N. nè te tradas impatientiæ, quæ inſtàr ſæuiſſimi carnificis torquet, tùm quia per eam humores noxij alterantur, & morbus recrudeſcit, tùm quia ea, quæ inuitè perferũtur, acriùs animum expungunt. E'contra verò patientia minuit corporis, & animi afflictiones. Adde periculum damnationis, cui ſubiectus eſt impatiens; ſicut enim in patientia quis poſſidet animam ſuam, ità in impatientia perdet eam.

Tertiò, Conſidera mi N. omnes infirmitates, cæteraſquè calamitates patientèr perferendas eſſe, quia non ſinè Dei voluntate eueniunt. Optimus huius doctrinæ magiſter eſt Iob, qui à Diabolo vexatus, & bonis ſpoliatus, nihilominùs dicebat. *Dominus dedit. Dominus abſtulit.* Iob 1. quia non executorem ſed auctorem attendebat, vt notat D. Chryſoſt. hom.

Iob.

3. in

3. in priorem epiſtolam ad Theſſal. Hoc etiam ipſe Seneca agnouit, & docuit in quadam epiſtola ad Lucilium. *Vir* (inquit) *bonus, & ſapiens, quidquid ei acciderit, æquo animo ſuſtinebit, ſcit enim id ſibi accidiſſe lege diuina, à qua vniuerſa procedunt.* Quarè mi N. cùm certum ſit te ſic aduerſa valetudine Dei volũtate vexari, par eſt, vt acquieſcas, & cũ S. Propheta dicas. *Obmutui quoniàm tu feciſti Domine.* Vide ea, quę dixi ſuprà hoc cap. adnot. 2. Seneca. Pſal. 38.

Quartò, Dilectiſſime frater mente recole, quàm Deo gratum ſpectaculum exhibent ij, qui alacri animo calamitates, & moleſtias ſuſtinent. Adnotauit hoc Seneca lib. de Diuina prouidẽtia. *Miraris tu, ſi Deus ille bonorũ amãtiſſimus, qui illos quàm optimos, atque excellentiſſimos vult, fortunam illis, cum qua exerceantur, aſſignat? Ego verò non miror ſi aliquandò impetum capiunt. Spectant Dij magnos viros colluctantes cum aliqua calamitate. Nobis interdùm voluptati eſt, ſi adoleſcens conſtantis animi irruentem feram venabulo excepit, ſi leonis incurſum pertulit interritus, tantòq; ſpectaculum eſt gratius, quantò id honeſtior fecit. Nõ ſunt iſta quæ poſſunt Deo* Senec.

rum

rũ in ſe vultũ cõuertere ſed ſunt puerilia, & oblectamẽta humana leuitatis. Ecce *ſpectaculũ dignũ, ad quod reſpiciat intẽtus operi ſuo Deus, vir fortis cũ mala fortuna cõpoſitus*; Fac ergò mi N. vt Deus te gratiſſimis oculis inſpiciat patiẽtèr perferentẽ moleſtias huius tuę ægritudinis. Adſtat ipſe, & attẽtè intuetur, quomodò te viriliter geras, & tibi condignum præmium largiatur.

Quintò, Scias N. quòd Deus nunquã ſuos omni patientiæ occaſione priuat, nèc omnem in hac vita dolendi materiam ſubtrahit: patet in Iob, qui adeò afflictus fuit, & poſteà licèt omnia bona illi erepta duplicata reſtituerit Deus, filias tamèn non geminauit, vt colligi poteſt ex cap. 1. & 2. Iob, nè illi ſcilicèt omnem patientiæ exercendæ occaſionem auferret, quod optimè notauit Tertull. lib. de patient. cap. 15. *Suſtinuit* (inquit) *tam voluntariam orbitatem, nè ſine aliqua patientia viueret*. Quarè mi N. dum Deus tibi hanc patientiæ præbet occaſionem, ſignum eſt te intèr ſuos caros habere; par ergò eſt, vt tale beneuolentiæ diuinæ erga te argumentum non deſpicias, & agnoſcas quod pati pro Chriſto tibi conceditur ad augmen-

Tertul.

augmentum meritorum, & ad maiorem cumulũ gloriæ, & ſi carnis tuæ debilitas ſuccumbere videtur doloribus, pete auxilium à Deo, dic. *Spiritus quidem promptus eſt, ſed caro infirma*, hanc clementiſſime Domine tuo auxilio corrobora. Domine da, quam iubes, patientiam, iube vt patiar, quæ volueris. Matth.26.

Sextò, Dilectiſſime N. infirmitates ſolet diuina iuſtitia ſæpè ad puniendas admiſſas culpas infligere. Vndè Maria ſoror Moyſi percuſſa eſt lepra proptèr peccatum, quod detrahendo fratri ſuo perpetrauit Num. 12. Opportunè ad rem ſic loquitur Iſid. in ſerm. *Aduerſa corporis remedia animæ ſunt, ægritudo carnem vulnerat, ſed mentem curat, languor enim vitia extorquet, & vires libidinis frangit*. Certè iuſtus Deus eam carnem punit, per quam offenſus fuit, & ea membra dolore excruciat, quæ peccandi inſtrumenta fuerunt. O ſi peccator ſuorum criminum grauitatem æqua trutina expendet, non renuet, quam Deus iniungit in hac mortali vita, pœnam, vt D. Bernard. ſerm. 3. de altitudine cordis obſeruat. *Quiſquis perfectè ſenſerit onus peccati, & animæ læſionem interio-* Num. Iſid. D. Bern.

teriorem, vtiquè aut parùm ſentiet, aut ex toto nõ ſentiet corporis pœnam, nèc reputabit laborem, quo peccata nouerit deleri præterita, futura caueri. Medicinæ fiunt per contraria, inquit Ariſtot. 2. Ethn. ergò ſi per integrum annum, vel etiam plures quis in peccatis vixit, par eſt vt æquali tempore infirmitate vexetur, quarè vt notantèr monet Greg. in mor. *Diuina diſpẽſatione agitur, vt prolixiori vitio prolixior ægritudo exiſtat.*

Ariſtot.

D. Greg.

Quarè mi N. inflictam à Deo infirmitatis huius pœnam pro tuis peccatis prõpto animo excipe, quò enim promptior fueris ad illam ſubeundam, eò Deum clementiorem ad eam mitigandam, ſi ità tibi expediet, inuenies. dic, *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Pſal. 118. Meritò hæc patior, quia peccaui in Dominum meum.

Pſal.

Septimò, Mi N. ſi libenti animo hanc infirmitatem ſuſtines, & tanquàm iuſtum ſupplicium à Deo immiſſum amplecteris, vel omninò, vel magna ex parte à pœnis Purgatorij liberaberis, non enim Dominus bis iudicat in idipſum. Nahum. 1. *Afflixi te* (inquit Deus) *vt non affligam te,*

Nahum.

Quia

Quia nimirùm Deus aliquandò punit hominem in hac vita, vt non puniat poſt mortem. O ſi tibi deſcribere poſſem quàm aſperi, & acerbi ſint Purgatorij cruciatus, ſcio quòd non modò pro illis euitandis non recuſares præſentis infirmitatis moleſtias, ſed maiores etiã à Deo poſtulares. Quid tibi de his dicere poſſum? & vt omittam pœnam damni, quæ conſiſtit in magna triſtitia, qua affliguntur animæ, dùm agnoſcunt ſua culpa pro aliquo tempore priuari viſione beatifica Dei, pœna ſenſus eſt adeò acerba, vt hæc omnes dolores. calamitates, & miſerias coniunctim ſumptas huius vitæ ſuperet. Vndè Anſel. 1. Corinth. 3. loquens de igne Purgatorij. *Sciendum enim* (inquit) *eſt, quòd grauior eſt ille ignis, quàm quidquid homo pati poſsit in hac vita*; Et in Elucidario agẽs de pœnis Purgatorij ait. *De quibus minimum maius eſt, quàm maximum, quod in hac vita excogitari poteſt*. Cohæret Cæſarius Arelat. homil. 8. hæc habens. *Ille purgatorius ignis durior eſt, quàm quod poſsit pœnarum in hoc ſæculo aut accidere, aut ſentiri, aut cogitari*. Non diſſentit Auguſt. pluribus in locis lib. de cura pro mor-

Anſel.

Cæſar. Arelat.

D. Aug.

mortuis agenda cap. 18. *Etſi æternus non ſit* (ſcilicèt ignis Purgatorij, de quo verba facit) *miro tamen modo grauis eſt, exceditquè omnes pœnas, quas quis in hac vita paſſus eſt.* Diſcipulus de tempore ſerm. 128. refert, cuiuſdam animam in Purgatorio exiſtentem apparuiſſe amico, cui dixit, tanta mea pœna eſt, quòd ſi omnes montes, & omnia ligna, & omnia viſibilia in mundo exiſtentia arderent, & ego in medio illius ignis ſtarem, adhùc non poſſet æquiparari meæ pœnæ, quam patior. Quæ cum ità ſint mi N. expedit tibi longam, & atrocem quamcunquè infirmitatem æquo animo perpeti, vt tali tolerantia tuis peccatis expiatis acerbiſſimos Purgatorij cruciatus euites. Ad Deum ergò conuerte affectum tuum, & dic. Vide Domine afflictionem meam, hanc tibi ſimùl cum meritis paſſionis tuæ offero in ſatisfactionem meorum peccatorum, & obſecro te, vt me ab igne Purgatorij liberare digneris.

Diſcip.

Octauò, Perpende N. quæſò prætèr vniuerſalia beneficia creationis redemptionis, quot peculiaria accepiſti à Deo? nonnè par eſt, vt grati animi vices repẽdas?

das? en tibi opportunitas hoc peragendi, ſi nimirùm hunc doloris calicem, quē tibi propinat Deus, libenti animo haurias. Dic ergò cum S. Dauid Pſal. 115. *Pſal.*
Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi, Calicem ſalutaris accipiam; & nomen Domini inuocabo. Sanè calix ſalutaris eſt, quia pro ſalute æterna aduerſa, quæ hominibus accidunt, à Deo immittuntur.

Nonò, Reſume vires mi N. cogita quęsò paratam tibi à Domino cœleſtem gloriam, & tu ipſe, quàm æquum ſit, iudicabis pro bono æternaturo aliquid in momentanea vita pati. Vidit aliquandò Ioannes plures eorum, qui iàm cœli Beatitudine perfruuntur. Apoc. 7. Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat beatorum, qui veſtibus albis induti erant, & palmas in manibus geſtabant; hos verò eſſe declarauit Angelus Ioanni, *Qui venerunt de tribulatione magna, qui lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni*. Palmas habebant hi in manibus; palma indicat victoriam, victoria ſinè bello non habetur, bellum labor, & dolor comitatur. Si er- *Apoc. 7.*

gò beati palmas deferebant, omnes ſanè victores, & non ſinè labore, & dolore
2. ad Tim. 2. Matth. 11. extiterunt. Certum enim eſt, *Quòd non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit*. & *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Quarè mi N. ſi vt diuina
Act. 14. lege ſancitum eſt, *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum*, ſtrè nuè tibi nùnc agendum eſt, & æquo animo huius infirmitatis tuæ afflictio toleranda; & tibi plurimum ſubleuaminis afferre debet, quòd hoc leue tribulationis tuæ immenſum gloriæ pondus operatur in te.

P. Ian. apud Lippo. Mi N. imitare S. Fulgentium Epiſcopum Ruſpenſem, qui ſeptuaginta dierum ægritudine valdè moleſtè vexatus, frequentèr repetebat, *Domine da mihi hic modò patientiam, & poſteà indulgentiam*.

S. Leo. Decimò, Cariſſime, ſi vt ſapienter monet S. Leo ſermone 1. de Aſcenſ. Domini, *Quò proceſsit gloria capitis, eò ſpes vocatur, & corporis*; Per eandem debemus viã incedere, per quam Chriſtus caput noſtrum inceſſit, at eius via fuit per tribulationes innumeras, eadem ergò erit via noſtra.

Hic

Hic poterunt infirmo, pro vt prudentia adſtantis ad eius ſolamen decernet, aliqua ex his, quæ ſubijciam, proponi, quod morulis interiectis hoc præſtare ſæpè expedit ad euitandum longi ſermonis tædium.

Suſtulit Chriſtus caput noſtrum, primò viuens paupertatem, & moriens in Cruce nuditatem, deindè innumeras paſſus eſt deriſiones, & ſubſannationes, & vt latro, & blaſphemus morte condemnatus.

Multa pertulit falſa teſtimonia, quæ eius nomē bonum conabantur deturpare.

Fuit contemptus, & habitus peccator, Samaritanus, dæmonium habens, commotor plebis, vorax, & potator.

Idiota, & ſinè litteris Ioan. 7. habitus ſtultus, & furioſus Marc. 3. imprudens, & ignarus. *Io.* *Marc.*

Vocatus impoſtor, & magus, & qui pactum cum Beelzebub, & Satan haberet. Luc. 11.

Itèm in proprio corpore maximos perpeſſus eſt dolores, tū quòd ex genere ſuo illi eſsēt atrociſsimi, tū quòd eius corpus eſſet delicatiſſimum, vt propterea quem- *Luc.*

cunquè dolorem, aut læſionem corporis præ cæteris omnibus ſentiret. His omnibus addebatur ei internus dolor, quod plurimi ex eius amicis, & ſibi coniunctis ipſum deſeruiſſent. Præterea exacerbabantur eius cruciatus ob dolores, quibus Sanctiſs. Mater ſua tùnc affligebatur. His breuitèr propoſitis infirmo poterit eius affectus hac, vel ſimili orandi formula excitari.

O' Redemptor liberaliſſime quã abundè debita noſtra tuis pœnis exoluis, quia enim omnia, quæcunquè ſunt in mundo, noſtræ concupiſcentiæ, carnis, voluptatis, & ſuperbiæ fuerunt alimentum; tu vis in omnibus paupertatem, cruciatus, & humiliationem ſuſtinere. O' quàm æquum eſt, vt ego quoquè pro concupiſcẽtijs meis, pro voluptatibus, & ſuperbiã angorem, & humiliationem huius meæ infirmitatis æquo animo perferam.

Deindè in ſingulis ſenſibus dira tormenta paſſus eſt Chriſtus, primò enim affligebantur eius oculi videntes inimicorum vultus, motus, quibus ipſum irridebant, & lachrymas, & ſingultus ſuorum amicorum; Iidem verò oculi deturpati

ſunt

ſunt cùm fœdis inimicorum ſputis, tùm guttis ſanguinis ex proprio capite diſſluentis.

Aures paſſæ ſunt, cùm audirent multas, & graues blaſphemias, conuicia, & horrendas inimicorum ſuorum accuſationes confictas.

Odoratus fætore grauiſſimo in monte Caluario, vbi plura malè olentia reperiebantur, læſus fuit.

Guſtatus vehementem ſitim tolerãs, fellis, & aceti hauſtu ab impijs hoſtibus oblato, atrociùs fuit excruciatus. Tactus grauiſsimos pertulit dolores ex flagellis, ſpinis, & clauis, quibus eius manus, & pedes Cruci fuerunt affixi.

His etiam breuitèr indicatis alliciẽdus erit infirmus ad patientèr tolerandam infirmitatem, eum inuitando, vt his vel ſimilibus animum eleuet ad Deum.

O' vtinam mei ſenſus conformarentur ſenſibus Domini mei eaſdem ſuſtinentes pœnas, quandoquidèm ab eis tot proceſſerunt culpæ. Sanè erubeſcere debeo, quòd ſenſualitas mea adeò reluctetur huius infirmitatis pati afflictionem, quæ ſi cum magnis, quæ perpeſſus eſt Chriſtus,

conferatur, exigua eſt, verùm ſi adhùc nimis delicatum membrum fuit ſub ſpinoſo capite Chriſto, in poſterùm mihi ipſi diuino adiutus auxilio vim inferam, & alacri perferam animò ad Chriſti imitatione moleſtias quaſcunquè huius meæ ægritudinis.

Cohærent cum hac adnotatione, quæ diximus ſuprà adnotatione ſecunda.

ADNOTATIO XVI.

Infirmus, qui non benè ſentit de fide catholica, varijs motiuis alliciendus eſt ad eam firmitèr amplectendam.

CVm munus charitatis adiuuandi infirmos, & morientes ad omnes ſe extendat, ſi quandò occurret infirmum inuiſere, qui fidem catholicam non profiteatur, non erit derelinquendus, ſed illi omni conatu, pro vt erit capax, varia ex ijs, quæ ſubijciam, motiuà proponi poterunt, vt inducatur ad deteſtandam falſam, quam tenuit, ſectam, & ad veram fidem capeſcendam.

Primum motiuum eſt Sanctitas, quam fides Catholica docet, vndè dicitur Pſ.18. *Pſal.*

Lex

Digitized by Google

Lex Domini immaculata conuertens animas. Et 1.perpendendum quòd nullam, nè leuiſſimam quidèm permittit peccati maculam, nèc verbum quidèm, aut cogitatum otioſum. E contrà verò, vt adnotauit Theodoret. lib. de legibus. Leges, quæ apud Gentiles optimæ habitę ſunt vitia aliqua permitterent, nàm Lycurgi legibus permittebantur adulteria; Platonis, communio vxorum, & alia ſcelera. Perpendendum ſecundò quod nulla alia Religio tàm benè de Deo ſentit, quàm noſtra; de infinitate ſcilicèt perfectionum Dei, de bonitate excludente etiã potentiam ad peccandum, alijſquè perfectionibus, quas adeò excellẽtes in Deo agnoſcit, vt maius aliquid excogitari nõ poſsit. Contra verò omnes Sectę, & hęreſes aliquid continent, & de Deo affirmant eo indignum, vt patet de Gentilibus tàm antiquis, quàm modernis, qui multa fædiſsima & ridicula de ſuis dijs commẽti ſunt. Sic etiam Iudęi poſt Chriſti aduẽtum multa illo indigna eidem tribuunt. Similitèr euidentiſsima mendacia de Deo, eiuſquè prouidentia docuerũt Manichæi, Catafriges, Montaniſtæ, Tur-

Theodoret.

cæ, ac etiam noſtri temporis Hæretici, qui vt ex eorum ſcriptis eruditè oſtendit Bellar. lib. 2. de amiſſ. grat. cap. 3. & 5. faciunt Deum auctorem peccati; vide etiã ad rem noſtram eundem Bellar. in Præfation. tract. de Chriſto, & Campian. in decem ſuis rationibus ad Academicos ratione 8.

Bellar.

Camp.

Perpendendum tertiò nullam aliam ſectam tàm religioſè Dei cultum, tàm feruentem in eundem amorẽ præcipere; vndè euidenter conuincitur non poſſe rationabilitèr Deum permittere, vt cultores eius legis fallantur, quę Deum tanto cultu, veneratione, atquè amore proſequitur. Vide Tertull. Apolog. aduersùs gentes cap. 39. Perpendendum quartò, quòd talis eſt puritas fidei catholicæ, vt in omnibus cohæreat lumini rationis, quo argumento maximè ſuaſi ſunt Iapponẽſes; & licèt fides catholica multa doceat, quę humanum captum excedunt, qualia ſunt, quæ credimus de myſterio Trinitatis, Incarnationis, Paſsionis Chriſti, & Euchariſtici Sacramenti, non tamèn mirandum eſt, quòd intellectus humanus in hac mortali vita naturam diuinam non poſsit perfectè,

Tertull.

fectè, & clarè cognoſcere, qui nè ſui quidèm ipſius naturam plenè intelligit. Prçtereà quid mirum quòd Deus multa facere valeat, quæ nos non capimus, cùm etiã in humanis multa accidant, quæ, qua ratione fiant, ignoramus. E.g. Nemo hactenùs ſatis apertè explicare potuit, quomodò mulier vterum geſtans, & dùm appetit hauſtum vini rubei, vel alterius rei, ſi frontem, vel aliam corporis partem tãgat, eius filius in fronte, vel alia parte correſpondente cum ſigno vini rubei, vel illius rei, quam appetebat, naſcatur. Perpende quòd Deus nèc omnipotens, nèc immenſus, & perfectione omninò infinitus, atquè adeò nec Deus eſſet, ſi poſsemus eius naturam, & potentiam exiguis ingenioli noſtri cancellis concludere.

Secundum motiuum eſt ſanctitas multorum fidelium, quo argumento vtitur Lactant. lib. diuin. inſtitut. Nàm impoſsibile eſt ad tantam horum integritatem, ad tantam virtutum perfectionem naturæ viribus deuenire, quantam in multis viris ſanctis vidimus, vt probatiſsimæ teſtantur hiſtoriæ, & etiàm quotidiano conſtat experimento Perpendendum primò ſæ- Lactant.

mò ſæ-

mò, ſæpè maximam morum mutationẽ, vt cùm quis è libidinoſo caſtiſſimus, è furioſo patientiſſimus, ex auariſſimo omnium contemptor euadit. Perpendendũ ſecundò abundantiã conſolationum ſpiritualium quibus affluunt, qui fidei noſtræ præſcripta perfectè ſeruant, & pacẽ, ac mentis tranquillitatem, quâ fruuntur, vt clarè appareat quies animi iàm ſuo fini, & quaſi ſuo centro adhærentis. Perpendẽdum tertiò in alijs ſectis nè vnus quidèm poteſt oſtendi, quem vel miraculis, aut alia euidẽti ratione conſtet fuiſſe sãctum. Vide plura apud Campian. ratione 5. *Campian.*

Tertium motiuum ſunt miracula tàm quæ Chriſtus, quàm quæ viri ſancti patrarunt in fidei confeſſionem; cum autèm ſolus Deus tanquàm cauſa principalis miracula poſſit peragere, quæ ſunt ſuprà omnes vires naturæ creatæ; quia ſolus Deus eſt ſuprà omnem creaturam creatam, vndè dicitur Pſalm. 135. *Qui facit mirabilia magna ſolus*. *Pſal.* Hinc conſtat Chriſti, ſanctorumquè miracula fuiſſe ſolius Dei, tãquàm cauſæ principalis, ſed facta fuerunt in confirmationem fidei, vt expreſsè in

La-

Lazari reſurrectione Io. 11. *Vt credant* *Ioan.* (inquit) *quia tu me miſiſti*, ergò dũ Deus tanquàm cauſa principalis concurrebat ad hæc miracula, cenſebatur approbare, & ſua auctoritate declarare veram illam fidem, pro cuius confirmatione illa miracula patrabantur. Quis autèm non intelliget, quod etiam ex conceptu omniũ gentium liquet à Deo non poſſe approbari falſum? Perpendendum primò non poſſe negari eſſe patrata aliqua miracula in confirmationẽ noſtræ fidei, nàm Chriſti miracula quando ſcripta ſunt ab Euãgeliſtis erant recentiſſimæ memoriæ viuentibus adhùc illis, in quorum conſpectu publicè patrata dicebantur, vt fuit Lazari quatriduani reſuſcitatio, quæ ſi falſa fuiſſent, publicè à Iudæis hoſtibus noſtræ fidei conuicta fuiſſent falſitatis. Miracula verò Sanctorum probantur per tot hiſtorias, & per teſtimonia virorum ſapientum omninò fide dignorum, quales fuerunt S. Ambroſ. Aug. Greg. Magnus, Greg. Turonen. & alij penè innumeri, qui miracula ſuis temporibus edita, quorum ſæpè teſtes oculati fuerunt, conſcripſere; hos autèm moraliter certũ

eſt

eſt nèc fallere potuiſſe, nèc falli, præſertim omnes; nequè poſsibile, vt ex infinito penè miraculorum numero ex hiſto rijs, Sanctiſquè Patribus collecto, ſaltèm aliqua vera non ſint; vnum autèm miraculum verum per fidem noſtram patratū ſatis eſt ad euidentiam teſtimonij diuini pro noſtra fide. Hic poterunt aliqua notiora narrari, pro vt prudens Sacerdos iudicabit, vt eſt illud de Sanguine S. Ianuarij, qui in ampulla vitrea concretus aſſeruatur, cùm in conſpectu capitis eiuſdem Martyris ponitur, admirandum in modum colliqueſieri, & ebullire, perindè atquè recens effuſus, ad hæc vſquè tēpora cernitur.

Perpendendum ſecundò reduci hęc nō poſſe ad incantationes & magiam, vt Gentiles calumniabantur, tùm quià impoſſibile eſt per incantationes mortuum ad vitam reuocare, cæcum natum illuminare, tùm etiàm quià cùm hæc facta ſint in confirmationem fidei, pertinebat neceſſariò ad prouidentiam Dei prouidere, nè ad talia concurrerent dæmones, quæ rationabilitèr, & prudentèr cenſeri poſſent opera Dei; alioquin, cùm Deus non loqua-

loquatur nobis immediatè, ſed ſolùm per ſigna, non deeſſet nobis modus cognoſcendi teſtimonium Dei oſtendentis nobis viam ſalutis, & ſic Deus deficeret in prouidentia circà finem præcipuum hominis, quod eſt euidenter impium, & falſum. Et licèt Antichriſtus plura ſigna, & prodigia operaturus ſit, illa tamèn nõ erunt vera miracula, ſed præſtigiæ, & illuſiones oculorum, quæ arte dæmonis fieri poſſunt, & ferè vana & ludicra, qualia à præſtigiatoribus ſolent fieri. Vide Bellar. lib. 4. de Eccleſia milit. cap. 14. *Bellar.*

Quartum motiuum ſunt Prophetiæ impletæ, nàm ſi legatur Iſa. cap. 53. & Dauid Pſalm. 21. adamuſſim reperientur prædicta ea, quæ apud Euangeliſtas leguntur adimpleta in Chriſto cum ſuis circunſtantijs peculiaribus, vt ſunt ſortitio veſtis, diuiſio aliarum veſtium, flagellatio, Crucifixio, deputatio cum latronibus, pro inimicis deprecatio, & ſexcenta alia minutiſsima, neque dici poteſt has prophetias à nobis confictas eſſe poſt factum, nàm reperiuntur apud Iudæos hoſtes noſtræ fidei, & ſunt antiquiſſimæ memoriæ, neque aut Iudæi, aut Gen- *Iſa.* *Pſal.*

tiles

tiles id in dubium reuocarunt. Quæ cùm ita ſint, ſic valet inferre, Deus ſolus poteſt præſcire futura, vt patet ex conceptu omnium gentium, ergò prophetiæ inſpirari non poterunt niſi à Deo, ergò is, cui prophetiæ teſtimonium perhibent, non poteſt eſſe miſſus niſi à Deo. Sic etiàm Euangelia reſpondent prophetis, cùm Chriſtus natus ſit ex familia Dauid in Bethleem poſt completam ſeptuageſimam ſecundam hebdomadam Danielis.

Quintum motiuum eſt, quòd Apoſtoli homines aliàs timidi, & puſilli animi, qui comprehenſo Chriſto, licèt tot, ac tanta eius miracula vidiſſent, fugam nihilominus arripuerunt, legem Euangelicam in mundum introduxerunt. Opus ſanè ex multis capitibus ſpectatis ſolis viribus humanis impoſſibile. Primò, quia lex Euangelica omninò contraria erat legi mundi; lex enim Chriſti ardua, & difficilis, vtpotè quæ paupertatem mundi, voluptatum contemptum, carnis macerationes, & ſui docet abnegationem; lex verò mundi facilis, maximè naturæ humanæ corruptæ, vtpotè ſenſui indulgens. Secundò inducere homines ad mo-

res mutandos longiſsimo tempore ſtabilitos, pluſquàm humanum eſt. Tertiò proponebantur credenda altiſſima myſteria ijs, qui talia nunquàm audierant, ardua ad credendum, vt quod Deus ſit trinus, & vnus, Pater, filius, & Spiritus ſanctus, & in hac Trinitate perſonas quidèm eſſe diſtinctas, eſſentiam verò niſi vnam; Filium veram naturam humanam aſſumpſiſſe ad nos redimendos, hunc verò ſub panis, & vini ſpeciebus in Euchariſtia adeſſe, & hunc eundem verũ Deum, & verum hominem fuiſſe in Hieruſalem crucifixum. Hæc & alia credenda proponebantur, quæ nunquàm ſic efficacitèr homines idiotæ perſuadere potuiſsẽt, vt ad illa credenda traxiſſent Gentiles, niſi Dei fauor, gratia, & Spiritus Sancti impulſus interueniſſet, & talis mutationis ſolus auctor eſſe potuerit ille. *Qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupẽſ in fonteſaquarum.* *Pſal. 113.*

Sextum motiuum eſt firmitas, & perſeuerantia catholicæ Religionis, contrà quam adhùc naſcentem conatus oppugnantium hoſtium plures fuerunt; ſed ſempèr irrita fuit oppugnatio, licèt tot ſæcu-

ſæculis, tot ſupplicijs, tanta potentia, quanta fuit apud rectores orbis terrarum Romanos Imperatores, tanto odio, ac tanta rabie, quanta ex inaudito genere ſuppliciorum apparet, & quantum concipere non videtur potuiſſe humanus animus, niſi dæmone ſuggerente, tanta ergò firmitas & conſtantia diuinam potentiam euidenter indicat, à qua ſola proficiſci poterat.

Septimum motiuũ eſt teſtificatio Martyrum, nàm impoſsibile eſt tot, tamquè ſapientes viros, quales ſæpè fuiſſe martyres ex hiſtorijs conſtat, induci potuiſſe ad contemptum rerum omnium, & ipſius vitæ intèr cruciatus acerbiſsimos, niſi ex firmiſsima perſuaſione Chriſtianæ veritatis, quæ perſuaſio fieri non potuit niſi ex magna credibilitatis euidentia, ex qua inducerentur proptèr amorem rerũ, quas non videbant. Præterea impoſsibilis fuit tanta fortitudo, ac conſtantia, niſi virtus diuina adfuiſſet, præſertim in pueris, ac ſepè ĕt in puellis. Accedit triumphus ad victoriam martyrum, dùm grana, quæ ſingula cadebant (vt ait S. Leo) multiplicata naſcebantur ſucceſſu admi-

rabili

rabili, & plenè naturæ contrario, cùm victi vincerent non reſiſtendo, ſed perferendo. Quod rectè perpendens Chryſoſt. hom. 4. in primam ad Corinth. *Hoc igitur* (inquit) *admiratione plenum fuit, quòd qui diſcipulos Christi perſequebantur, & in vincula inÿciebant, & vexabant, non ſolùm non eos ſuperabant, ſed ipſi quoquè eis poſteà ſe ſubmittebant, flagellantes flagellatis, vincentes victis, & perſequentes his, qui perſecutionem patiebantur, imbecillibus fortes, piſcatoribus Reges, & ÿs, qui ſcholas nunquàm fuerunt ingreſſi, philoſophi & ſapientes.* D. Chryſ.

Octauum motiuum eſt punitio Iudæorum, nàm apparet eos vbiquè terrarum diſperſos ſinè ſacrificio, ſinè templo, ſinè Sacerdote, omnibus alijs nationibus opprobrio eſſe, & contemptui, vndè ſic valet ratiocinari. Hoc malum pœnæ tàm graue, tàm diuturnum infligi non potuit ſinè ſpeciali prouidentia Dei punientis per hoc aliquod malum culpæ, vt patet ex communi omnium conſenſu, qui mala pœnæ præſertim tàm grauia, atquè vniuerſalia tanquàm ſupplicia Dei punientis agnoſcunt; ſed aliud malum cul-

pæ per hanc pœnam puniri non potuit, quàm occiſio Chriſti; nequè enim, vt ex hiſtorijs patet, tùnc temporis Iudæi idolatriæ erant dediti, nequè quandò Deus in ijs punijt ipſum peccatum idolatriæ, tam grauitèr,tam vniuerſalitèr,tam diuturnè punijt, ergò ex hoc euidentèr apparet occiſionem Chriſti grauiſſimũ fuiſſe peccatum, & maius peccato idolatriæ, hoc autem eſſe non potuit, Si Chriſtus Dei filium ſe falsò prædicaſſet, nullum enim peccatum fuiſſet eius occiſio, immò gratiſſimum Deo ſacrificium, etiàm ex parte occidentis fuiſſet occiſio hominis ſe Dei filium mentientis, ergò in tantum fuit peccatum grauiſſimũ grauiſſima pœna dignum,in quantùm Iudęi verum Dei filium occiderunt. Pro huius rei corroboratione eſt euerſio Ieroſolymorum,ita ut non ſit ręlictus lapis ſuper lapidẽ iuxtà Chriſti prophetiam; qui hoc ipſum tantò antè prędixit futurum proptèr hoc ipſum peccatum, quod Iudæi non agnouerunt, *Eo quòd* (inquit Luc. 19.) *Non cognoueris tempus viſitationis tuæ*. Adde etiàm expulſionem eorundem Iudęorum à Ieroſolyma, qui nunquàm eandem iterùm

Luc.

rùm

rùm incolere potuerunt iuxtà eiuſdem Chriſti prophetiam. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Luc. 13. Immò cùm temporibus Iuliani Apoſtatæ Ieroſolymam iterùm ædificare cæpiſſent, ignei globi apparueruut, qui ædificatores cremabāt, teſtis eſt Ammonius Ethnicus auctor lib. *Ammon.* 33. hiſtor.

Nonum motiuum eſt quòd viri ſapientiſsimi fidem Catholicam amplexi ſunt, Dionyſ. Areop. celebris philoſophus Athenarū ſtudijs enutritus D Paulus priùs Chriſtianæ Religionis acerrimus hoſtis. D. Aug. ingenio, & doctrina celeberrimus, hi omnes, & alij quàmplurimi ab errore ad fidem ſe conuerterunt, ſola veritate & Spiritus Sancti impulſu ducti, & cùm his non defuerit intellectus acumen, neque voluntatis ſtudium ad indagandā veritatem, fieri non potuit, vt illi in tanto veritatis ſtudio, & intelligentiæ perſpicacitate deciperentur. Accedit, quòd Romanum Imperium, quod priùs vniuerſo orbi dominabatur, ſe poſtea fidei Chriſti ſubmiſit, & Roma illa, quæ tot Imperatorum fuit ſedes, modo gloriatur, quòd in ea ſummus Pontifex Chriſti Vi-

Pſal. 117. carius regnet. Sanè *à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.*

Decimum motiuum ſunt teſtimonia hoſtium iuxtà illud Deuter. 32. *Et inimici noſtri ſunt iudices*; nàm ex Iudæis Ioſeph lib. antiq. cap. 6. affirmat Chriſtum plus quàm hominem fuiſſe, & verè Meſſiam. Philo etiam Hebræus, vt notauit Euſeb. lib. 1. hiſtor. cap. 6. librum ſcripſit de laudibus Chriſtianorum, qui ſub Euāgeliſta Marco Alexandriæ florebat; Et ex Ethnicis etiam Plinius in epiſt. ad Traiaſtem lib. 10. fatetur Chriſtianos vitia omnia deteſtari. Extat quoquè epiſtola M. Aurelij Imperatoris teſtantis miraculum euidens per Chriſtianos editum. Deniquè Mahometus ipſe in Alcorano cap. 2. fatetur Chriſtianos ſaluari, & cap. 4. Chriſtum maximum eſſe prophetarum. Perpende hic breuitèr, ſi Mahometo iudice Chriſtiani ſaluantur, Chriſtianis autèm iudicibus Turcæ damnantur, hinc clarè conſtare tutius etiàm eſſe Chriſtianam ſequi legem, apud quam Turcarum quoquè iudicio ſalus eſt.

Deuter. Ioſeph. Hebra. Philo. Euſeb. Plin. M. Aurel. Imper. Alcoran.

Huc etiàm reduci poſſunt infelices exitus eorum, qui noſtram Eccleſiam perſecuti

ſecuti ſunt. Vide Chryſoſt.orat.3.contrà Iudæos. *D. Chryſ.*

Hæc motiua ſic breuitèr indicata ſufficiant, non enim eſt noſtrũ hic fuſiùs hæc pertractare.

Qui plura de hac re vult, legat S. Thom.contrà gentes. Medin. lib. 2. de rectа in Deum fide. Valent. 2. 2. diſp. 1. quæſt.1.punct.7. & in ſua Annalyt. Bellar.li.4. de Eccleſia milit.Leſſ.in ſua Conſult.de fide capeſſenda, Campian. in decem ſuis rationibus ad Academ. *D.Thom. Med. Valent. Bellar. Leſſ. Campian.*

ADNOTATIO XVII.

Infirmo non inſtructo in rebus fidei, quæ ſunt neceſſariò credenda, debent proponi.

QVoniàm aliqua neceſſitate medij, aliqua neceſſitate præcepti neceſſariò ſunt credenda, placet breuitèr innuere, quæ differentia intèr hæc ſit. Illa dicuntur neceſſaria neceſsitate medij, ſinè quibus ſalus haberi non poteſt: illa autèm dicuntur neceſſaria neceſſitate pręcepti, quæ ſolùm requiruntur neceſſariò ad hoc vt euitetur aliquod peccatum, prę-

tereà quę ſolùm ſunt neceſſaria neceſsitate præcepti, eorum ignorantia inuincibilis excuſat. At verò in his, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij, ignorantia etiã inuincibilis, licèt excuſet à nouo peccato, non tamèn ſatis eſt ad conſecutionem finis, ideſt ſalutis, vt ſi quis inuincibilitèr ignoret neceſſitatem baptiſmi licèt excuſetur à nouo peccato, quod committeret, ſi ſciens omitteret baptiſmum, non tamèn ideò ſaluabitur, quià ignorantia illa, vel impotentia non dabit gratiam, quam baptiſmus dat.

Poſita hac declaratione operę precium exiſtimo omiſſis fuſis diſputationibus, quæ de hac re fieri ſolent, breuitèr indicare, quænàm ſint neceſſitate medij credenda, & quæ neceſſitate præcepti, vt quilibèt Sacerdos vel alius adiuuans infirmos vel morientes ſciat quomodò ſe gerat, quandò illorum aliquis non eſt inſtructus in rebus fidei.

Conueniunt Theologi fidem explicitàm Dei remuneratoris eſſe de neceſſitate medij, fundamentum eſt illud Paul. ad Hebr. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe re-*

Ad Heb.

remunerator ſit. Vbi Apoſtolus ex eo, quod Enoch placuiſſet Deo, infert ipſum habuiſſe fidem; ſinè qua impoſsibile eſt placere Deo, quod probat, quia *accedentem ad Deum oportet credere*, &c. quem locum affert Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. commendans fidem quæ diſponit ad iuſtificationem, *de hac* (inquit) *diſpoſitione ſcriptum eſt accedētem ad Deum oportet credere, &c.* Trident.

An verò fides explicita Chriſti, & Incarnationis ſit neceſſaria neceſsitate medij nùnc in lege gratiæ, variæ ſunt Theologorum opiniones.

Prima docet requiri fidem explicitam Chriſti, non quidèm ad primam iuſtificationem, ſed ad gloriæ aſſecutionem; ità Magis. Cano in releƈt. de Sacram. in genere par. 2 concl. 3. & alij quos refert Suar. de fide diſp. 12. ſeƈt. 4. num. 9. ſed hęc ſententia communitèr reijcitur, quia gratia habitualis affert ſecum ſempèr ius ad gloriam, ergò illa ſolum requiruntur ad gloriam, quæ requiruntur ad gratiam, ideò enim ſcriptura ſolùm requirit ad gloriam carentiam peccati Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Cano. Suar. Matth.

Secunda opinio ſatis communis docet

fidem explicitam Chriſti eſſe neceſſariam vt medium in lege gratiæ ad primam etiã iuſtificationem. Hanc tenent Valent. diſput. 1. quæſt. 2. puncto 4. Lorca de fide diſput. 22. Sanchez in 1. præcepto Decalogi lib. 2. cap. 2. & alij. Ratio præcipua, quam affert Sanchez, eſt, quia cùm tota lex Euangelica in Chriſto fundata ſit, omniumquè hominum ſalus in Chriſti gloriam ordinetur, in eaquè prædicanda ab initio naſcentis Eccleſiæ elaboratum ſit, vt in re ſummi momenti ad noſtram ſalutem, conſentaneum valdè rationi fuit, nè Deus ſalutem hominibus alitèr concederet, niſi media explicita in Chriſtum fide.

Valent.
Lorca.
Sanch.

Idem Sanchez cum alijs ſimili modo putat fidem explicitam myſterij Sanctiſſimæ Trinitatis eſſe neceſſariam neceſsitate medij tàm ad gratiam, quàm ad gloriam aſſequendam, & pro hac parte affert D. Thó. 2. 2. quęſt. 2. art. 8. eodem pacto loquitur de neceſsitate fidei explicitę myſterij Trinitatis, quo artic. 7. locutus fuerat de neceſsitate fidei explicitæ myſterij Incarnationis. Ratio, quam adducit, hęc eſt, quia ſimilitèr fides huius myſterij ad noſtræ ſalutis fundamentum pertinet

D. Tho.

tinet

tinet Matth. 28. *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* *Matth.*

Tertia opinio negat fidem explicitam Chriſti etiam in lege gratiæ eſſe neceſſariam neceſsitate medij. Hanc tenent Michael de Medina lib. 4. de recta in Deum fide cap. 10. Vega lib. 6. in Trident. ca. 22. Iauel. 2. parte Chriſtianæ philoſoph. tractat. 1. cap. 1. ad finem, & alij, quos affert, & ſequitur Suarez dicta ſect. 4. num. 20. & Turian. de fide diſp. 27. du. 4. Fauet etiàm huic parti Coninch. diſput. 14. de actu fidei dub. 11. concl. 6. *Mich. Med.* *Vega.* *Iauel.* *Suar.* *Turrian.* *Coninch.*

Fundamentum præcipuum eſt ex illo Pauli ad Hebræos 11. citato, vbi ſolùm videtur exigere ad ſalutem fidem vnius Dei remuneratoris, ex qua fide ſufficientèr homo excitatur ad conſiderationem bonitatis Dei, & ad ipſum ſupèr omnia diligendum, & dolendum de peccatis per veram contritionem, ergò ſine fide explicita Chriſti poteſt iuſtificari. Præterea ad iuſtificationem cum Sacramento Baptiſmi, vel pœnitentiæ ſufficit attritio, ad quam non requiritur cognitio Chriſti, ſed poteſt concipi ex timore ge- *Ad Hebr.*

hennæ, vel ex fœditate peccati, ergò qui inuincibiliter ignoraret Incarnationem, poſſet iuſtificari in Sacramento ritè ſuſceрto. Demùm plures ruſtici inuincibiliter ignorant Incarnationem, quòd ſi cū hac ignorantia nó poſſunt iuſtificari, deberent ſanè repetere poſteà confeſsiones totius vitæ; nèc ſufficeret inſtrui nùnc à Confeſſario circà Incarnationem, nàm omnes præcedentes confeſsiones caruerunt effectu, & per conſequens valore defectu diſpoſitionis requiſitæ, ſcilicèt fidei explicitæ Incarnationis, alióquin ſi habuiſſent valorem, habuiſſent effectum, Sacramentum enim ſempèr cauſat gratiā in non ponente obicem peccati; durum autèm nimis videtur obligare pœnitentem ignarum Incarnationis ad totius vitæ confeſsiones repetendas.

Teſtimonia autèm Sacræ Scripturæ, quæ pro ſecunda opinione afferuntur, explicant auctores huius tertiæ opinionis loqui de neceſsitate præcepti, alia verò, in quibus fides Chriſti ponitur, vt neceſſaria, & vt fundamentum, dicunt agere non tàm de fide Chriſti, vt obiecti, quàm de fide Chriſti, vt cauſæ meritoriȩ,

& vt

& vt contradiſtinguitur à notitia legis, ex qua non iuſtificatur homo, ſed ex gratia ſeù fide per Chriſtum, nàm vt ait Auguſt. de fide & operibus cap. 17. non ſolùm fides Chriſti appellatur, qua Chriſtũ credimus, ſed quam per Chriſtum accepimus, qui modus loquendi familiaris eſt Paulo Apoſtolo, præſertim tota epiſt. ad Romanos, perpende quæ habentur c. 3. alia etiam teſtimonia dicunt ſolùm probare notitiam Chriſti explicitam habere virtutem ad iuſtificandum eo modo, quo iuſtificari poſſumus per fidem, non verò probare neceſsitatem talis notitię, huiuſmodi eſt illud Io. 3. *Sic exaltari oportet filiũ hominis, vt oĩs, qui credit in eũ, nõ pereat*

D. Aug.

Ad Rom.

Ioann

Auctores prædictæ tertiæ opinionis negant paritèr fidem explicitam Trinitatis eſſe medium ad ſalutem, quia hoc myſterium eſt obſcurius, & difficilius, quàm Incarnatio, quarè ſi ob allatas rationes Incarnatio explicitè cognita non eſt neceſſaria; ſic nèc Trinitas perſonarum.

Suarez dicta diſp. 12. ſect. 4. num. 8. addit fidem explicitam Trinitatis, & Incarnationis eſſe in lege gratię per ſe loquendo medium omnibus ad ſalutem neceſſarium,

Suar.

rium, nàm per ſe loquendo debet hæc fi-
des præcedere ſuſceptionem baptiſmi, ſi autèm aliquandò non præcedit, hoc erit per accidens proptèr ignorantiam, vel impotentiam, vndè ſicut dolor formalis de peccatis eſt medium per ſe neceſſarium ad iuſtificationem, licèt per accidens contingat aliquem iuſtificari per ſolam dilectionem Dei, in qua virtualitèr ille dolor continetur, ſic fides explicita horum myſteriorum dici poteſt medium per ſe neceſſarium ad iuſtificationem, licèt aliquandò per accidens poſsit non prçcedere formalitèr, ſed virtualitèr.

Verùm licèt hçc tertia opinio ſit probabilis, & multis etiàm probabilior videatur, nihilominùs ſi à parte rei eſſet falſa, & vera illa ſecunda, quæ docet fidem explicitam Chriſti, & myſterij Trinitatis eſſe de neceſsitate medij, probabilitas primæ opinionis non ſatis eſſet ad ſaluandum hominem, qui non haberet fidem explicitam Chriſti, & myſterij Trinitatis. Amplectenda igitùr eſt quoàd praxim, quantùm fieri poteſt, ſecunda opinio.

Sanch. Quarè vt Sanchez tom. 1. in præcept. decal.

decal.lib.2.cap.3.num. 23. monet; ſi infirmus in mortis articulo ſit conſtitutus, in quo non ità aptus eſt vt doceatur de ijs, quæ credenda ſunt neceſſitate præcepti, ſaltèm ei proponenda erunt ea myſteria, quæ tenetur explicitè credere neceſſitate medij iuxtà ſecundam opinionẽ, ſcilicèt myſteria Trinitatis, & Chriſti incarnationis, & inducendus eſt ad dolorẽ præteritæ negligentiæ culpabilis, ſi quæ fuerit, & propoſitum addiſcendi, data opportunitate, ità Sanchez. Quod ſeruandum puto in praxi, quandò prudens Sacerdos qui adſtat ad opem moribundi indicat non eſſe illum defatigandum ſuggerendo ea omnia, quæ neceſſitate præcepti credenda ſunt, ſi autèm prudentèr exiſtimaret non eſſe valdè moleſtum vel omnia, vel aliqua præcipua breuitèr proponere, vt infirmus ſaltèm actum illa explicitè credendi eliceret, illa deberet proponere.

Exiſtimat Sanchez idem faciendum, etſi pœnitens in articulo mortis minimè ſit, ſed alio morbo grauetur, quia eadem militat ratio; verùm hoc non facilè admitterem, quandò infirmi vita periclitatur; niſi *Sanch.*

tur; niſi

tur; niſi acerbitate dolorum vehementiſſima adeò eſſet turbatus, vt moralitèr impoſſibile cenſeretur, quod tùnc animum ad ea applicare poſſet, in aliud verò tempus opportunius transferēda erit illa inſtructio, cui homo tenetur ſe ſubijcere cum aliquo incommodo, & ſanè non videtur res adeò ardua audire breuitèr inſtruentem, & actum credendi propoſita fidei myſteria elicere, nè vita finiatur ſinè tali fide explicita, quam tot Scripturæ teſtimonia exigerent, vt neceſſariam pro ſalute.

Sanch. Idem Sanchez dicto cap. 3. num. 14. conſequentèr hæc ſubdit, *In mortis articulo, in quo neceſsitas vrget, ſatis eſt explicare cathecumeno myſterium Trinitatis, Incarnationis, Paſsionis ob noſtram redēptionem, & Reſurrectionis, quæ explicitè neceſsitate medij tenentur omnes credere.* Ità dictus auctor.

Verùm ſi per aliquod temporis ſpatiū articulus mortis protrahitur, pro capacitate cathecumeni alia etiam fidei myſteria breuitèr illi proponenda eſſe puto, & præcipuè aliqua de baptiſmo, & Euchariſtia, quia cùm illa Sacramenta ſit ſuſceptu-

ſcepturus, debet illorum ſubſtantiam cognoſcere.

Extra verò articulum mortis antequã baptizetur cathecumenus, hic ſanus, ſiuè infirmus ſit inſtruendus eſt de iis, quę neceſſitate præcepti credenda ſunt; ſi enim non ità inſtructus baptizaretur, periculum ſubeſſet, vt poſteà conſcius fidei, & morum, ad quos obligat baptiſmus, retrocedat, aut ſe deceptum alleget.

Infirmus autèm ignorans rudimenta fidei regularitèr loquẽdo inſtruendus eſt de ijs omnibus, quæ neceſsitate præcepti credenda ſunt.

Hæc autem iuxtà probabiliorem opinionem ſubnecto.

Primò ea, quæ ſunt de neceſsitate medij, ſunt etiam explicitè credenda neceſſitate præcepti. Ratio eſt, quia cùm horum cognitio ſit maximè neceſſaria ad ſalutem; eſt etiam maximè præcepta.

Secundò de neceſsitate præcepti omnes articuli ſymboli Apoſtolici ſunt neceſſariò credendi, ſaltèm quoàd eorum ſubſtantiam. Ratio eſt, quia proponuntur ab Apoſtolis toti Eccleſiæ credendi, ergò

ergò ſatis euidens argumentum eſt illorũ cognitionem fuiſſe neceſſariam ad ſalutem ſaltèm neceſsitate præcepti. Accedit praxis Eccleſiæ, quæ eoſdem articulos omnibus credẽdos proponit,& ſuis miniſtris iniungit,vt rudes illos doceant. Patet ex cap. *Deus qui de pœnit. & remiſ.* & ex cap. *antè viginti dies* 54. cap. *Baptizan.* 57. cap. *non liceat* 58. *de conſecrat.* diſt. 4. cap. *Symbol.* 55. Dixi *quoàd ſubſtantiam*, quià non ità enucleatè tenetur quilibèt fidelis ſcire articulos in ſymbolo contentos quoad omnes circumſtantias, & profundiores conceptus, vndè iuxta multos non adſtringuntur omnes fideles explicitè ſcire Chriſtum paſſum eſſe ſub Pilato, aut qua ratione dicatur ſedere ad dexteram Dei; & Sanchez in præcep. lib. 2. cap. 3. docet rudiores abſolutè non teneri diſtinctè credere Sanctorum communionem. & ratio eſt, quià huius cognitio non videtur multùm referre neque in ordine ad actiones, neque in ordine ad myſteria, quæ ſunt immediatè circa vltimum finem. Adde quòd etiam viri docti diſputare ſolent, in quibus rebus hæc communio conſiſtat.

Sanch.

Te-

Tenentur tamèn omnes diſtinctè credere vnam eſſe Eccleſiam ſub vno capite Ieſu Chriſto, & eius in terris Vicario, qui eſt Romanus Pontifex, extrà quam nullus ſaluari poteſt.

Itèm neceſſarium eſt, vt omnes fideles credant Chriſtum eſſe natum ſinè opera viri ex Maria Virgine, atquè ita perpetuò hanc manſiſſe Virginem.

Tenentur etiam omnes ſcire ſaltèm tria Sacramenta, Baptiſmum, Euchariſtiam, & Pœnitentiam, ità vt ſciant in Euchariſtia Chriſtum verum Deum, & hominem verè, ac integrè contineri, & in eo adorandum eſſe, & à communicantibus verè ſumi, omneſquè fideles adultos teneri eundem Euchariſticum cibum, & animæ refectionem ſuo tempore ſumere. Itèm baptiſmum, ac pœnitentiam eſſe Sacramenta pro remiſſione peccatorum inſtituta à Chriſto; baptiſmus quidèm neceſſariò ab omnibus ſemèl ſuſcipiendus eſt, ad pœnitentiam verò neceſſariò recurrere debét fideles relapſi in peccatum mortale.

Itèm tenentur omnes ſcire orationem Dominicam, præcepta Decalogi, & illa

 Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ præcepta, quæ ab omnibus ſunt obſeruanda, vt de celebrandis feſtis, de audiendo ſacro, de annua confeſſione, & communione, de ieiunio ſeruando &c. Ratio eſt, quià in oratione dominica inſtruimur de ijs, quæ à Deo petere, & ſperare debemus, in præceptis autèm docemur ea, quæ ad benè viuendum ſunt neceſſaria.

Quòad praxim verò, etſi de omnibus prædictis eſt inſtruendus infirmus rudimenta Chriſtianæ Religionis ignorans, non eſt tamèn neceſſe, vt hic ea memoria retineat, ſed ſufficiet, vt actum credendi eliciat, dùm Parochus vel alius prædicta credenda membratim proponit.

Hìc autem opus eſt prudentia docentis, vt habita ratione captus & diſpoſitionis infirmi procedat in tali inſtructione, & quantùm fieri poteſt, breuitati ſtudere debet, nè tædio afficiat inſtruendum.

Si infirmus hilari animo excipiet huiuſmodi inſtructionem, operæ precium erit huiuſmodi docere etiam ſaltèm in genere eſſe ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, quia ipſa ſunt ex præcipuis noſtræ ſalutis reme-

remedijs, & ex illis, quantùm beneficus fuerit Deus ergà Eccleſiam, cognoſcitur. Sic etiàm expediet eidem myſteria Circumciſionis, præſentationis Chriſti in templo, & Spiritus Sancti deſcenſus in Apoſtolos explicare; cùm enim hæc in Eccleſia celebrentur, valdè decet catholicum ea explicitè ſcire.

Prætereà huiuſmodi infirmus hortandus erit, vt ſi valetudinem recuperabit, ſtudeat diſcere prædicta meliùs, diligentiamquè adhibeat, vt etiàm memoriæ, ſi fieri poteſt, illa mandet.

Demùm ſi huiuſmodi infirmus culpabilitèr ignorauerit ea, quæ credere tenetur neceſſitate præcepti, inducendus erit ad dolendum de hoc peccato, & ad illud confitendum. Dixi *ſi culpabilitèr*, nàm apud aliquos ruſticos dari poteſt ignorantia inuincibilis, ratione cuius excusātur à peccato ignorandi ea, quæ neceſſitate præcepti ſunt credenda, vt notat Sanchez in præcepta lib. 2. capit. 3. ſub numero 20. quià contingit aliquandò huiuſmodi ruſticos nihil de prædictis audiuiſſe, vel, ſi audierint, nihil inſtàr brutorum percepiſſe, nullo- *Sanch.*

què ſcrupulo circà hæc expunctos fuiſſe.

ADNOTATIO XVIII.

Corroborandus eſt infirmus in fide maximè quando de illa tentatur.

IVuabit in primis inducere infirmum ad hanc, vel ſimilem proteſtationem. Proteſtor toto cordis affectu fidei catholicæ me ſemper velle adhærere, & diuino fretus auxilio pro illius veritate vitam, & ſanguinem effundere paratus ſum, quarè licèt dæmon, vt meæ ſalutis infeſtiſsimus hoſtis, mihi ſuggerat aliqua contra id, quod cor catholicum ſentire debet; ego, qui ſcio illum eſſe deceptorem, mendacem, & vafrum, cui non deſunt artes, & inſidię tegendi falſitates, & mendacia apparenti veritatis colore, nèc ſophiſmata decipiendi eos, qui cum eo diſputationē inſtituere præſumunt; ego (inquàm) vt illius laqueos effugiam, nolo illi reſpondere, & ſi adhùc, vt ſolet importunus inſtabit, nihil aliud dicam, niſi me firmiſsimè credere quidquid bonus catholicus credere tenetur, & hoc modo in-

tendā virtualitèr confeſſionem fidei quò-ad omnes articulos renouare. Cæterùm ſi ex dæmonis malitia, aùt ex alio accidenti ab his actualibus propoſitis, & à præſenti diſpoſitione aliquid alienum in cor meum caderet, (quod vt Deus auertat, obſecro,) proteſtor me non aſſenſurum tali errori, & nùnc pro tùnc funditùs irrito huiuſmodi actus, diuinamquè miſericordiam imploro, vt mihi indulgeat, ſi aliquid culpæ meæ erit. Tandèm ad Beatam Virginem Mariam vt meam potentiſſimam protectricem confugio, vt me eripere dignetur ab omnibus dæmonis inſidijs. Eià ergò aduocata mea ad me miſericordes oculos conuerte, dilectiſsimumquè filium tuum exora, vt, qua in veræ fidei confeſſione maiori ſemper feruore perſeuerare poſſim, gratiam mihi largiatur. Vos omnes Angelos, præcipuè autèm Michaelem, & meum Angelum Cuſtodem, vos Sanctos Apoſtolos, maximè verò Petrum, & Paulum; vos omnes Sanctos quantùm poſſum humilitèr obſecro, vt à Deo tale auxilium mihi impetretis, quo valeam infernalem hoſtem ſuperare, catholicamquè fidem ſem-

per firmiùs retinere.

Conducet etiam aliquandò infirmo ſuggerere illi magnoperè gaudendum eſſe, quod ſit in hac vnica Eccleſia, ſcilicèt fidelium congregatione ſub vno capite Ieſu Chriſto, & eius Vicario in terris Romano Pontifice extrà quam nemo poteſt ſaluari; vt enim tempore diluuij vnica tantùm fuit Arca, in qua quicunquè fuerunt, ſaluati ſunt, & quicunquè extra eam remanſerunt, perierunt, ſic nùnc non eſt niſi vnica fides, vnica Religio, vna lex Euangelica, eadem Sacramenta, & ſacrificia, vna ſcriptura Sacra, ſicut non eſt niſi vnus Deus, vnus creator, & ſanctificator, vnus mediator, & vnus vltimus finis omnium, & cùm ſit vnum tantùm caput, non poteſt ſub eo eſſe niſi vnum corpus myſticum, ſcilicèt congregatio fidelium, omnes verò reliqui vniuerſi in quacunquè ſecta, & lege ſint, peribunt, & ſicut Arca Noe vnum tantùm habebat oſtium Gen. 6. ità ad ingrediendam domum huius Eccleſiæ vnicum eſt oſtium Chriſtus Dominus noſter, & eius fides, quam in baptiſmo profitemur, vt ipſe Chriſtus monuit, *Ego ſum oſtium per me*

ſi quis

ſi quis introierit, ſaluabitur.Io.10. *Et qui* Io.
crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Marc.
Marci vltimo.

Hæc mi N. ſi attentè conſiderabis, Deo ſanè gratias ages ob huius beneficij magnitudinem, quod tibi Deus contulit, dùm te naſcentem ex matris vtero in gremio Eccleſiæ recepit, innumeris relictis infidelibus, qui pereunt in diluuio infidelitatis, immò inter ipſos Chriſtianos hoc beneficio non obtento multi pereũt infantes, ſiuè quod in vtero, ſiuè quod nati, antequàm baptizentur, moriantur, qui tamèn non erant minùs innocentes, quàm tu mi N. qui nèc magis hoc beneficium promeritus eras, quàm ipſi. Quarè par eſt vt affectum cordis gratum ad Deũ eleues, & dicas. O'Pater amantiſſime quas tibi gratias reddam pro adeò præſtanti beneficio, antequàm ego ſcirem reprobare malum, & eligere bonum, abſtuliſti à me culpam, & tua gratia me iuſtificaſti, vt ſcirem reprobare malum, & eligere bonum, ah precor, vt nùnc hanc gratiam mihi largiaris, qua in tua Eccleſia militante vſquè ad exitũ ſpiritus mei ita firmitèr perſeuerem, vt ad triumphã-

tem perueniam, in qua te fruar æternùm.

Si verò ità diſpoſitus ſit æger, vt ad eius ſolamen, & magis illum in fide ſtabiliendum, aliquas opportunum videatur adducere rationes, ex quibus, quàm credibilia ſint, quæ noſtra fides docet, apparet; poterunt aliqua ſuggeri ex motiuis, quæ ſupra adnotatione decima ſexta attuli.

Vt eſt ſanctitas Chriſtianę Religionis, quidquid enim hæc credit, aut fieri præcipit, omne rationi, æquitati, ac honeſtati conſentaneum eſt.

Immota perſeuerantia fidei intèr tot inſultus Imperatorum, & hæreticorum, & impiorum, vt illud Gamal. Act. 5. experimento comprobatum ſit; *Si ex hominibus erit conſilium hoc, aut opus, diſſoluetur, ſi verò ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere.*

Act. 5.

Et prætèr adducta citata adnotatione.

Cariſſime N. nonnè teſtatur veritatem fidei noſtrę admirabilis vnio membrorū, ſcilicèt Catholicorum intèr ſe, & cum Chriſti Vicario, ſcilicèt Romano Pontifice, nàm ſicut diſcordia eſt ſignum regni Sata-

Satanici, quod tandèm cadere debet Matth. 12. *Omne regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur*, ità concordia eſt ſignum regni Dei, *Factus eſt in pace locus eius*, Pſal. 75. & 1. ad Corinth. 14. *Non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis*. Porrò hæc vnio conſiſtit primò, quòd oẽs Catholici in quacunqne orbis parte cõſtituti de fidei dogmatibus idem ſentiunt, & ſenſum ſuum ſubijciunt ſenſui Catholicæ Eccleſiæ; ſecundò conſenſus, & armonia Sacræ Scripturæ in tanta ſcriptorum eius varietate concordantium in altiſſimis articulis, hoc perpendit Aug. de ciuit. 10. contrà hæreſes, in quibus nihil aliud niſi diſſenſio eſt; tertiò quòd decreta legitimorum Conciliorum, & Pontificum conueniunt intèr ſe in dogmatibus, licèt diuerſis temporibus, locis, & occaſionibus facta fuerint, ex his conſtat vnum, & eundem Spiritum Sanctum Eccleſiæ Catholicæ aſſiſtere, ac proindè veriſsimam eſſe fidem noſtram.

Matth. *Pſal.* *1. ad Cor.* *Aug.*

Nonnè clarum veritatis fidei Chriſtianæ argumentum ſunt viſiones, & reuelationes, quarum innumeræ in approbatis voluminibus habentur, & à viris fide di-

gniſ-

gniſſimis referuntur, in quibus omnia fidei noſtræ conſonant.

Satis etiàm veram eſſe fidem noſtram indicant Energumeni, nàm in his clarè apparet dari Spiritus ſuperioris naturæ, eoſquè Chriſti nomen, ac potentiam vereri.

Expediet etiam quandoquè ſic alloqui infirmum fidei tentationibus agitatum.

Dilectiſſime N.dũ talia myſteria Deus credenda nobis proponit, quæ licèt rationi non repugnent, altiſſima tamèn sũt, & humani intellectus captum excedentia, ingentis meriti occaſionem nobis prę beri certum eſt. Nàm creatura rationalis fidem adhibèndo rebus, quas in hac mortali vita percipere euidentèr nequit, nobiliſſimam potentiam, intellectum ſcilicèt, humilitèr ſummo conditori ſubmittit: vnde benè D.Greg. *Fides non habet meritum, vbi humana ratio prabet experimentum.* Quarè mi N. proteſtare nùnc te magis, ac magis credere, quò minus, & intelligere vales; conſtat enim beatos eſſe; qui non viderunt, & crediderunt.

D.Greg.

Si infirmus ſit vir doctus, hæc ſubnecti poterunt, Sanè

Sanè quis non fateatur temerarium, immò ſtultum nimis eſſe eum, qui altiſſima, diuinaquè, atquè à ſenſibus remotiſsima, quæquè infinita ſunt myſteria, intellectu limitato, atquè in ſuis operationibus à corporeis organis in hac vita mortali dependente comprehendere prę-ſumat.

ADNOTATIO XIX.

Aegrotus diffidentiæ tentationibus oppreſſus erigendus eſt in ſpem.

NOn eſt leuis tentatio, qua ſæpè dęmon conatur peccatorem inducere in diffidentiam obtinendæ veniæ, qua tentatione deiectus Cain dixit, *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* *Geneſ. 4.* Verùm eo tempore, quo homo periculosè ægrotat, vehementiùs callidus hoſtis ſolet prædicta tentatione eum aggredi. Quarè qui adſtat ad opem infirmi, vel moribundi, diligentèr inuigilare debet, vt infirmum animet ad habendam fiduciam in diuina miſericordia, & maximè cùm animaduertit eius animam fluctuare, diffidentiæ tentationibus.

Po-

Poterit auxiliator infirmum ſic alloqui.

Primò, Cariſsime verum quidèm eſt, quod ſi tantùm de grauitate tuorum peccatorum cogitas, animo cades, ſed ad infinitam Dei miſericordiam tibi confugiẽdum eſt. Cogita quæſo quotiès hæc iuſtitiam diuinam detinuit, nè dignas tuis peccatis pœnas infligeret, vt ſic pœnitentiæ ſpatium tibi eſſet; Si ergò miſericordia Dei efficere potuit, vt ille peccata tua diù diſsimularet, vt te ad pœnitentiam expectaret, forsàn dubitare poteris, quòd nùnc eadem miſericordia te non ſit benigniſsimè ſuſceptura?

Secundò recordare mi frater, quòd vt rectè monet Chryſoſt. hom. 3. de pœnit. *Tua malitia menſuram habet, Dei verò clementia, & pietas menſuram non habet, tua malitia qualiſcunquè fuerit, humana malitia eſt, Dei verò clementia eſt incircumſcripta, ipſa igitur tuam malitiam ſuperat. Cogita ſcintillam, ſi in mare ceciderit, non poterit ſtare, aut apparere, quantùm ſcintilla ad mare ſe habet, tantùm hominis malitia ad Dei clementiam; immo verò non tã modò, ſed longe ſupra, nàm & pelagus et ſi ma-*

Chryſoſt.

magnum ſit menſuram habet. Et certum eſt quòd finiti ad infinitum nulla eſt proportio, quarè ſi exiſtimares Deum ſolùm vſquè ad certos fines, & tales limites peccata condonare, iniuriam ipſi grauem irrogares, dùm illius, quæ infinita eſt, & interminata miſericordia, finitam & terminatam tibi perſuaderes, hac ergò Dei infinita fretus miſericordia ſic ad Deum fiducialitèr clamare potes. *Miſerere mei, miſerere mei, quoniàm in te confidit anima mea, & in vmbra alarum tuarum ſperabo, donèc tranſeat iniquitas*. Pſal. 56. *Pſal.*

Tertiò, Perpende, quòd Deus cùm ſit infinitè bonus, infinitè etiam ſibi complacet bonitatem ſuam nobis manifeſtare, & communicare; intèr alios autèm modos, quibus Deus bonitatem ſuam oſtendit, & communicat, admirabilitèr elucet, quòd ſemper paratus ſit iniurias à peccatoribus acceptas condonare, eoſquè in gratiam, ſi peccaſſe pœniteat, recipere; immò ſæpiùs veniam ipſis peccatoribus offert, & verum eſt, quòd plus innoteſcit diuina miſericordia dùm plura peccata condonat, quàm dum pauciora, dùm grauiora, & magis enormia, quàm dum leuiora;

dùm

Digitized by Google

dùm poſt multos in peccata relapſus peccatori parcit, quàm dùm prima vice eidē indulſit.

Vide ergò mi N. quantùm de hac infinita bonitate confidere debes, vide qualem certitudinem de tuorum peccatorum venia obtinenda habes, etſi enim ſuprà numerum arenæ maris peccaſti, nihil eſt de quo dubites, dùm ad quam confugias, infinitam bonitatem paratam ad te ſuſcipiendum habes. Iure ergò & meritò dicere potes. *Ego autèm in Domino ſperans, exultabo, & latabor in miſericordia illius.*

Pſal. 30.

Quartò, Recole fideliſſimas promiſſiones Dei in ſacris paginis ſæpiùs iteratas, quæ quantumlibèt flagitioſum, ſed pœnitentem hominem de venia obtinenda ſecurum reddunt. O' quantùm te animare debet de tua ſalute oraculum illud

Iſa. Iſa. 43. vbi Deus ſic loquitur. *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recor-*

Ezech. *dabor*; & illud Ezech. 18. *Si autē impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis ſuis, qua operatus eſt, et cuſtodierit omnia pracepta mea, & fecerit iudicium, & iuſtitiam, vita*

vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor, & illud Eccl. *Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote quià nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt quis inuocauit eũ, & deſpexit illum?* Cor ergò tuum mi N. fiducialitèr ad Deum eleua, & dic. *Domine non confundar, quoniàm inuocaui te.* Pſal. 30. Eccleſ. Pſal.

Quintò, Verum quidèm eſt N. quòd Deum pluribus peccatis offendiſti, ſed quem offendiſti, eſt etiàm pater tuus, quarè amor huius patris te benigniſſimè inuitat ad eum pro venia obtinenda recurrendum. Nonnè ſimilis patris affectus etiàm pellexit filium prodigum, vt ad patrem confugeret, quod benè expendit S. Petr. Chryſol. ſerm. 2. de filio prodigo. *Surgam* (inquit) *et ibo ad patrem meum. Iacebat qui dixit Surgam, intellexit lapſum, ſenſit ruinam, iacere ſe turpis luxuriæ reſpexit in lubrico, & ideò exclamat, Surgam, & ibo ad patrem meum, qua ſpe? qua fiducia? qua confidentia? qua ſpe? illa qua pater eſt, perdidi quod erat filij, ille quod patris eſt, non amiſit. Apud patrem non intercedit extraneus, intus eſt patris pe-* Petr. Chry.

ctore

ctore ipſe, qui internenit, & exorat affectus: Vrgentur patris viſcera iterùm filium genitura per veniam. Ibo ad patrem reus; ſed pater viſo filio cooperit mox reatum, diſſimulat iudicem, qui magis vult implere genitorem. & ſententiam citò vertit inuentã, qui redire cupit filium, non perire. Pater autèm non ſolùm filiopepercit, ſed etiàm fauoribus, & muneribus eum excepit, ex quo intelligere potes non modò licere tibi à Deo, qui eſt pater miſericordiarum, ſperare peccatorum tuorum veniam, ſed etiàm fauores, gratias, & cœleſtes con-
Pſal. 72. ſolationes, & verè dicere potes. *Mihi autèm adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam.*

Sextò, Cariſſime N. *Si adhùc cùm inimici eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus*
Ad Ro. 5. *eſt, multò magis reconciliati ſalui erimus ab ira per ipſum.* O quantùm ſalutis no-
*ſpem ſtræ*corroborare debet cœleſtis hæc doctrina. Si enim clementiſſimus Ieſus nos inimicos tali miſericordia præuenit, vt acerbiſſima & innumera tormenta pro noſtra ſalute pati, ac ignominioſè mori dignatus ſit. Nonnè ſecurus eſſe debes mi
Pſal. 22. N. quòd hæc, *miſericordia diuina ſubſequetur*

quetur te omnibus diebus vitæ tuæ, vt inhabites in domo Domini in longitudinē dierum. Rectè D. Aug. ſuper Pſal. 5. *Bona* (inquit) *voluntas Dei præcedit bonam voluntatem noſtram, vt peccatores vocet ad pœnitentiam, & ipſa ſunt arma, quibus expugnatur inimicus, contrà quem dicitur. Si adhùc cùm inimici eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multò magis reconciliati ſalui erimus ab ira per ipſum. Hoc eſt inuictiſſimum ſecretum, quo repellitur inimicus deſperationem ſuggerens ſalutis multitudine tentationum, & tribulationum.* D. Aug.

Quarè mi N. affectum cordis ad Deum fiducialitèr eleua, & dic. Benedicte ſis Chriſte Ieſu, qui veniſti in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum licèt primus ego verè ſim, non dubito tamèn quin me repellas; ſi enim tu es ille paſtor bonus, qui amiſſam ouem quærens, & inueniens ſuper humeros tuos trahere ſoles ad ouile, multò magis me, qui inſtàr ouis erraui, nùnc ad te confugientem recipies.

Septimò, Perpende Cariſſime N. quòd Chriſtus toto eo tempore, quo intèr mortales fuit, nullam prætermiſit occaſionē

O miſe-

miſericordiæ exercendæ, modò cæcis lumen, ſurdis auditum, loquelam mutis diuinitùs largiebatur, modò paralyticos, leproſos, claudos, cæteroſquè infirmos ſanitate donabat, modò à ſpiritibus immundis vexatos liberabat, modò mortuos ad vitam reuocabat. Si ergò pijſſimus Ieſus ſempèr erat ità paratus ad tollendas has corporales miſerias, ad vitam largiendam corporalem, quàm ſecurus eſſe debes, quòd cùm magis eluceat illius miſericordia in ſanandis animi morbis, in auferendis maximis miſerijs, in liberando à morte æterna, quàm ſecurus (inquàm) eſſe debes, quòd te nùnc pœnitentem à peccatis, à poteſtate diaboli, à morte æterna vindicabit. Dic ergò fiducialitèr. *Dominus adiutor meus, & protector meus, in ipſo ſperauit cor meum, & adiutus ſum.*

Pſal. 27.

Octauò, Mirum in modum dilectiſſime mi N. ſpem ſalutis tuæ confirmat pretioſus Chriſti ſanguis pro te tam abundantèr, & tanto amore effuſus. O' ſanguis potentiſſimus dæmonum audaciam coercens, & captiuitatis noſtræ iugum effringens. Sanguis efficaciſſimus ad infirmitates

tates noſtras tollendas ad virtutem nobis conferendam, qua omnes aduerſarij noſtri inſultus retundere facilè poſſumus. Sanguis puriſsimus, ſāguis ſanctiſsimus, qui nos ab omnibus peccatorum ſordibus lauat, qui nos gratijs omnibus replet; at ſi iſte Chriſti ſanguis ſacratiſsimus infiniti eſt valoris, vt vel minima guttula ſufficiat ad redimendas innumeras animas, cur adeò largifluos illius imbres Chriſtus ex omni parte corporis ſui emiſit? Ah mi N. hoc ab ipſo factum intelligere poſſumus, vt meliùs Chriſtus amorem ſuum ergà nos immenſum patefeceret, & vt nobis conſtaret copioſam eſſe apùd ipſum redemptionē noſtram. O'mi frater, agnoſce hunc pretioſum amoris theſaurum, agnoſce efficaciſsimam virtutem huius ſanguinis ſacratiſsimi, offer illum Patri æterno in tuorum ſatisfactionem peccatorum, & de quo amplius dubites non erit; dic mecum toto cordis affectu. Ah Pater æterne agnoſce pretioſum ſanguinem filij tui pro ſalute mea effuſum, en tuā pro me implorat miſericordiam. Scio enim quòd, *Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio peccatorum*, & ſcio quòd, *Sanguis Ieſu* Ad Heb. 9. 1. Io. 1.

Chriſti emundat nos ab omni peccato.

Nonò, Poſita ante oculos huius infirmi Chriſtì crucifixi effigie Sacerdos hæc illi ſuggerere poterit.

Cariſſime N. huius Chriſti extenſa brachia te amorosè inuitant, vt ad eum confugias, qui ad te amplectendum paratiſſimus eſt; contemplare manus, pedeſquè illius clauis perforatos, caput duriſſimis ſpinarum aculeis vndiquè punctum, os felle aſperſum amariſſimo aliaquè innumera, atrociſſimaquè tormenta quæ pertulit pro tua ſalute Chriſtus; & quid aliud reſtat, niſi vt fructum huius Chriſti paſſionis colligas, quem certè colliges, ſi dolens de culpis omnibus, quas admiſiſti, fiducialitèr illum rogabis, vt dignetur applicare tibi redemptionem, quam operatus eſt. Dic ergò intimo cordis affectu, ſit benedicta Saluator mi immenſa tua charitas; quæ te ad tanta perferenda pro me impulit, fac quæsò vt horum virtute liber exiſtam à culpis, & pœnis, quas promeritus ſum.

Decimò, Mi N. mentis tuæ oculos dirige ad illud Chriſti latus lancea apertum, ibi enim patet via, qua ad cor dulciſſi-

ciſsimi Ieſu ingredi licet, ad cor (inquàm) illud amore ergà nos flagrans, & deſiderio noſtrę ſalutis exęſtuans. Mi frater in hoc amoroſo latere omnem affectum tuũ colloca, omnem ſpem tuam repone, & ſecurus eſto, quòd dum ibi permanſeris, nihil poterunt aduersùs te dæmonis inſultus. Dic ergò, *In pace in idipsũ dormiã, et requieſcam, quoniàm tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* Pſal. 4.

Plurimùm etiam ad ſpem ſalutis excitandam in ægroto valet proponere potẽtiſsimum B.V. patrocinium, & efficaciſſimam illius interceſsionem, de quo argumento infrà.

ADNOTATIO XX.

Infirmus inducendus eſt ad actus amoris ergà Deum eliciendos.

POterit Sacerdos infirmo varia motiua Deum diligendi breuiètr proponere, & poſteà illius affectum ad actus amoris ergà Deũ exercendos excitare. Et

Primò, Infinita Dei charitas non eſt contenta, ſi ipſa nos amat, ſed ſummè deſiderat à nobis amari, non ſui emolumen-

ti, ſed noſtri potiùs cauſa, ideoquè nos præuenit amando, vt nos ad redamandũ prouocet, nulla enim maior ad amandum prouocatio, quàm amoris præuentio, vndè etiam Seneca dixit, *Ama ſi vis amari.* Hoc Dei deſiderium ex eo patet, quòd ſingulare ediderit de hoc amore præceptum dicens. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, ex tota virtute tua, & ex omnibus viribus tuis.* Ideſt omni poſſibili nobis perfectione. Quarè mi N. eleua affectum tuum ad Deum, & dic

Sen.

Math. 22.

O' amator dilectiſsimè ſiquidèm adeò cupis, vt te ſinè modo amem, da mihi quod iubes, vt implere poſsim, quod deſideras; ò vtinam te ſempèr dilexiſſem, qui in charitate perpetua dilexiſti me, da mihi ſaltèm, vt quamdiù vixero, ità te diligam, ſicut vis à me diligi.

Secundò, Eſt charitas omni alia virtute maior, & continet in ſe legis plenitudinem. Charitas etiàm reddit actus noſtros coràm Deo meritorios, & ſinè illa nullum opus noſtrum aliquid meretur apùd Deum, dicente Apoſtolo. *Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes faculta-*

1. Ad Cor. 13.

tes meas, & ſi tradidero corpus meum, ità vt ardeam, charitatem autèm non habuero, nihil mihi prodeſt, ſcilicèt ad meritum vitæ æternæ; debes ergò mi N diuino adiu tus auxilio conari, vt iteratos amoris actus ergà Deum elicias, dic eo maiori quo potes cordis affectu. *Diligam te Domine fortitudo mea, refugium meum, virtus, & conſolatio mea.* Diligam te Deus meus, qui es charitas, & qui manet in charitate in te manet, & tu in illo. 17.

Tertiò, Prætereà vt ex omni parte vincti teneamur ipſius amore, hic Deus amãtiſsimus philtri loco innumeris beneficijs vtitur, vt nos præueniens trahat ad ſuum amorem. *In funiculis Adam, in vinculis charitatis*, Fouens ignẽ amoris lignis donorum, & ſuaui inſpirationum ſuarum flabello. Nonnè etiam eius aduentus in mundo fuit, vt ignem mitteret, cuius deſiderium erat, vt arderet, vt ſic haberet etiam in terra ſeraphinos, ſicut habet in cœlo. Ab his Seraphinis humilitèr pete, vt quo ipſi exęſtuant igne amoris, cor tuũ accendant. Dic ergò. Oſe.11. Luc.12.

O' cœleſtes Seraphini, qui flamma diuini amoris ardetis, orate Deum veſtrum,

vt eadẽ flãma cor quoq; meũ accendat, & ità foueat, vt sẽper ardeat, donèc in terris ſuperſtes ero, vt tãdèm vobis coniungar ad infinitũ amatorẽ æternùm diligendũ.

Quartò, Contẽplare cariſſime cor illud Christi inflammatum, conſidera fornacem illam ignis infiniti in eo ardentis, nõnè par eſt vt appetas eodẽ liquefieri igne, vt amore ardeſcens eum amare poſſis, & pro eo aliquid pati.

Quintò, Animaduerte dilectiſſime, quòd amare Deum eſt illa verà ſapientia, quæ ſecùm trahit omnia bona, de qua Salomon. *Venerunt mihi omnia bona paritèr cum ea.* Ama ergò mi N. Deum ſummum bonum, in quo ſunt omnia bona, & hoc ſatis tibi eſt.

Sap. 7.

Sextò, Conſidera horrenda ſupplicia, quæ Deus minatur ijs, qui præceptum dilectionis tranſgrediuntur. *Qui non amat manet in morte,* Scilicèt animæ, & permanebit in morte æterna. *Si quis Dominũ Ieſũ nõ diligit, ſit anathema maranthà.* Quarè mi frater, vt innumera vites mala, & æternum felicitèr viuas, dilige Deum, in quo perennem, ac beatam habebis vitam.

1. Ioan 3.

1. Corin. 16

Septi-

Septimò, Perpende mi N. infinitã Dei charitatem, quæ ita nos vrget, ad redamandum, ac ſi ſua intereſſet à nobis diligi, cùm tamen noſtra tantùm interſit. O' mi N. ſi in hoc poſſemus Dei amorem imitari, vt noſtri omnium obliti, illum ſolùm vnicum bonum diligeremus.

Prætereà per varias aſpirationes, ſeù orationes iaculatorias excitari poterit infirmus ad feruẽtiores amoris ergà Deum affectus, exempli gratia.

Cùr ego nõ poſſum ò Deus meus tuo inflammatus amore ità te amplecti, ità tibi adhærere, vt nèc affectu, nèc cogitatione ampliùs à te ſeparari poſſim.

O' vtinàm anima mea ità te Dominum meum diligeret, & vana quæcunquè huius mundi obiecta faſtidiret, vt ſolùm diuina, ac cœleſtia appeteret, & ad illa anhelaret.

O' vtinam, ità dulciſſime Ieſu te diligerem, vt in te ſolùm gaudio afficerer.

Vulnera amantiſſime Ieſu cor meum perfectæ charitatis ictu, in illud ingredere, poſſide omnes meos affectus, omnes cogitatus.

O' vtinam Domine mi ſagitta tui amoris ità

ris ità animam meam transfigeres, vt nihil vnquàm velle poſſem, niſi quod tu vis.

Totus tuus ſum amabiliſsime Deus, me tibi totum do, & dico, non alium quęro Dominum; non aliud appeto bonum prætèr te, non aliud ſequar beneplacitum niſi tuum, perſtringe me fortiſsimo amoris tui non diſſociando nexu.

O' vtinam ità præualeret vis amoris in te mei, vt proptèr talem amorem vitam finirem. O' me felicem extremus ſi halitus amore corroboratus animã meam ad te Deum meum transferret.

Demùm ad propoſitũ inſtitutum proſequendum iuuabit nonnulla ſuggerere ex ijs, quæ Sancti in Deum amoris colloquia habuerunt.

D. Bern. c. 3 D. Bernardus in libro de amore Dei.

Deſidero amare te, & amo deſiderare, & hoc modo curro, vt apprehendam, in quo apprehenſus ſum ſcilicèt, vt qui amem te perfectè aliquando. O' prior nos amaſti amande, & amabilis Domine.

Iniuſtus autem eſt, qui non tantùm deſiderat, & debitorem ſe ſentit, & intelligit te amare, quantùm ab aliqua creatura ratio-

rationali poſsibile eſt amari te.

O' felicem, & feliciſsimam animam, quæ Deo ſic, & à Deo meretur affici, vt per vnitatem ſpiritus in Deo ſolùm amet Deum, non ſuum aliquod priuatum, nèc niſi in Deo amet ſe ipſum, & Deus in ipſo amet, vel approbet, quod amare vel approbare debet Deus, ideſt ſe ipſum, immò quod ſolùm debet amari & à creatore Deo, & à creatura Dei; amoris enim vel nomen, vel affectus nulli competit, vel debetur niſi tibi ſoli, ò vere amor, & amande Domine. Cap. 4.

O' amor veni in nos, poſside nos, diſpereant à facie tua in nobis omnia fœditatis nomina, quæ à concupiſcentia carnis, & oculorum, & ſuperbia vitæ huic innaſcuntur affectui. Cap. 5.

Recedat ab anima mea omnis iniuſtitia, vt te diligam Dominum Deum meum ex toto corde meo, & tota anima mea, & ex omnibus viribus meis. Recedat omnis Zelotypia nè tecum aliquid amem. O' verè vnice amor, & vere Domine: cùm verò propter te aliquid amo, non illud amo, ſed te propter quem amo, quod amo. Cap. 6.

Quidquid fecit filius Dei, quidquid dixit in terris vſquè ad opprobria, vſquè ad

ſputa

ris ità animam meam transfigeres, vt nihil vnquàm velle poſſem, niſi quod tu vis.

Totus tuus ſum amabiliſsime Deus, me tibi totum do, & dico, non alium quęro Dominum; non aliud appeto bonum prætèr te, non aliud ſequar beneplacitum niſi tuum, perſtringe me fortiſsimo amoris tui non diſſociando nexu.

O' vtinam ità præualeret vis amoris in te mei, vt proptèr talem amorem vitam finirem. O' me felicem extremus ſi halitus amore corroboratus animã meam ad te Deum meum transferret.

Demùm ad propoſitũ inſtitutum proſequendum iuuabit nonnulla ſuggerere ex ijs, quæ Sancti in Deum amoris colloquia habuerunt.

D. Bern. c. 3 D. Bernardus in libro de amore Dei. *Deſidero amare te, & amo deſiderare, & hoc modo curro, vt apprehendam, in quo apprehenſus ſum ſcilicèt, vt qui amem te perfectè aliquando. O' prior nos amaſti amande, & amabilis Domine.*

Iniuſtus autem eſt, qui non tantùm deſiderat, & debitorem ſe ſentit, & intelligit te amare, quantùm ab aliqua creatura ratio-

rationali poſsibile eſt amari te.

O' felicem, & feliciſsimam animam, quæ Deo ſic, & à Deo meretur affici, vt per vnitatem ſpiritus in Deo ſolùm amet Deum, non ſuum aliquod priuatum, nèc niſi in Deo amet ſe ipſum, & Deus in ipſo amet, vel approbet, quod amare vel approbare debet Deus, ideſt ſe ipſum, immò quod ſolùm debet amari & à creatore Deo, & à creatura Dei; amoris enim vel nomen, vel affectus nulli competit, vel debetur niſi tibi ſoli, ò vere amor, & amande Domine. Cap. 4.

O' amor veni in nos, poſſide nos, diſpereant à facie tua in nobis omnia fœditatis nomina, quæ à concupiſcentia carnis, & oculorum, & ſuperbia vitæ huic innaſcuntur affectui. Cap. 5.

Recedat ab anima mea omnis iniuſtitia, vt te diligam Dominum Deum meum ex toto corde meo, & tota anima mea, & ex omnibus viribus meis. Recedat omnis Zelotypia nè tecum aliquid amem. O' verè vnice amor, & vere Domine: cùm verò propter te aliquid amo, non illud amo, ſed te propter quem amo, quod amo. Cap. 6.

Quidquid fecit filius Dei, quidquid dixit in terris vſquè ad opprobria, vſquè ad

ſputa

ſputa, & alapas vſquè ad crucem, & ſepulcrum non fuit niſi loqui tuum nobis in filio, amore tuo prouocans, & ſuſcitans ad te amorem noſtrum. Sciebas enim creator animarum Deus, in animabus filiorum hominum cogi non poſſe, ſed prouocari oportere affectum iſtum, ſimùl etiam quia vbi coactio, iàm nèc libertas, vbi nèc libertas, nèc iuſtitia.

Cap. 8. *Beati verè, & vnicè, & ſingularitèr, & perfectè beati, qui verè, & perfectè amãt te.*

D. Bonau. D. Bonauentura in libro de ſtimulis amoris:

Cap. 6. *O' dulciſsime ſponſe non me permittas à te elongari. Me tene timore, ſtringe amore, quieta dulcore, vulnera vulnere, inebria ſanguinis potatione.*

Cap. 8. *O' dulciſsime Deus ſcio pro certo, & video manifeſtè, quòd tu plùs me diligis, quã ego diligam memet ipſum. Quapropter de me ampliùs non curabo, ſed ſolùm tuis delicijs perennitèr inhærebo, & tu mei curam habeto, non enim tibi, & mihi intendere ſimùl poſſum. Et ideò permittam te intendere infirmitati meæ maxima, vt ipſam ſubleues manu forti, & ego intendam tuæ ineffabili bonitati, vt felicitèr ſic delecter.*

O' cle-

O' clementiſsime Deus meus, ſi nihil aliud mihi feciſſes, nèc facturus eſſes, ex hoc ſolùm quòd tu ſummus Deus æternus voluiſti pro me, & in mea natura aſſumpta hæc opprobria humilitèr ſuſtinere, deberem totalitèr tuo igniri amore. Quid enim maius Deo? & quid vilius peccatore? & tamèn Deus pro peccatoribus voluiſti illudi, & conſpui.

O' Deus meus quid amplius facere debuiſti, aut dic, quid mihi amplius facere potuiſti? Certè ſi tot, & tanta mihi feciſſet vnus viliſsimus ruſticus, ipſum toto affectu deberem diligere in æternum, & ego non te diligam Deus meus? Abſit.

Cùr non ſum illaqueatus, & captus amore? Quid iucundius, quid plus, vel amplius capit amor? O' Deus meus vndiquè me tuus amor circumdat, & tamèn neſcio quid ſit amor, heù, heù mihi, cur ſic inſenſibilis maneo ſinè cauſa? cùr vanitas pluſquàm veritas me abſtraxit? cùr creaturæ iniquitas, plus quàm Saluatoris, & Creatoris mei benignitas me allicuit? cùr miſerias, & peccata, pluſquàm Redemptoris mei amorem, & beneuolentiam adamaui?

ADNOTATIO XXI.

Inducendus eſt infirmus ad eliciendos actus contritionis.

Trid. Contritio, (quæ ex Conc. Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero) eſt tantæ virtutis, vt huius actum eliciens homo ſi gratia iuſtificante careat, illam ſtatim aſſequatur; ſi verò ſit in ſtatu gratiæ, illius augmentum meretur, & ſecundum veriorem ſententiam illud etiam ſtatim recipit. Quarè maximè ſtudendum eſt ei, qui adſtat ad opem infirmi, vel moribũdi, vt hos diſponat ad eliciendos actus contritionis. Notatu dignum occurrit, *D. Aug.* quod de D. Aug. in extremis conſtituto legitur. Hic enim cùm diſceſſum è vita ſibi inſtare intelligeret, Pſalmos Dauid, qui ad pœnitentiam pertinent, in conſpectu poſitos profuſis lachrymis legebat. Solebat autèm dicere neminem, & ſi nullius ſcèleris ſibi conſcius eſſet, committere debere, vt ſinè pœnitentia migraret è vita. Theologi etiàm in quæſtio-

ſtionem vocant, vtrùm homo in articulo mortis conſtitutus, qui cum attritione cognita confeſſus ſit, teneatur actum cōtritionis elicere; de qua re aliquid breuitèr dicam infrà lib.2.c.6. quæſito 1.

Proponam ergò nonnulla hic per modum colloquij cum Deo ad contritionē exercendam ſatis apta, quæ infirmus ore, vel corde, ſi non poſſet ore, præeunte Sacerdote, vel alio auxiliatore proſequatur.

O' Altiſsime Domine nōnè tu es Deus 1.
ille iuſtiſsimus, qui in pœnam peccati Angelos ad tartara detruſiſti? Adamum è Paradiſo eieciſti? integras ciuitates incendio abſumpſiſti? bello, fame, peſte, alijſquè ſupplicijs gentes quàmplurimas perdidiſti? & ſi ità eſt, quomodò ego hāc tuam *Iuſtitiam* non timui? quomodò tātum audaciæ in me potuit eſſe, vt te offendere non dubitauerim? Quid ò patiētiſsime Domine te detinere potuit, quòd cùm ego totiès te peccatis meis ad vindictam prouocauerim, quid (inquàm) te detinere potuit, vt aliquam ex debitis pœnis mihi non infligeres? Mirum ſanè eſt, quod tuo iuſſu terra aliquandò non

me

me deglutierit, aut fulmen de cœlo repentè non me combuſſerit, atquè in cinerem redegerit. O' quales gratias tibi referre debeo Domine mi quod tamdiù me pecatorem ſuſtinuiſti, quod totiès cũ iuſtiſsimè potuiſſes, non me perdidiſti.
Pſal. 29. *Exaltabo te Domine, quoniàm ſuſcepiſti me, nèc delectaſti inimicos meos ſuper me.* O' quãtùm deteſtari debeo peccata mea, ò quantùm deplorandum mihi eſt, quòd cùm tu Deus meus tàm pius, tàm miſericors, tàm patiens ergà me fueris, ego verò erga maieſtatem tuam tàm impius, tã ingratus, tàm temerarius extiterim.

O' amabiliſsime Domine mi, quæ mẽtis meæ cæcitas, vel potius quæ amentia mea fuit? quòd cùm tu ſis ſummum, & verum bonum, in quo eminentèr ſunt omnia bona, cùm (inquàm) tu ſolus ſis, qui me ex omni parte beatum reddere poſsis, (veriſsimum enim eſt, quod ait
Aug. Aug. *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donèc requieſcat in te)* Ego à te receſsi, ego te totiès dereliqui, vel vt fugacem, immò fallacem voluptatem proſequerer, obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementèr,

tèr, quod ego perditiſſimus, & ſceleſtiſſimus peccator millies, & millies dereliquerim te Domine mi fontem aquæ viuę, & foderim mihi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.

Si toties expertus ſum malum,& amarum eſſe derelinquere Dominum Deum meum,quomodo poſteà ſæpiùs adhùc illum derelinquere potui? Ah clementiſſime Pater quantum poſſum humilitèr te deprecor per immenſam bonitatem tuã, vt experiar modo quàm bonum, & quàm iucundum ſit mihi ad te accedere, tibi adhærere, & te nunquàm derelinquere.

O'miſericordiſſime Deus tanta ne malitia in me potuit eſſe, vt, quia optimè ſciebam miſericordiam tuam infinitam, ex illa ego ſecuritatem peccata patrandi acceperim? O'malitiam,ò malitiam meã execrandam, & omni ſupplicio digniſſimam. Væ mihi, væ mihi, niſi agendum mihi eſſet tecum dulciſſime Ieſu, qui benignus, & miſericors es, patiens,& multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſupèr malitia, & cuius pietas ſemper maior eſt quacunque iniquitate. Ioel. 2.

O'Deus meus nonnè verum eſt, quod

toties à diuina tua iuſtitia in æternos inferni cruciatus poteram detrudi, quotiès peccatum aliquod mortale admiſi? Et ſi ſemel id mihi contigiſſet, heù me miſerũ in tetro, & obſcuriſsimo illo carcere, qua pœna, quo dolore torquerer modò? O' quantum excruciarer modò, quòd nulla eſſet ſpes in tota ęternitate è gehenna illa malis omnibus repleta egrediendi. O' Deus meus hæc indubitatæ veritatis cognitio qualem affectum in me excitare deberet ergà pietatem tuam, quæ toties me à talibus pœnis liberauit? O' quantũ dolere debeo, quòd Deum adeo bonum toties offenderim. O' quali amore canere debeo. *Confitebor tibi Domine Deus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum, quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam* (millies, & millies) *ex inferno inferiori.*

Pſal. 85.

5. O' liberaliſsime Domine quomodò ego poſſum conſiderare innumera beneficia, quæ in me contuliſti, & non amaras lachrymas effundere, quòd tam ingratus ergà te extiterim? quòd tuam maieſtatem totiès offendere auſus ſim? O' qualem dolorem concipere deberẽ, quòd

te crea-

te creatorem meum, qui me ex nihili abyſſo, ad eſſe deduxiſti, offenderim, te cõſeruatorem meum, ſinè quo nè momento quidèm temporis perdurare poſſem, iniuria affecerim, te meum gubernatorẽ, à cuius paterna prouidentia vita mea pẽdet, te redemptorem meum, qui me pretioſo tuo ſanguine redemiſti, contempſerim. O' qualem (inquàm) dolorem concipere deberem, quòd te tàm magnum benefactorem meum vilipenderim, quòd contra te, qui tot innumerabilibus titulis obſequio tuo me obſtrinxiſti, peccauerim. Verè nunc ò miſericordiſsime Domine tua infinita miſericordia neceſſaria mihi eſt, vt à tali miſeria liberer. Ad hanc ergò miſericordiam confugio, hanc inuoco. *Veniat ſuper me miſericordia tua Domine, ſalutare tuum ſecundùm eloquium tuum.* *Pſal.* 118.

6. Ah bone Deus nonnè verum eſt, quòd amor tuus erga me adeò magnus fuit, vt licèt Deus infinitæ maieſtatis eſſes, te tamèn ad humanam naturam patibilem, & mortalem aſſumendam induxerit? Ah dulciſsime Ieſu nonnè verum eſt, quod eouſquè id amor tuus ergà me progreſſus

Digitized by Google

ſus eſt, vt illo ſolo iubente tu frigus, nuditatem, famem, ſitim, perſecutiones, labores, innumeraſquè calamitates humanas ſuſtinere, iniurias, ignominias, ſputa fœdiſsima, alapas, verbera, ſpineam coronam, mortem deniquè acerbiſsimã, & in conſpectu mundi turpiſsimam pati pro me volueris? O' amor, ò amor immenſus, ò amor infinitus, ergo nè fieri potuit, quòd talem mei amatorem totiès offenderim? quòd innumerabilibus peccatis meis totiès contempſerim? Ah me miſerum, cur ſaltèm in lachrymas non reſoluor? cur talem non ſentio dolorem, quo cor meum ſcindatur? Ah benigniſſime Ieſu adiuua me, fac vt ſaltèm antequàm moriar, vt par eſt, doleam, fac vt quantùm poteſt peccator in hac hora pœnitendo ſatisfacere tuæ iuſtitiæ, ſic ſatisfaciam. Cæterùm pro eo, quod mihi deeſt ad veram, & acceptabilem pœnitentiam, ad tuam confugio miſericordiã, eamquè, vt benigniſsime ſuſcipiat, humilitèr & cõfidentèr oro; & pro eo quod mihi deeſt ad veram ſatisfactionem pro tot meis peccatis, tibi Pater æterne offero merita paſsionis dilectiſsimi filij tui,
me-

merita B.V. Mariæ, merita omnium ſanctorum.

O ſapientiſsime Domine quot ſuauiſſimis adinuentionibus me à peccatis pertrahere tentaſti? Ah Deus meus quot inſpirationibus, quot illuſtrationibus cor meum in tui amorem rapere tentaſti? Ah quotiès me ad ſpiritualia eloquia audiẽda induxiſti? quotiès virtutum exemplis antè oculos meos poſitis, me ad virtutem excitaſti? Nunc vt me ſuauitèr ad benè viuendum alliceres, proſperis ſucceſsibus res meas ſecundabas, ſed cùm ego ingratus proſperitate abuterer, aliquo aduerſitatis quaſi flagello, vt pius pater me caſtigabas, non ad perditionẽ, ſed ad emendationem, & vt cognito peccato, malorum, & ærumnarum omnium cauſa, illud odio ingenti proſequerer. Sed ego ſempèr ingratus, ſẽper pertinax, ſempèr in malitia mea obſtinatus, oĩa tua inuitamẽta Domine renui, allectationes tuas nihili feci, fauores tuos contempſi, velut certamen tecum ò patientiſsime, & clementiſsime Deus inſtitui: ex vna parte tu me ſempèr nouis beneficijs ad te amandum, prouocando; ex alia verò ego te nouis ſemper 7.

peccatis meis ad vindictam irritando. O' me miſerum quandò ſatis deteſtari potero tam peruerſam ingratitudinem meam? quandonàm ſufficientèr deflere potero tot mea peccata? Ah benigniſsime Domine pœnitet me quidèm offenſæ contra te admiſſæ, ſed plus pœnitere vellem; vt
Pſal. 16. plus ergò me pœniteat, mirifica miſericordias tuas ſupèr me.

8. O' Pater cœleſtis quis vnquàm comprehendere poterit, quàm immenſus ſit amor tuus erga homines? Verùm enim eſt, quòd mundum ſic dilexiſti, vt filium tuum vnigenitum dares, & ſi proprio fi-
Io. 3. lio non pepercisti, ſed pro nobis omnibus tradidiſti illum, quomodò non etiam cũ illo omnia nobis donaſti? At ſi mihi de tanto patris cœleſtis amore conſtabat, quæ ingratitudo, quæ malignitas cordis mei, potuit me inducere ad illum contemnendum? Quomodò ego, eiuſdem æterni patris filium in ſalutem meam datum, pedibus conculcare auſus ſum? Ego,
Ad Heb. 6. ego ſum impius ille ſceleſtus, qui peccatis meis rurſus crucifixi mihi ipſi filium Dei, & oſtentui habui.

9. O' amantiſsime Pater erubeſco quidẽ,

& ma-

& magis erubeſcere vellem, doleo quidèm, ſed magis dolere vellem, quod te toriès, & tam grauiter offenderim. Iàm video non eſſe dignum nomine filij; verum etſi ego amiſi quæ ſunt filij, tu tamèn non amiſiſti quæ ſunt Patris; vt ergò benigniſsimus, & pijſsimus Pater ignoſce mihi. Et tu dulciſsime, & clementiſsime Ieſu, qui Patrem rogaſti pro crucifixoribus tuis dicens. Ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Roga ſimilitèr pro me, qui licèt te peccatis meis crucifixerim, nùnc tamèn pœnitet me ſupra modum talis ingratitudinis, talis impietatis. *Luc. 23.* Eia pijſsime Ieſu idem amor, qui te induxit ad tot ignominias, & dolores ſuſtinendos, & crucis mortem ſubeundam, is quoquè te nùnc promoueat, vt mihi offenſę contra te admiſſę veniam tribuas. Ah precor, me Patri tuo reconcilia.

O' quantum peccati grauitatem agnoſcere poſſum, cùm te redemptorem meũ crucifixum conſideró, cùm intueor caput illud tuum ſacratiſsimum ſpinea corona vndiquè punctum, genas colaphis percuſſas, barbam euulſam, faciem tuam fœdiſsimis ſputis deturpatam, os & lin- 19.

guam tuam felle, & aceto amarulentam, dorſum, ac reliquum corpus tuum flagris excoriatum, brachia luxata, manus ac pedes clauis perforatos, latus lancea apertum; ſcio enim te amantiſsime Ieſu ad mea peccata delenda omnia pertuliſſe. O' quam benè D. Bernard. clamat. *Ex conſideratione remedij periculi mei æſtimo magnitudinem. Agnoſce homo quàm grauia ſunt illa vulnera, pro quibus fuit neceſſe Chriſtum vulnerari.* Peccatum enim, quod contra te Deum infinitum fuerat admiſſum, ſic grauitatem aliquo modo infinitam continebat, ſcilicèt ratione obiecti infinitè digni, offenſi; vndè qui pro illo ex æqualitate iuſtitiæ vellet ſatisfacere pœnas luendo, neceſſe erat vt is eſſet infinitæ excellentiæ, talis autèm tu ſolus Deus meus eras, qui propterea naturam humanam patibilem aſſumpſiſti, in eaquè cruciatus innumerabiles perferendo, abundè iuſtitiæ diuinæ ſatisfeciſti, & ſic nobis factus es iuſtitia, & redemptio. Et licèt quælibet exigua pœna, aut ſanguinis tui benigniſſime Ieſu guttula ratione perſonæ tuæ offerentis, quę eſt infinitę excellētiæ, diuinæ iuſtitiæ ſatis-

Serm. 2. de Natiuit.

1. Cor. 1.

ſatisfeciſſet, voluiſti tamèn tanta pati, vt ſic nobis eluceret meliùs charitas tua immenſa, vt meliùs cognoſceretur quanta ſit peccati grauitas, & vt gratia, & remiſſio peccati in pretio à nobis haberetur, & demùm vt nobis aliquid patiendi ad tui imitationē exemplum relinqueres. Quæ cum ità ſint, quomodò ego tam facilè tot peccata multiplicare potui? quomodò tantum amorem tuum ò bone Ieſu parui pendere potui? quomodò gratiam tuam, & peccatorum remiſſionem pretioſo ſanguine tuo factam nihili feci? quomodò demùm vitam meam, non qualem decebat Chriſti ſectatorem, ſed potiùs animātibus brutis conformem traducere potui? Heù me miſerum, heù me miniùm infelicem, quia ego, ego ille ſum, qui peccaui, qui impiè geſſi. Ego ille ſum qui flagella, ignominias, & mortem pati merebar. Verùm ò amantiſsime Ieſu, poſtquàm pro me tot pœnas exoluere voluiſti, rogo vt mihi ſaltèm concedas, vt quātùm poſſum, verè doleam, & defleam, quòd tàm grauiter maieſtatem tuam offenderim, & aliquid etiam in pœnam peccatorum meorum libentiſſimè patiar.

O'bone

11. O bone Deus fieri ne potuit, quòd ego puluis, & cinis, quòd ego vilis homuncio, quòd ego abiectiſsimus vermiculus terræ te Dominum infinitę maieſtatis offenderim? ò Angeli diuinæ iuſtitiæ, quomodò flammeos veſtros gladios continere potuiſtis? quomodò non me perdidiſtis, dùm veſtro Regi me iniurias adeò graues irrogare videbatis? ah nimia temeritas, ah nimia audacia mea. Hoccinè fuit obſequium, quod tot nominibus Deo præſtare debebam? ò millies potiùs fuiſſem mortuus, quàm Deum adeò bonum, adeò miſericordem offendere.

12. O Deus immenſe nonnè veriſſimũ eſt,
Ierem. 23. quòd tu cœlum, & terram imples, quòd nulla creatura inuiſibilis eſt in conſpectu
Ad Heb. 4. tuo, & omnia nuda & aperta ſunt oculis
Prouer. 15. tuis, quòd in omni loco oculi tui contemplantur bonos & malos? Quomodo ergò coram te, in conſpectu tuo, ſub oculis tuis tot mala patrare, tot iniurias tibi irrogare potui? Verè Deus meus ad me dirigitur iuſtiſsima illa quærimonia tua,
Ierem. 3. *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere*, Quomodò tam impudẽs potui eſſe, vt me ſaltèm non puderet Deo

ipſo

ipſo vidente tot flagitia admittere? Ah bone Deus quam benè miſericordia tua magna elucet in hoc, quòd talem meam impudentiam non vltus fuiſti, licet ergò rubore plenus ob tot mea ſcelera, ad eandem tamèn miſericordiam confugio humilitèr clamans. *Saluum me fac in miſericordia tua, Domine non confundar, quoniàm inuocaui.* Pſal. 30.

O' Deus omnipotens nonnè verũ eſt, 13. quòd quilibet homo, atquè vniuerſa huius mundi machina in conſeruatione ſui eſſe, à te ſic pendet, vt ne momento quidẽ temporis ſinè tuo cõcurſu perſiſtere poſſet, & eo ipſo inſtanti, quo aliquid creatum conſeruare, & manu tenere ceſſares, in nihilum euaneſceret. O' Deus omnipotens ergonè tam inſipientèr audax, tã ſtultè arrogans, vt te offendere non timerem, à quo continuò non ſolum vita mea, ſed meum eſſe plus dependet, quàm lux ſolis ab ipſo ſole? ergonè ò mi bone Deus eo ipſo tempore, quo tu mihi beneficium conſeruationis impendebas, ego tibi iniuriam irrogare potui? quandonàm ſatis deflere, ſatis dolere potero ob talem ingratitudinem, ob talem rebellionem

meam? Agnoſco Domine mi quòd millies, & millies potuiſti me iuſtiſsimè ad nihilum redigere, ſed miſericordia tua magna hoc non permiſit. Gratias tibi ago, quod totiès peccata mea diſsimulaſti, vt me pœnitentem expectares O' quali pœnitudine vellem nùnc deflere peccata mea; compunge quæſo Domine cor meum, vt illud vero dolore contritum non deſpicias.

ADNOTATIO XXII.

Suadendum eſt infirmo, vt gratias Deo pro beneficijs acceptis agat.

PLura ſunt capita, quæ nos ad gratias Deo agendas inuitant, hæcquè infirmo proponi poterunt.

Primum ob infinitã benefactoris Dei magnitudinem, ad quam cognoſcendam diſcurrendum eſt per ipſius Dei excellẽtias, & perfectiones, ex quo efficitur, vt quodcunquè donum quantumuis paruũ eſſe videatur, magni tamèn ſit faciendũ, eo quòd qui largitur, ſit infinitè magnus.
Pſal. 144. *Exaltabo* te (dicebat Dauid) *Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in ſaeculum ſacu-*

ſaculi, per ſingulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſaculum, quia magnus eſt Dominus, & magnitudinis eius nō eſt finis. Eccl.

Secundum ob infinitum amorem, quo Deus infinita magnitudo beneficium cōfert, nàm çùm ex amore dat donum, ſe ipſum quoquè ſimul cum dono dat, & ingreditur rem ipſam amatam.

Tertium ob ipſius beneficij magnitudinem, quæ modo quodam eſt etiam infinita, aùt in numero, aut in excellentia; ſunt enim quædam beneficia, quæ complectuntur innumera bona, quale eſt beneficium creationis, & conſeruationis, eiuſquè prouidentiæ, alia continent infinitam excellentiam, qualia ſunt beneficium Incarnationis, Redemptionis, Sanctiſsimæ Euchariſtiæ, & Glorificationis, & pro omnibus ſunt Deo agendæ gratię, ſicut dicebat Iſaias, *Laudem Domini ſupèr omnibus, quæ reddidit nobis Dominus; & ſupèr multitudinem bonorum domui Iſrael, quæ largitus eſt ei ſecundùm indulgentiam ſuam.* Iſa. 63.

S. Bernard. dicebat nulla Dei dona prę teriri à nobis debere abſque gratitudine; Serm. 51. in Cant.

& lau-

& laude; non grandia, non mediocria, non puſilla, quia puſilla ſunt infinita numero, & quamuis aliquorum comparatione ſint parua, alijs tamèn nominibus eadem ſunt maxima.

Quartum ob infinitam noſtrám vilitatem, cùm enim miſeri ſimus, & ingrati, & verè indigni, quorum Deus aut memor ſit, aut quibus aliquod conferat beneficium, vndè Dauid. *Quid eſt homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quia reputas eum? Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut vmbra prætereunt.* Ex quo etiàm deducere poſſumus, quòd ſi noſtram vilitatem cum Dei magnitudine conferamus, indigni ſimus, qui eius laudes in viliſsimo ore noſtro accipiamus, dicentes cum Aug. *Quis ego sũ Deus meus, vt laudem te? ſum puluis, & cinis, canis mortuus, & fœtidus, vermis, & putredo, quomodo ergò tenebræ laudabunt lucem, mors vitam, vermis infinitum ſuum creatorem?*

Pſal. 8. 145.

Aug.

Quintum ob infinitam Dei liberalitatem in beneficio cõferendo ex gratia ſua tantùm, nullo commodo à nobis expectato, nobiſquè immeritis ob noſtra pec-

cata,

cata, & ingratitudines, adeò vt cùm magni ſimus Dei inimici, non tamen defatigetur Deus in nouis quotidiè beneficijs conferendis.

Hæc quinque docuit nos Chriſtus pōderare, reuocans in memoriam nobis, beneficium ſuæ Incarnationis, cùm dixit. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Io. 3. Quæ ſententia quinque continet verba, & in ſingulis perpendendum eſt aliquid ex his, quæ hic diximus. Nàm qui beneficium confert eſt Deus infinitus, modus fuit diligendo, qui accepit, eſt mundus, & quidèm abominationibus plenus, beneficium fuit ipſius filius vnigenitus æquè infinitus, ac ipſe, quem gratis, & nullis noſtris meritis dedit; nam ideò dixit, *vt filium ſuum vnigenitum daret.*

Perpendentes igitur hæc quinque pūcta in ſingulis beneficijs diuinis debemus meritò debita gratitudine Deo reſpondere, ad quod teſte S. Thō. 2.2.q.106.a.6. & q.107.a.1. inclinat primum ipſa virtus gratitudinis, eo quòd Deus ſit primus, ac ſupremus benefactor, quod faciemus agnoſcendo, & magni faciendo benefi-

cium

cium ipſum proptèr allatas rationes, pro
ptereà illum laudando, eius liberalita-
tem promulgando, vt omnes eum laudẽt,
ac glorificent, ac demùm obſequia aliqua
illi offerendo non intuitu alicuius alte-
rius commodi, ſed tantùm proptèr be-
neficia, quæ in nos contulit, quàmuis alia
recentia non daret, ſicut Dauid dicebat.
Pſal. 53. *Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor no-
mini tuo Domine, quoniàm bonum eſt, &
quoniàm ex omni tribulatione eripuiſti me,*
ac ſi diceret, cùm tibi laudes, & ſacrificia
offero, nõ in id oculos conijcio, quòd me
ſis à tribulationibus liberaturus, ſed in
id, quòd me ex tua ſola bonitate ab eis
liberaueris, proptèr quam liberationem
cupio tibi ſeruire.

Dauid in quadam ſua altiſſima oratio-
ne, quam ipſe vocat exceſſum, cœleſti
lumine accepto extrà ſe factus, ſuprà ſe
ipſum eleuatus, agnoſcens nihilum, quod
omnes homines ex ſe ipſis habent, & mul
titudinem beneficiorum, quæ bonitas di-
uina in hoc nihilo collocauit, ſecum in-
ſtituit colloquium ſummæ gratitudinis
affectu, ſe ipſum interrogando. *Quid*
Pſal. 115. *retribuam Domino pro omnibus, quæ retri-
buit*

buit mihi? Quaſi dicat, quomodò gratias ei agam ob tot in me collata beneficia aliquid pro omnibus ità offerens, vt nullum ſinè gratitudine prætercam? cui interrogationi à Deo inſpiratus reſpondit, *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Vota mea Domino reddam*, &c. *O' Domine quià ego ſeruus tuus ſum*, &c. In quibus verbis ſummatìm omnia cóprehenduntur, in quibus oſtendi poteſt perfecta animi gratitudo. Nàm ego (inquit) ſtatuo calicem ſalutaris mei accipere quàntumuis plenum amaritudine, & laboribus, me ipſum offerens ad eos omnes pro Domino meo tolerãdos, quàmuis in eis mihi ſit moriendum; immò valdè delector offerendo me ad mortem ipſius amore, ſciens pretioſam eſſe in eius oculis, & conſpectu hanc oblationẽ, offeram itaquè ei quod ipſe tanti fecit. Inuocabo deindè nomen Dei Sanctum perpetuò cantans eius laudes, eiquè tribuẽs omnia bona, quæ mihi tribuit, innitens ipſius potentiæ, & viribus, non meis, gloriam quærens eius, non meam. Ad cuius ſimilitudinem dicere poteſt infirmus.

O' Deus & Domine mi, & quantùm

eſt, ſi hoc totum præſtem ſeruitij tui cauſa, & gratitudinis ob accepta à te beneficia? nihil me agere in hoc toto iudico; quia ſeruus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ, & hereditate habeo, vt ſim ſeruus tuus; & ſicut ſeruus gratis ſeruit Dño ſuo nulla mercede petita, ità ego tibi ſeruire ſtatuo ſicut ſeruus, nulla alia expectata mercede: & licèt multùm laborem, non tamèn præſto id, quod debeo, ſiquidèm me infinitè ad id faciendum obſtrinxiſti, quià Dominus meus es, & innumera in me beneficia contuliſti.

Eſt Deo ità grata hęc gratiarum actio, vt ipſemet hoc nos doceat per os Dauid
Pſal. 49. dicens. *Numquid manducabo carnes taurorum &c.* quaſi diceret. Numquid me poterunt ſatiare hæc ſacrificia? non ità eſt, ſed *Immola Deo ſacrificium laudis &c. Sacrificium enim laudis honorificabit me, et illic iter, quo oſtendam tibi ſalutare meum.* Ac ſi diceret, ſi me honorare vis ſicut ego volo, ſcias me non tàm acceptare ſacrificia mortuorum animalium, atquè ſacrificia laudum, dùm offeruntur ob beneficia, quæ contuli; hac enim via aperiam tibi in oratione myſteria, quæ alias non aſſeque-

ſequeris, impleboquè ſalutis deſideria, quam quæris. Ei enim, qui gratum ſe exhibet, adaugeo gratiam, & *Anima, quæ benedicit, impinguabitur*, & dum tu aperis os ad gratias agendas pro beneficijs acceptis, ego aperiam manus, vt impleam te benedictionibus. Prou. 11.

Eſt gratiarum actio (vt dicit D. Thom. 2.2.q.83.à 17.in corp.& ad 3.) pro acceptis beneficijs titulus quidam, quo Deus inclinatur, & mouetur ad noua, quæ petimus, concedenda. Si ergò cupit infirmus in hoc ſuo agone beneficium auxilij diuini impetrare contrà dæmonis inſultus, gratias ei referat pro acceptis beneficijs, antequàm nouum hoc petat, ſic enim exaudietur iuxtà illud Dauidis. *Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero*; non enim Deus grauatè poſtulata nobis largitur, cùm videat pro his, quæ accepimus, gratos eſſe. Maximum, & pręcipuum munus, quod offerre poſſumus in gratiarum actionẽ, eſt ipſum pro Deo, perpetuoquè Domino agnoſcere, ſicut Iacob Patriarcha votum fecit. *Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo, erit mihi Do-* Pſal. 17. Gen. 28.

minus in Deum. Ac ſi dicat, ſi me custodierit in via, pro hoc beneficio mihi collato offeram illi quod maius, meliuſuè reddere potero; gloriam ſcilicèt Deitatis eo modo, quo mihi licet hoc ipſi dare, adeò vt, ſi, vt Deus haberetur, ad ſuffragia & calculos eſſet deueniendum, meũ ego procul dubio illi darem, vt omnes ipſum ſolum pro Deo agnoſcerent, gloriãquè, & honorem illi condignum redderent; hanc voluntatem promptiſſimam ipſi offeram, quæ ſummum eſt, quod poſſum offerre in gratiarum actionem. Ad hanc voluntatem pertinet firmum decretum non vſurpandi nobis aliquid diuinitatis, quod facimus tribuẽdo nobis ipſis dona Dei, aut in ipſis gloriam noſtram quærendo; ſumma enim eſt ingratitudo Deum proprijs beneficijs oppugnare, nõ dando ſcilicèt illi gloriam de eis, ſed eam nobis vſurpando.

Aliud etiam munus Deo offerre poſſumus in gratiarum actionem, quod maximè debet Deo reddere infirmus, acceptare ſcilicèt generoſa mẽte omnes labores, & afflictiones ab eodẽ Domino illi miſſas, magnum reputans beneficium quemcun-

cunque dolorem de manu eius ipſi infirmo euenientem dicens cum Iob. Si tot bona ſuſcepi de manu Dei, mala quarè non ſuſcipiam? Iob. 2.

O dulciſsime Ieſu, o Deus animæ meæ libens afflictiones accepto, quibus nùnc premor, in gratiarum actionem ob accepta à te beneficia, & præcipuè ob beneficia redemptionis, quæ tibi immenſis laboribus conſtiterunt, ideoquè à me ſimilibus laboribus gratiæ ſunt agendæ.

Eccleſia mater noſtra, vt nos magis alliciat ad vſum agendi Deo gratias, frequentèr vtitur in fine Sacrę Miſſæ, & horarum Canonicarum verbo illo breui, *Deo gratias*. *Quid enim* (vt ait Aug.) *meliùs & animo geramus, & ore promamus, & calamo ſcribamus, quàm Deo gratias? Hoc nèc dici breuius, nèc audiri latius, nèc intelligi grandius, nèc agi fructuoſius poteſt.* Aug. epiſt. 77. ad med.

Dicamus igitur cùm Apoſtolo, *Gratias Deo ſupèr inenarrabili dono eius, &c.* 2. Cor. 9.

✠

ADNOTATIO XXIII.

Infirmus laceſſitus aliqua iniuria eſt hortandus, vt eam condonet.

ALiquandò qui decumbit, vel vulnus ab aliquo recepit, vel alia iniuria fuit affectus, & hic diſponēdus erit ad ignoſcendum, & ſi iàm ignouit, ad perſiſtendum in illa diſpoſitione. Ad hoc autèm munus ritè obeundum iuuabit, ſi aliqua ex ijs, quæ ſubijciam, pro vt prudentia dictauerit, proponantur.

Primò, Dilectio inimicorum, atquè adeò condonatio iniuriarum pręcepta eſt in omni lege.

Matth. 5. In Euangelica Chriſtus ait. *Ego autèm dico vobis diligite inimicos veſtros, & benefacite ijs, qui oderunt vos.*

Exod. 23. In lege veteri dicitur, *Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum, ſi videris aſinum odientis te, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo*; & Prouerb. 25. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum*, Quibus in locis ſi præcipitur effectus dilectionis inimici, certè & ipſa dilectio præcipitur.

Prou.

Lex

Lex etiàm naturalis dictat amandum eſſe inimicum, vt potè naturæ noſtræ cõſortem, & eiuſdem nobis gloriæ capacẽ, eiquè ignoſcendum, ſi nobis nocuit. vnde Chriſtus dicit. *Pro vt vultis, vt faciãt vobis homines, & vos facite illis ſimilitèr;* Ex quo principio lumine naturæ cognito conſtat inimicum eſſe diligendum, eiquè parcendum, nàm nemo eſt qui non cuperet amari, & in gratiam recipi etiàm ab eo; cui ipſe nocuit. Quarè multi Gentiles hoc agnouerunt. Luc. 6.

Plato in Critone expreſsè docet, non licere referre iniuriam, & Plutarchus in lib. de vtilitate ex inimicis capienda ait, Grauiſsima pœna dignos, qui beneficentiam inimicis collatam vituperant. Plato. Plutar.

Socrates referente Baſilio orat. de legen. ſcrip. gent. imperturbatus inſcripſit fronti nomẽ infringentis ſibi colaphum, quaſi beneficio fuerit affectus. Socrat.

Seneca lib. 2. de ira cap. 33. Aulico ſciſcitanti, quis poſſet in aula ſeneſcere, dixit, Iniurias accipiendo, & gratias agendo iniuriantibus. Senec.

Phocion dux Athen ad cicutam bibẽdam damnatus, filio illachrymanti ſe- Phocion.

uerè mandat, ne contrà ingratam ciuitatem vnquàm cogitet vindictam.

Ariſtid. Ariſtides ob vitę ſanctimoniam iuſtus cognominatus, cum iniquè pulſus in exilium, ingrata egrederetur vrbe, oculos, & manus in cœlum extulit, deos precatus, vt hoc facinus Vrbì ingratæ fieret inultũ.

Cicero. Cicero orat. pro Ligar. Cæſarem laudat, eo quòd nil ſoleret obliuiſci, niſi iniurias. Quæ cum ità ſint

Mi N. nonnè magna eſſet verecundia, ſi animus Chriſtianus nèc diuino præcepto, nèc luminis naturalis dictamine, cõmoueatur ad condonandas acceptas iniurias? permittes forsàn ab humanitate tot Ethnicorum vinci?

Secundò, Satis efficax argumentum videtur ſuadendi infirmo grauitèr laboranti, vt iniurias condonet, in illius memoriam reducere, quòd breui præſentandus erit in iudicio ante Dei tribunal, qui non dimittit debita noſtra, niſi noſtris debitoribus dimittamus; dimittat ergò, vt dimittatur, antequàm tortoribus tradatur perpetuò cruciandus, miram enim vim habet ad impetrandam à Deo peccatorum veniam iniuriarum remiſſio, vndè

Da-

Dauid hoc optimè agnoſcens contumelias ſibi à Semeo illatas patientèr tolerabat: *Dimittite* (inquit) *eum, vt maledicat, ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna*. Quod ità euenit (inquit D. Chryſoſt. hom. 1. de Anna) Illa enim Dauidis patientia diuinam clementiam ad veniam facilè inclinauit; quotiès enim (ait ibidem D. Chryſoſt.) opprobrijs affecti, conuitiantes celſo ferimus animo, maiorem nobis à Deo beneuolentiam conciliamus. Accinit D. Ambroſ. in Pſal. 57. explicans eundem locũ. *Vides* (inquit) *quòd à conuitiantibus adiuueris, vt Dominus adiuuet te, & peccatum tuum remittat*. Quarè mi N. vt propitiam habeas diuinam miſericordiam, libenti animo condona quaſcunquè tibi illatas iniurias.

2. Reg. 16.

D. Chryſ.

D. Ambr.

Tertiò, Exemplum ipſius Dei ad remittendas iniurias plurimùm prouocare debet, quod rectè perpendit Chryſoſt. de manſuet. tom. 5. *Omnis* (*ait Paulus*) *amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis cum omni malitia, eſtote autèm inuicèm benigni, miſericordes*

D. Chryſ.

cordes, donantes inuicèm, ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis, vult ergò nos eſſe imitatores Dei. Vides cuius ſit imitator vir manſuetus, non (inquit) *Angelorum, non Archangelorum, ſed Dei, licèt enim illi mitiſſimi ſint, & omni virtute pleni, Paulus tamèn nos Dei imitatores eſſe vult, quo propoſita tāti honoris magnitudine perſuadeat audientibus, vt omnes qui contumelia afficiuntur, vel aliud quid graue patiuntur, moderatè ferant, imperanteſquè ira Deum imitentur.* Ità D. Chryſoſt.

Quartò, Qui libentèr ignoſcit proximo, à quo fuit læſus, facilè quidquid à Deo poſtulat, impetrat. Huius rei fidem
3. Reg. facere poteſt hiſtoria, quæ 3. Reg. 13. habetur de viro Dei Semeia, qui, vt diuino obtemperaret mandato, ſacrilegia Ieroboàm regis reprehendit, hic verò manum ad eum comprehendendum extendit, ſed eccè exaruit manus eius, nèc valuit retrahere eam ad ſe, verùm orante ſtatim viro Dei reuerſa eſt manus Regis ad eum, & facta eſt ſicut priùs. Sed vndè tàm accelerata liberatio regis à promerito ſupplició? ſanè à vi orationis viri Dei iniuriam illatam cōdonantis. Quod optimè Theodoret.

doret.quæſt.42. adnotauit. *Oſtendit* (in- *Theodoret.*
quit) *propheta manſuetudinem, & Deus clementiam, nàm petijt, & Deus dedit medelam*. Si ergò mi frater cupis vt Deus tuis annuat precibus, patientèr excipe iniurias, quibus affectus es.

Quintò, Condonatio iniuriarum, & amor inimici eſt pignus æternæ gloriæ. hoc ſatis indicatur Matth. 5. vbi poſtquā *Matth.*
Chriſtus iniunxit dilectionem inimicorum, & beneficentiam in eos exercendā, ſubdit, *Vt ſitis filij Patris veſtri, Si autèm filij*, vt rectè infert Apoſt. ad Rom. 8. *Et Ad Rom. 8*
heredes quidèm Dei, coheredes autèm Chriſti; vndè Moyſi, & Aaron eo tempore, quo pro inimicis profuſi erant in preces Num. 16. apparuit gloria Domini, quaſi *Num. 16.*
diceret, gloriam meam ego libentèr præſtabo ijs, qui amore, & beneficentia inimicos proſequuntur.

Sextò, Iniuriarum remiſſionem ſolet etiam in hac vita Deus remunerari. Teſtis eſt Ioſeph, qui fratribus ignoſcit, & Ae- *Gen. 45.*
gypti Prorex fit. Dauid Sauli ignoſcens Rex fit. Daniel quanta in Babylone pertulit, ex corde remiſit, & ad quanta eum Deus euexit? Quarè inter alia bona, quæ

à Deo

à Deo ſperare potes mi frater, ſi libenti animo ignoſcis eis, qui te læſerunt, eſt etiam ſanitas corporis, ſi hæc tibi expediet.

Septimò, Facilis redditur proximi inimici dilectio, ſi mente conſideremus fratrem quantùmuis moleſtum, & auerſum nobis, non tanquàm malum alquod afferentem, ſed ingentia bona, & vberem meriti materiam nobis adducentem. Hoc documentum Magnus Baſilius tradit; interrogatus enim qua ratione aliquis charitatem aduersùs proximum poterit obtinere, ita intèr alia reſpondit; *Si cum animo ſuo hoc modo cogitare inſtituerit, quòd videlicet, ſi frater ille benè de nobis meritus eſt, etiàm humano more illi charitatem debemus, quam etiàm Gentiles ſeruant, vt in Euangelio Dominus declarat, cùm dicit. Et ſi diligitis eos qui vos diligunt, qua vobis eſt gratia? nàm & peccatores diligentes ſe diligunt. Sin contrà malè meritus, & ſic nihilominùs non ſolùm propter mandatum, ſed etiam vt maiorem in modum de nobis benè meritum debemus diligere, ſi verè credimus Domini vera eſſe verba illa, Beati eſtis cum maledixerint vobis homines, & perſecuti*

Ba. in Reg. Breu. inter rog. 163.

Luc. 6.

cuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſus vos mentientes propter me, gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Mat.h.5.

Sed aliquandò ob humanam fragilitatem, reluctante ſenſu infirmus valdè arduum experitur, diligere inimicum, vel iniuriam grauem ſibi illatam condonare: tùnc mira dexteritate opus eſt, & inter alia, quæ allicere poſſunt huiuſmodi ad dilectionem inimici,& iniuriarum remiſſionem, eſt illi in memoriam reuocare, quòd opus eò Deo gratius, & acceptius eſt, quò circa difficiliora verſatur. Addi etiàm poteſt màgnanimi eſſe parcere inimico. Vndè Salomon inquit. *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore vrbium*; Quẽ locũ exponens S.Greg.hom.35.in Euangelium ait. *Maiòr ergò victoria eſt vrbes expugnare, quia extra ſunt, quæ vincũtur. maius enim eſt, quod vincitur per patientiam, quia ipſe à ſe animus ſuperatur, & ſemetipſum ſubijcit ſemetipſi, quandò cum patientia in humilitate ſternit tolerantiæ.* Et Senec. lib.1.de Clem.cap.20. *Sicut nõ magni animi eſt, qui de alieno liberalis eſt, ſed qui quod alteri* Prou.16. D.Greg. Senec.

alteri donat, detrahit ſibi, ita clementem vocabo, non in alieno dolore facilem, ſed eum, qui cum ſuis ſtimulis agitetur, non proſilit, qui intelligit magni animi eſſe iniurias etiam in ſumma potentia pati.

Octauò, Perpende quòd Chriſtus in Cruce tanquàm magiſter in cathedra docere nos voluit optimam benè moriendi diſpoſitionem, cum inſigni illo actu charitatis non modo crucifixoribus pepercit,
Luc. 23. ſed etiam pro illis orauit. *Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt*, quam doctrinam optimè didicit, & ſeruauit Stephanus, cum lapidibus obrutus ſpiritum
Act. 7. eſſet exhalaturus, *Domine* (inquit) *Ieſu ſuſcipe Spiritum meum, Poſitis autem genibus clamauit voce magna dicens, Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum, & cum hoc dixiſſet, obdormiuit in Domino*. Quarè mi frater ſi ſuauitèr in Domino obdormire cupis; ſi ianuas regni cœlorum, aditumquè tibi patere deſideras, cum Stephano ad imitationem Chriſti, diſce inimicos diligere, diſce ilis benefacere, diſce pro illis orare.

AD-

ADNOTATIO XXIV.

Admonendus eſt infirmus, vt ad patrocinium Sanctorum, & præcipuè Beatæ Virginis confugiat.

Diuinæ prouidentiæ diſpoſitio ita ſe habet reſpectu omnium noſtrum, vt mediantibus Sanctorũ precibus à pluribus malis eripiamur, & beneficia quamplurima conſequamur, & ijſdem adiuuantibus tandèm ad Deum reducamur, quod rectè adnotauit D. Tho. 3. parte in additionibus quæſt. 72. ar. 2. ex D. Dionyſ. D. Thom. *Iſte ordo* (inquit) *eſt diuinitùs inſtitutus à Deo in rebus ſecundum Dionyſium, vt per media vltima reducantur in Deum, vndè cum Sancti, qui ſunt in patria, ſint propinquiſsimi Deo; hoc diuinæ legis ordo requirit, vt nos qui manentes in corpore peregrinamur à Domino, in eum per Sanctos mediantes reducamur, quod quidèm contingit, dum per eos diuina bonitas in nos ſuum effectum infundit. Et quia reditus noſter ad Deum reſpondere debet proceſſui bonitatis ipſius in nos; ſicut mediantibus Sanctorum ſuffragijs Dei beneficia in nos deueniunt, ita*

opor-

oportet nos in Deum reduci, vt iteratò beneficia eius ſumamus mediantibus Sanctis; & indè eſt, quòd eos interceſſores pro nobis apud Deum conſtituimus, & quaſi mediatores, dum ab eis petimus, quod pro nobis orent. Ita D Tho. Huc reſpexit Io. Clim. in 1. gradu ſuæ ſcalæ, vbi hæç habet. *Quicumquè ex Aegypto egredi, Pharaonemquè cupimus effugere, Moyſe aliquo ad Deum, ac poſt Deum mediatore nobis opus eſt; qui pro nobis medius inter actionem, & contemplationem ſtans, manus extēdat ad Deum, vt hoc duce directi peccatorum traijciamus mare, atquè Amalech vitiorum principem fugemus; ſeducti igitur ſunt, qui ſibi confidētes, nullo ſibi duce opus eſſe arbitrati ſūt.* Et ad idem comprobandum affert exemplum de Lot, qui non niſi Angelo duce è Sodomis fuit ereptus. Optimum etiam eſt huius rei argumentum, quod affert D. Hier. epiſt. contra Vigilant. *Dicis* (inquit) *in libello tuo, quòd dum viuimus, mutuò pro nobis poſſumus orare, ſi ergò Apoſtoli & Martyres adhùc in carne conſtituti poſſunt orare pro cæteris, quandò pro ſe adhùc debent eſſe ſolliciti, quantò magis poſt coronas, victorias atquè triumphos?* Porro ſicut

Io. Clim.

Gen. 19.

D. Hier.

ro ſicut B. V. cæteros Sanctos ſanctitatis eminentia ſuperat, non ſecùs ac ſol ſuo ſplendore ſydera cœli, ità eius preces efficaciores ſunt ad obtinenda nobis quæcumquè dona gratiæ, à Deo. Vnde Athanaſ. ſerm. de Sancta Deipara. *Decet* (inquit) *te matrem Domini, atquè heram cognominari, ex eo quod ex te prodijt Rex diuinus, cui aſsiſtis, nobis quidèm terribili, tibi autem dulci, omnemquè gratiam largienti.* Et D. Bernard. ſerm. de Natiuit. *Fruſtrari nequit, quod poſtulat Maria.* De qua re plura diximus To. 2. de Eminent. Virg. cap. 11. quæſt. 6. vbi fusè probauimus, interceſſioni B. V. nihil à Deo denegari, & vt quæſt. 2. dilucidauimus, maioris efficacitatis eſt ſola Virginis interceſſio apud Deum, quàm interceſſiones omnium Sanctorum collectiuè ſumptæ. Quare quæ ibi dicta ſunt, videre poterit adiutor infirmorum; & morientium, vt pro data opportunitate validiùs ſuadeat, Virginis patrocinium eſſe implorandum. *Athanaſ.* *D. Bern.*

Prædicta infirmo proponantur ea dexteritate, qua proficere prudenter iudicabit Sacerdos adſtans, & addere poterit, quod eo promptiori animo ſupplex ad

Virginem, cæteroſquè Sanctos pro corporis ſanitate obtinenda (ſi hæc expediet) alijſquè donis, & gratiæ auxilijs impetrandis, quo certum eſt magnum honorem à nobis exhiberi ipſi Virgini, alijſquè Sanctis, dum illorum opem imploramus, & ab ipſis beneficia poſtulamus; ſic enim magnificam, & regiam quandam poteſtatem in ijſdem agnoſcimus, & rem Deo gratiſſimam præſtamus, qui vult nō ſolum vt talis honor ſupremis, ſed etiam inferioribus Sanctis deferatur; qua in re nos etiam inſtruit Sancta, & Catholica Eccleſia in Litanijs ſanctorum, in quibus non ſolum B. V. non ſolum Apoſtolos, ſed etiam inferiores Sanctos inuocat, & interpellat, vt pro nobis Deum orent.

Peculiaritèr etiam hortandus erit infirmus, vt ad patrocinium Angeli ſui tutelaris, & aliorum Sanctorum confugiat, quos maximè excolere conſueuerat.

ADNOTATIO XXV.

Admonendus eſt infirmus, ne nimiùm de ſe præſumat, & caueat à vanagloria.

INter ſubtiles laqueos, quibus ſtudet venari animas callidus dæmon, eſt, poſt ſuperata ab hominibus nonnulla tẽtationum certamina, poſt palmas reportatas, poſt egregios in virtute profectus, illos inducere vt propriæ virtuti, & non Deo à quo bona cuncta procedunt, præclara illa facinora patrata, referant, & ſic victores, vafer hoſtis vincere ſolet. Egregiè ad rem Proſper, epiſtola 84. inter epiſtolas Ambroſij. *Vigilant*(inquit) *tentatoris inſidiæ, vt vbi proficit deuotio, ſubrepat elatio, & vt homo de bono opere in ſe potiùs, quã in Domino glorietur, ſed ſollicitudo nos Apoſtoli contra hoc periculum monet dicentis. Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini. Deus eſt enim, qui operatur in vobis velle & perficere, quantò ergo in mandatis Dei quippè perficiunt, tantò maiores habent cauſas formidinis, & tremoris, ne de ipſis probitatis augumentis, mens ſibi benè conſcia, & lau-*

Proſper.

Ad Phil. 2.

dis auida, in ſuperbiæ rapiatur exceſſus, & fiat immunda vanitate, dum ſibi videtur clara virtute. Hæc Proſper. cit. Hi qui ſibi glorianturde egregijs virtutum actionibus, & non Deo debitam gloriam adſcribunt, miſerrimè naufragantur in portu, vt rectè aſſerit S. Nilus tom. 1. Biblioth. ſerm. 7. de virtute dicens. *Gaude cum virtutis opus edis, ſed caue ne extollaris, ne forte naufragium in portu facias*. Hi etiam aſſimilantur Eleazaro illi, qui elephantem in bello occidit, & ab eodem elephante ſupra ipsũ cadente, interfectus fuit. Quod rectè expendit S. Greg. 29. Moral. ca. 13. his verbis. *Eleazarus in prælio elephantem feriens ſtrauit, & ſub ipſo, quem extinxit occubuit, ita ſunt qui vitia ſuperant, ſed ſub ipſis, quæ ſubijciunt, ſuperbiendo ſuccumbunt*.

S. Nil. — D. Greg.

His & ſimilibus propoſitis infirmo, poterit Sacerdos eum ſic alloqui.

Chariſsime fugienda eſt vtpotè valdè pernicioſa homini, ſui ipſius confidentia; quæ etiam Deo maximè diſplicet, vnde à Sapient. admoneris Prouerb. 3. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ*. Cui accinit Apoſtolus

Prou.

ſtolus 1. ad Corinth. *Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum, non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Vult itaque Deus nos proprijs diffidere viribus, ne nobis aliquid tribuamus, cum ipſi ſoli honor & gloria debeatur. *Tibi ſoli honor, & gloria*, ad Timot. 1. quam ipſe Deus alijs dare non vult dicens. *Ego Dominus*, hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo Iſa. 42. *1. ad Cor.* *1. ad Tim.* *Iſa 42.*

Confide ergo mi frater non in tuis operibus, ſed in Dei miſericordia, & in ſanguine Chriſti pro nobis copioſiſsimè effuſo, ſiquidèm bona noſtra opera plena ſunt imperfectione, & vt ait Iſa. 64. *Quaſi pãnus menſtruatæ vniuerſa iuſtitia noſtra*, Ac ſi quæ valent, id eſt ex digniſſima eius bonitate, quæ appretiat ea quantum ſibi placuerit, immò ab ipſo Deo proceſſerunt, qui & quando remunerat opera noſtra bona, nil aliud facit, quàm coronare dona ſua. Ei igitur te toto cordis affectu ſubmitte, gratias agendo de donis ab eo acceptis, veniamquè poſce, quod illis perfectè non correſpondiſti, & quæcunquè bona peregiſſe tibi videris, conſidera *Iſai.*

ſine Dei adiutorio ea facere non potuiſſe, debitumquè tuum perſoluiſſe, ideò Chriſti conſilio innixus dic. *Seruus inutilis ſum, quod debui facere feci.* Luc. 17.

Luc. Eleua cor tuum ad Deum, & magno affectu cum Dauid clama. *Deus meus miſericordia mea.* Pſalm. 58. Quem locum

Pſal. optimè dilucidans Aug. ait. *Attendens* (ſcilicet Dauid) *omnia bona quacunque habere poſſumus ſiuè in natura, ſiuè in inſtituto, ſiuè in ipſa conuerſatione, in fide, in ſpe, in charitate, in bonis moribus, in iuſtitia, in timore Dei, totum non eſſe niſi ex illius bonis, ita concluſit, Deus meus miſericordia mea, non inuenit, impletus bonis Dei, quid appellaret Deum ſuum, niſi miſericordiam ſuam.* Et paulo poſt. *Miſericordia mea quid eſt? totum quidquid ſum, de miſericordia tua eſt.* Hoc quæſo mi N. ſæpiùs recole magna animi ſubmiſſione, ſi non ore, ſaltem corde proferendo.

D. Aug.

Totum quidquid ſum de miſericordia tua Domine eſt.

A D-

ADNOTATIO XXVI.

Conſcientia infirmi, ſcrupulis agitata ſedanda eſt.

TOrquent quandoquè ægroti conſcientiam, ſcrupuli, & non raròzeò magis, quo morbus ingraueſcit, quòd ex eo dignoſci poteſt, cum ſinè fundamento, vel ob leues, vel friuolas cauſas in eadem, vel etiam pluribus materijs facilè dubitat, & credit eſſe peccatū quod nō eſt, vel cū nimis anxius eſt infirmus in peccatis ſæpiùs cōfitendis, examinandis an integrè, & vti oportebat confeſſus ſit, nec nè, an actu interno conſenſerit tentationibus contra fidē vel cōtra alia diuina præcepta, an vouerit, an iurauerit, ſe aliquid facturū; huiuſmodi autèm ſcrupuli aliquādò proueniunt ex ignorantia, aliquandò ex infirmitate, & præcipuè humore melancholico prædominante, aliquandò ex dæmonis ſuggeſtione, qui omni quidèm tempore, ſed præcipuè cum homo aduerſa valetudine vexatur, & mortis periculum imminet, illius animi tranquillitatem turbare conſueuit, qua in re prudens Sa-

cerdos ſtudere debet varijs modis, pacatam reddere talis infirmi conſcientiam.

Primò, Admonendus erit ſcrupulis agitatus ſe non eſſe ſibi in rebus ſpiritualibus aptum iudicem, propriumquè iudicium debere contemnere tanquàm alicuius amentis, ac proindè debere ſe regi alieno iudicio, & præcipuè iuxta confeſſarij, quem elegit, monita operari; qua in re communitèr conueniunt Theologi, & ratio eſt, quia actio ſtudioſa illa eſt; quam vir vt prudens definit, ſed qui ſcrupulis verè agitatur, non poteſt, vt vir prudens actionem ſtudioſam definire, ergò iuxta iudicium alterius ſcilicet viri prudentis, qualis præſumitur Confeſſarius, debet operari, & ſi contingeret vt Confeſſarius erraret, ſcrupuloſus ſequendo illius conſilium à peccato excuſaretur.

Secundò, Illi ſerio proponendum erit optimum, atquè ſaluberrimum conſiliũ eſſe operari contra ſcrupulos, nihili illos faciendo, ſuppoſito quod habeat probabilem rationem in contrarium; vnde eſt celebris illa regula Gerſonis 2. par. tract. de præparat. ad Miſſam Alphab. 37. littera F. *Debent ſcrupuloſi audactèr contra ta-* *Gerſon.*

les

les ſcrupulos operari, aliàs nunquam pacem habebunt; Qua in re conſpirant & magiſtri vitæ ſpiritualis, & Scholaſtici Theologi, Laurent. Iuſtin. in lib de diſciplina monaſticæ conuerſationis cap. 12. D. Antonin. 1. par. tit. 3. cap. 10. §. 10. Valent. 1. 2. diſp. 2. quæſt. 14. punct. 4. ad finem, & ibi Salas quæſt. 21. tract. 8. diſp. vnica ſection. 29. num. 298. Filliuc. tract. 21. cap. 4. ſub num. 182. & alij communiter, & ratio eſt, quia cum animi tranquillitas neceſſaria ſit ad plures virtutum actus edẽdos, quantùm fieri poteſt, vnicuiquè inuigilandum eſt, vt illa retineatur, ſed qui argumentis ex ſcrupulo deductis reſpondere, vel ſatisfacere nititur, nec contra agat, ſeu reluctari animosè non contendat, in multo plures ſcrupulos, maioremquè mentis perturbationem incidet, nec quem exigit virtutum exercitium, pacatũ animum habere poterit, quod eſt adeò verum, vt etiam in mortis articulo, conſultius ſit ſcrupulos tũc cõtemnere, vt tũc animi tranquillitas ſeruetur, quæ plurimùm iuuare poteſt ad feruentiori charitate, & maiori deuotione, animam Deo reddendam. Fauet Corduba in ſuo quę ſtiona-

Laur. Iuſt. *D. Anton.* *Valent.* *Salas.* *Filliuc.* *Corduba.*

ſtionario lib. 3. quæſt. 5. propoſ. 4. quem approbat Sanchez tom. 1. in præcept. decal. lib. 1. cap. 10. num. 81. verſus finem.

Sahnc.

Tertiò, Infirmi conſcientiam ſcrupulis fluctuantem plurimùm ſedare poteſt priuilegium, quod ex communi Theologorum ſententia admittitur in ſcrupuloſis, ſcilicet quod credulitas eorum habẽda eſt pro certitudine, vt v. g. ſi ſcrupuloſus credit quod confeſſus fuerit aliquod peccatum, licet etiam dubitet ex altera parte, quod non confeſſus fuerit, ſi tamèn iurare nequit non fuiſſe confeſſum, non tenetur prędicti peccati confeſſionem iterare. Suffragantur Eman. Sà in verbo Dub. num. 5. & Sanchez loco nuper citato num. 85. & Vaſquez 1. 2. quæſt. 19. artic. 6. diſput. 67. cap. 2. ad finem. Quarè ſapienter operatur confeſſarius, qui nullis ſcrupuloſi precibus flectitur, vt eum admittat ad ea confitenda, de quibus ipſi ſcrupuloſo dubium ſuperuenit, an ea aperuerit in confeſſione, vel ritè & integrè confeſſus fuerit, quandò mediocri diligentia conſtat faſſum eſſe; etenim confeſſionis Sacramentum à Chriſto inſtitutum fuit ad tranquillitatem mentis, & ad con-

Em. Sà.
Sanich.
Vaſquez.

Digitized by Google

conſcientiam ſedandam, non autèm ad iniiciendos laqueos, vel animi turbationem concitandam. Quarè qui bona fide, & mediocri præmiſſa diligentia, crimina ſua aperuit Confeſſario, acquieſcere debet, & probabiliter credere poteſt faciendæ confeſſionis obligationi ſatisfeciſſe, dum contrarium non certò ſibi conſtiterit. Ita tradunt DD. Caiet. in ſum. verbo ſcrupoloſorum medicina. Medin. lib. 2. ſummæ cap. 17. & 1. 2. quæſt. 19. artic. 6. Nauar. cap. ſi quis autem num. 77. de Pœnit. diſput. 7. Henriquez de Pœnit. lib. 5. cap. 3. num. 4. Sanchez citato loco, & alij communiter. *Caiet.* *Medin.* *Nauar.* *Henriq.* *Sanchez.*

Quartò, Hortandus eſt infirmus ſcrupulis vexatus, vt proprijs viribus diffidat, & acquieſcat, confidens in infinita Dei miſericordia, qui vt benigniſſimus pater excipit, & ſolatur omnes ad ipſum fiducialitèr confugientes, & ſolum partes ſeueri iudicis exercet ergà impœnitentes, & in peccatis obduratos.

Demùm piorum fidelium orationibus, & pluribus Miſſarum ſacrificijs pro tali infirmo diuina auxilia impetranda erunt, maximè ſi poſt prædicta remedia

media adhibita adhùc ſcrupulis torqueatur.

ADNOTATIO XXVII.

Ad munus iuuandi infirmos rite obeundum plurimum conducit ſigna aliqua dignoſcere, ex quibus conijci poteſt mortis periculum.

EI qui adſtat ad opem ſpiritalem infirmi valdè expedit nota habere aliqua lethalia ſigna, vt poſſit prudentèr iudicare quando ceſſet reſeruatio caſus, ob articulum, ſeu graue periculũ mortis, quandò teneatur infirmus Euchariſtiam ſumere, quando oleo ſancto vngendus ſit, & demùm quandò ea, quæ ad ſalutem animæ neceſſaria ſunt, ampliùs non debeant differri.

Quarè ex probatis auctoribus hęc ſubijcio.

Hippocr. Aphoriſ.

Ex libro 2. Aphoriſmorum Hippocratis.

1 *In quo morbo ſomnus laborem facit, mortale.*

3 *Somnus atquè vigilia, vtrumque ſi modum exceſſerit, malum.*

39 *Senes iuuenibus plurimùm quidèm ægrotant*

tant minùs, diuturnis verò morbis correpti, ferè moriuntur.

41 *Qui frequentèr, ac fortitèr abſque cauſa manifeſta deficiunt animo, de repentè moriuntur.*

43 *Qui ſuffocantur, & à vita deficiunt, nōdùm tamen mortui ſunt, non referuntur in vitam quibus ſpuma circa os apparet.*

Ex libro 3.

12 *Si hyems auſtralis, & pluuioſa, & ſerena fuerit, ver autèm ſiccum, & aquilonium, mulieres quibus partus in ver incidit, ex quacunquè cauſa abortiunt, quæ verò pariunt, imbecilles, & morbidos infantes pariunt, quare vel ſtatim intereunt, vel tenues, & valetudinarij viuunt, cæteris verò mortalibus, difficultates inteſtinorũ, & lippitudines ſiccæ fiũt; ſenioribus autem deſtillationes, quæ citò interiment.*

Ex libro 4.

22 *Morbis quibuslibet incipientibus, ſi atra bilis vel supernè, vel infernè exierit, lethale.*

23 *Quibuſcumque, per morbos acutos, vel diuturnos, aut vulnera, aut quemuis alium modum extenuatis, nigra bilis, aut*

veluti

Digitized by Google

velati ſanguis niger, per inferiora ſubſederit, poſtridiè moriuntur.

24 *Difficultas inteſtinorum, ſi ab atra bile inceperit, lethalis eſt.*

25 *Sanguinem quidèm ſupra ferri, qualiſcunque ſit, malum.*

26 *Difficultatem inteſtinorum habenti, ſi veluti caruncula deijciantur, lethale eſt.*

34 *Si febrim habenti, ſuffocatio repentè ſuperuenerit, nullo tumore in faucibus exiſtente, eſt lethale.*

35 *Si febrim habenti repentè collum peruertatur, ac vix poſſit deuorare, non exiſtente tumore, lethale eſt.*

37 *Frigidi ſudores, cum acuta quidem febre mortem, cum mitiori autem, longitudinem morbi ſignificant.*

46 *Si rigor incidat febre non intermittente, ægrò iam debili, lethale eſt.*

48 *In febribus non intermittentibus, ſi partes exteriores ſint frigidæ, interiores vero vruntur, & ſitim habeant, lethale eſt.*

49 *In febre non intermittente, ſi labrum, palpebræ, vel ſupercilium, vel oculus, vel naſus peruertatur, vel non videat, vel non audiat iam debili exiſtente corpore, quidquid horum euenerit, mors proxima eſt.*

50 *Vbi*

50 *Vbi in febre non intermittente difficultas ſpirandi, & delirium acciderit, lethale.*

62 *Quibus, in febribus morbus regius ante diem ſeptimum accidit, malum.*

65 *In febribus, circa ventriculum fortis aſtus, & cordis morſus, malum.*

66 *In acutis febribus conuulſiones, & circa viſcera dolores fortes, malum.*

Ex libro 5.

2 *Conuulſio ex vulnere, lethalis eſt.*

3 *Vbi ſanguis plurimus fluxerit, ſingultus, aut conuulſio ſuperueniens, malum.*

4 *Ex nimia purgatione conuulſio, aut ſingultus ſuperueniens, malum.*

11 *Qui tabe moleſtantur, ſi ſputum, quod extuſsiunt, graue olet iniectum carbonibus, & capilli à capite defluunt, lethale.*

12 *Quibuſcunque tabe laborantibus, capilli à capite defluunt, ijs alui profluuio ſuperueniente, moriuntur.*

14 *Tabe laboranti profluuium alui ſuperueniens, lethale.*

30 *Mulierem vtero gerentem, capi ab aliquo morbo acuto, lethale eſt.*

43 *Si mulieris grauida in vtero ſit eryſipelas, lethale.*

66 *Si in vulneribus fortibus, & prauis, tumores non appareant, ingens malum.*

Ex libro 6.

18 *Veſsica diſciſſa, aut cerebro, aut corde, aut præcordijs, aut iecore, lethale eſt.*

43 *Quicumque lienoſi, à difficultate inteſtinorum capiuntur, ijs ſuperuenientem lõgam difficultatem inteſtinorum, aqua inter cutem, aut leuitas inteſtinorum excipit, & moriuntur.*

51 *Quicũq; ſani, dolore capitis repẽtè capiũtur, & ſtatim muti fiũt, et ſtertunt, in ſeptẽ diebus pereũt, niſi febris apprehẽderit*

52 *Oportet verò conſiderare oculorum in dormientibus ſuſpectiones. Nam ſi quid album ſubmiſsis palpebris ſubinſpicitur, neque ex alui profluuio, aut medicamenti potione iſtud contingat, malum eſt ſignum, & lethale valdè.*

54 *In acutis paſsionibus, quæ cum febre ſunt, luctuoſa ſuſpiria, mala.*

Ex libro 7.

1 *In morbis acutis, frigus partium extremarum, malum.*

3 *A vomitu ſingultus, & oculorum rubor, malum.*

9 *A profluuio ſanguinis deſipientia, ac cõuulſio, malum.*

10 *Ab*

10 *Ab ileo, vomitus, ſingultus, deſipientia, vel conuulſio, malum.*

14 *Ex capitis ictu obſtupeſcentia, & deſipientia, malum.*

15 *A ſanguinis ſputo, puris ſputum, malum.*

16 *A puris ſputo phtiſis, & fluxus, cum verò ſputum retinetur, moriuntur.*

17 *In hepatis inflammatione ſingultus, malum.*

18 *Ex vigilijs conuulſio, vel diſipientia, malum.*

32 *Quibus autem vrinis bilioſa ſedimina, ac supernè tenues ſunt, acutum morbum ſignificant.*

35 *Quibus autem ſummum eſt pingue, & confertum, ijs renum dolor, & morbus eſſe acutus ſignificatur.*

47 *Aqua inter cutem laborans, ſi tuſsi corripiatur, deſperatus eſt.*

55 *Quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, ijs venter aqua repletur, & moriuntur.*

Ex libro 2. Aurelij Cornelij Celſi. *Aurel. Cornel. Celſi. Cap. 4. de malis ſignis ægrotantiũ.*

Contra grauis morbi periculum eſt, vbi ſupinus ager iacet, porrectis manibus, & cruribus, vbi reſidere vult, in ipſo acuti

S morbi

morbi impetu, precipuequè pulmonibus laborantibus. Vbi nocturna vigilia præmitur, etiam ſi interdiu ſomnus accedit; Ex quo tamèn peior eſt, qui inter quartam horam, & noctem, quàm qui matutino tempore ad quartam. Peſsimum tamèn eſt, ſi ſomnus nequè noctu, nequè interdiu accedit: id enim ferè ſine continuo dolore eſſe non poteſt. Aequè vero ſignum malum eſt, etiam ſomno vltra debitum vrgeri, peiuſquè quo magis ſi ſopor interdiu, noctuq; continuat. Mali etiã morbi teſtimonium eſt, vehementèr, & crebrò ſpirare, à ſexto die capiſſe inhorreſcere, pus expuere, vix excreare, dolorem habere continuum, difficultèr ferre morbum, iactare brachia, & crura, ſine voluntate lachrymari, habere humorem glutinoſum dentibus inhærentem, cutem circa vmbilicum, & pubem macram, præcordia inflammata, dolentia, dura, tumida, intenta: magiſquè ſi hæc dextera parte, quam ſiniſtra ſunt, periculoſiſsimum tamèn eſt, ſi venæ quoquè ibi vehementèr agitantur. Mali etiam morbi ſignum eſt nimis celeritèr emacreſcere, caput, & pedes, manuſquè calidas habere, ventre, & lateribus frigentibus, aut frigidas extremas partès acuto morbo vrgente, aut

post

poſt ſudorem inhorreſcere, aut poſt vomitũ ſingultum eſſe, vel rubere oculos, aut poſt cupiditatem cibi, poſt vè longas febres hunc faſtidire, aut multum ſudare, maximequè frigido ſudore, aut habere ſudores non per totum corpus æquales, quiquè febrim non finiant, & eas febres, quæ quotidiè tempore eodem reuertantur, quæuè ſemper pares accesſiones habeant, nequè tertio quoquè die leuentur, quæuè continuent, vt vel per accesſiones increſcant, per diſceſsiones tantũ molliantur, nec vnquàm integrum corpus dimittant. Peſſimum eſt ſi ne leuatur quidèm febris, ſed æquè concitata continuat. Periculoſum eſt etiam poſt arquatum morbum febrim oriri vtiquè ſi præcordia dextera parte dura manſerunt, ac dolentibus his læua. Nulla autèm febris leuitèr terrere eos debet; nequè vnquam in acuta febre, vt à ſomno, non eſt terribilis neruorum diſtentio. Timere etiam ex ſomno, mali morbi eſt; Itemquè in prima febre protinus mentem eſſe turbatam, membrumuè aliquod eſſe reſolutum. Ex quo caſu quamuis vita redditur, tamen id ferè membrum debilitatur. Vomitus etiam periculoſus eſt ſyncera pituitæ, vel bilis, peiorquè ſi viridis, aut ni-

ger eſt. At mala vrina eſt, in qua ſubſident ſubrubra, aut liuida: deterior, in qua quaſi fila quædam tenuia, atquè alba; peſsima ex his, ſi tanquam ex furfuribus factas nubeculas repræſentat; diluta quoquè atquè alba vitioſa eſt, ſed in phreneticis maximè. Aluus autem mala eſt ex toto ſuppreſſa. Periculoſa etiam quæ inter febres fluens, conquieſcere hominem in cubili nõ patitur; vtiquè ſi quod deſcendit, eſt perliquidum, aut albidum, aut pallidum, aut ſpumans. Præter hæc periculum oſtendit id quod excernitur, ſi eſt exiguum, glutinoſum, leue, album, idemquè ſubpallidum, vel ſi eſt aut liuidum, aut bilioſum, aut cruentum, aut peioris odoris, quàm ex conſuetudine. Malum eſt etiam, quod poſt longas febres ſyncerum eſt.

Cap. 6. De indicijs mortis imminentis.

Ad vltima verò iam ventum eſſe teſtantur nares acutæ, collapſa tempora, oculi concaui, frigidæ, languidæquè aures, & imis partibus leniter verſæ, cutis circa frontem dura & intenta, color aut niger, aut perpallidus, multoquè magis ſi ita hęc ſunt, vt nequè vigilia præceſſerit, nequè ventris reſolutio, nequè inedia. Ex quibus cauſis interdùm hæc ſpecies oritur, ſed vno die finitur.

tur. Itaquè diutius durans mortis index eſt. Si verò in morbo vetere iam triduo talis eſt, in propinquo mors eſt: magiſquè ſi præter hæc oculi quoquè lumen refugiunt, & illachrymant, quæquè in ijs alba eſſe debent, rubeſcunt, atquè in ijſdem venulæ pallent, pituitaquè in ijs innatans, nouiſsimè angulis inhærreſcit, alterquè ex his minor eſt, hiq; aut vehementer ſubſederunt, aut facti tumidiores ſunt: perquè ſomnum palpebræ non connectuntur, ſed inter has ex albo oculorum aliquid apparet; neque id fluens aluus expreſsit, eademquè palpebræ pallēt, & idem pallor labra, et nares decolorat. Eademquè labra, & nares, oculiquè, & palpebræ, & ſupercilia, aliquauè ex his peruertuntur, iſquè propter imbecillitatem iā non audit, aut non videt: eadem mors denunciatur, vbi æger ſupinus cubat, eiquè genua cōtracta ſunt. Vbi deorſum ad pedes ſubindè delabitur. Vbi brachia, & crura nudat, et inæquabiliter diſpergit, nequè his calor ſubeſt. Vbi hiat; vbi aſsiduè dormit: vbi is, qui mentis ſuæ non eſt, nequè id facere ſanus ſolet, dentibus ſtridet. Vbi vlcus, quod aut antè, aut in ipſo morbo natum eſt, aridum, aut pallidum, aut liuidum factum eſt.

Illa quoquè mortis indicia ſunt, vngues, digitiquè pallidi, frigidus ſpiritus, aut ſi manibus quis in febre, & acuto morbo, vel inſania, pulmoniſuè dolore, vel capitis, in veſte floccos legit, fimbriaſuè diducit, vel in adiuncto pariete, ſi quæ minuta eminẽt carpit. Dolores etiam circa coxas, & inferiores partes orti, ſi ad viſcera tranſierunt, ſubitoquè deſierunt, mortem ſubeſſe teſtantur; magiſquè ſi alia quoquè ſigna acceſſerunt. Nequè is ſeruari poteſt, qui ſine vllo tremore febricitans, ſubitò ſtrangulatur, aut deuorare ſaliuam ſuam non poteſt. Cuinè in eodem febris, corporiſquè habitu ceruix cõuertitur, ſicquè vt deuorare æquè nihil poſſit. Aut cui ſimul, & continua febris, & vltima corporis infirmitas eſt, aut cui, febre non quieſcente, exterior pars friget, interior ſic calet, vt etiam ſitim faciat: aut qui febre æquè non quieſcente ſimul & delirio, & ſpirandi difficultate vexatur: aut qui epoto veratro, exceptus diſtentione neruorũ eſt, aut qui ebrius obmutuit. Is enim febre adiecta neruorum diſtentione conſumitur, niſi aut febris acceſſit, aut eo tempore, quo ebrietas ſolui debet, loqui cœpit. Mulier quoquè grauida acuto morbo facilè conſumitur, &

is cui

is cui ſomnus dolorem auget, & cui protinus in recenti morbo, bilis atra vel infra, vel ſupra ſe oſtendit, cuiuè alterutrum modo ſe prompſit, cum iam longo morbo corpus eius eſſet extenuatum, & affectum. Sputum etiã bilioſum & purulentũ, ſiuè ſeparatim iſta, ſiue mixta proueniant, interitus periculum oſtendunt. Ac ſi circa ſeptimum diem tale eſſe capit, proximum eſt, vt is circa quartũdecimum diem decedat, niſi alia ſigna meliora, peiora uè acceſſerint: quæ quò leniora, peiora uè ſubſecuta ſunt, eò vel ſeriorẽ mortem, vel maturiorem denunciant. Sudor quoquè frigidus in acuta febri peſtiferus eſt, atquè in omni morbo vomitus, qui varius, & multorum colorum eſt, præcipuèque ſi malus in hoc odor eſt. Ac ſanguinem quoquè in febre vomuiſſe, peſtiferum eſt; Vrina vero rubra, & tenuis in magna cruditate eſſe conſueuit, & ſæpè antequam ſpatio matureſcat, hominem rapit. Itaquè ſi talis diutius permanet, periculum mortis oſtendit. Peſſima tamen eſt, præcipuequè mortifera, nigra, craſſa, mali odoris; Atquè in viris quidem, & mulieribus talis deterrima eſt. In pueris verò quæ tenuis, & diluta eſt. Aluus quoquè varia peſtifera eſt, quæ ſtrig-

mentum, ſanguinem, bilem viridem, aliquid modò diuerſis temporibus, modò ſimul, & in miſtura quadam, diſcreta tamen repræſentat. Sed quidèm poteſt paulo diutius trahere. In præcipiti verò iam eſſe denunciat, quæ liquida, eademquè vel nigra, vel pallida, vel pinguis eſt, vtiquè ſi magna fœditas odoris acceſsit.

Ex libro 5.

Cap. 26. De vulneribus inſanabilibus.

Seruari non poteſt, cui baſis cerebri, cui cor, cui ſtomachus, cui iecinoris porta, cui in ſpina medulla percuſſa eſt, cuiq; aut pulmo medius, aut ieiunum, aut tenuis inteſtinum, aut ventriculus, aut renes vulnerati ſunt, cuiuè circa fauces glandes, venæ, vel arteriæ præciſæ ſunt.

De vulneribus difficilem curatio nem habentibus.

Vix autem ad ſanitatem perueniunt, quibus vlla parte pulmo, aut iecinoris craſſum, aut membrana quæ continet cerebrum, aut lienis, aut vulua, aut veſsica, aut vllum inteſtinum, aut ſeptum tranſuerſum vulneratum eſt. Hi quoquè in præcipiti ſunt, in quibus vſquè ad grandes, intuſquè conditas venas, in alis, vel poplitibus, mucro decedit. Periculoſa etiam vulnera ſunt, vbicumquè venæ maiores ſunt, quoniam exhaurire hominem profuſione ſanguinis poſſunt. Idquè ene-

euenit non in alis tantum, aut poplitibus, ſed etiam in his venis, quæ ad anum, teſticuloſquè perueniunt. Præter hæc, malum vulnus eſt, quodcumquè in alis, vel feminibus, vel in anibus locis, vel in articulis, vel inter digitos eſt. Item quodcumque muſculum, aut neruum, aut arteriã, aut membranam, aut os, aut cartilaginem læſit.

Igitùr corde percuſſo ſanguis multus effertur, venæ langueſcunt, color pallidiſſimus, ſudores frigidi, maliquè odoris, tanquam in rotato corpore oriuntur, extremiſquè partibus frigidis, matura mors ſequitur. De ſignis percuſſi cordis.

Pulmone vero icto, ſpirandi difficultas eſt, ſanguis ex ore ſpumans, & plaga rubens, ſimulquè etiam ſpiritus cum ſono fertur, in vulnus inclinari iuuat, quidam ſine ratione conſurgunt. Multi ſi in ipſum vulnus inclinati ſunt, loquuntur, ſi in aliam partem, obmuteſcunt. De ſignis pulmonis icti.

Iecinoris autem vulnerati notæ ſunt, multus ſub dextera parte præcordiorum profuſus ſanguis, ad ſpinam reducta præcordia, in ventrem cubandi dulcedo, punctiones, doloreſq; vſquè ad iugulum, iunctumquè ei latus ſcapularum, os intentum. Quibus non- De ſignis vulnerati Iecinoris.

num-

numquam etiam bilioſus vomitus accedit.

De ſignis renum percuſſorum.

Renibus verò percuſsis, dolor ad inguina, teſticuloſquè deſcendit, difficultèr vrina redditur, eaquè autem eſt cruenta, aut cruor fertur.

De ſignis vulnerati lienis.

At liene icto, ſanguis niger à ſiniſtra parte prorumpit, præcordia cum ventriculo ab eadem parte indureſcunt, ſitis ingens oritur dolor ad iugulum, ſicut iecinore vulnerato venit.

De ſignis percuſſæ vuluæ.

At cum vulua percuſſa eſt, dolor inguinibus, & coxis, & femoribus eſt. Sanguinis pars, vel vulnus pars per naturale deſcendit, vomitus bilis inſequitur. Quædam obtumeſcunt, quædam mente labantur, quædam ſui compotes, neruorum oculorumquè dolore vrgeri ſe confitentur, morienteſquè tandem eadem, quæ corde vulnerato patiuntur.

De ſiguis percuſsi cerebri, vel eius membranæ.

Sin cerebrum, membranauè eius vulnus accepit, ſanguis per nares, quibuſdam etiam per aures exit, ferequè bilis vomitus inſequitur. Quorundam ſenſus obtunduntur, appellatiquè ignorant. Quorundam trux vultus eſt: quorundam oculi quaſi reſoluti, huc atquè illuc mouentur. Ferequè tertio, vel quinto die delirium accedit. Multorum etiam

etiam nerui diſtenduntur. Antè mortem autèm plerique faſcias, quibus caput deligatum eſt, lacerant, ac nudum vulnus frigori obijciunt.

Vbi ſtomachus autèm percuſſus eſt, ſingultus, & bilis vomitus inſequitur. Si quid cibi vel potionis aſſumptum eſt, id redditur citò. Venarum motus elangueſcunt, ſudores tenues oriuntur, per quos extremæ partes frigeſcunt. De ſignis percuſſi ſtomachi.

Communes verò ieiuni inteſtini, & ventriculi vulnerati notæ ſunt. Nam cibus, & potio per vulnus exeunt, præcordia indureſcunt, nonnumquam bilis per os redditur; Inteſtino tantum ſedes inferior eſt. Cætera inteſtina icta vel ſtercus, vel odorem eius exhibent. De ſignis ieiuni inteſtini, et ventriculi vulnerati, & aliorum inteſtinorum.

Medulla verò, quę in ſpina eſt diſcuſſa, nerui reſoluuntur, aut diſtenduntur, ſenſus intercidit: interpoſito tempore aliquo ſine voluntate inferiores partes vel ſemen, vel vrinam, vel etiam ſtercus excernunt. De ſignis percuſſæ medullæ, quæ in ſpina eſt.

At ſi ſeptum tranſuerſum percuſſum eſt, pręcordia ſurſum contrahuntur, ſpina dolet, ſpiritus rarus eſt, ſanguis ſpumans fertur. De ſignis ſepti tranſuerſi percuſſi.

Veſsica vero vulnerata dolent inguina. De ſignis veſsicæ vulneratæ.

Quod

Quod ſuper pubem eſt, intenditur, pro vrina ſanguis, aut ex ipſo vulnere vrina deſcendit; ſtomachus afficitur. Itaque aut b lem vomunt, aut ſingultiunt, frigus, ex eo mors, ſequitur.

Prçter hæc experimento multa alia diſcunt, qui aſſidui ſunt in adiuuandis infirmis, & morientibus; qua in re noſtri Patres Religionis Miniſtrantium Infirmis plurimum præualent, tum quia die noctuquè paſſim ſolent aduocari ad opera charitatis præſtanda infirmis, & morientibus in priuatis domibus, tùm etiam quia ſæpiſſimè varios caſus, & diuerſa accidentia adnotant in infirmis Noſocomiorum, quos ſæpè inuiſunt, vbi etiam ex colloquijs medicorum inſtruuntur. Vndè regularitèr loquendo poſſunt prædicti Noſtri prudens iudicium ferre de periculo, vel articulo mortis. Determinatam autèm mortis horam prænunciare nullus præſumere debet, quia etiam viri valdè periti in hoc ſæpius fuerunt decepti. Quarè executioni mandandum documentum inſigne Patris noſtri Camilli Fundatoris venerandæ memoriæ, quod habetur in eius vita lib. 3. cap. 2. Noſtris

In vita P. Camilli.

porrò

porrò ſeuerè prohibebat prognoſtica, & ne vmquam affirmatè horam prædicerēt, qua moribundi vitam eſſent relicturi, dicebatquè id in ſola Dei mente eſſe recōditum, & ſæpè ipſos cum magno ſuo rubore, & confuſione falli poſſe.

Quam in rem, ſuimet ipſius proferebat exemplum, qui poſt longam multorum annorum experientiam, tamen circa mortis horam in non paucis deceptus eſſet: nempè cum vigilante ſe quadam nocte in Noſocomio S. Spiritus, ſex, ſeptemuè infirmi obierint, quorum nec vni præſens adfuerat, quippè ratus hunc ante illum mortem oppeturum, ita vt in omnibus deceptus fuerit. Vndè mane vehementer mærens dicebat: *Tantum eſt, Fratres mei, vt in hac nocte falſus animi fuerim, nec mortis horum pauperculorum veram horam cognoſcere potuerim*. Ex quo inferebat ad huiuſmodi notitiam nihil plùs valere, quàm continuam patientiam, præſentiā, & perſeuerantiam.

Porrò etiam ſi aliquandò contingat, vt conualeſcat is, quem in periculo, vel articulo mortis conſtitutum vel noſtri, vel alij iudicarunt. Mirum nemini eſſe debet,

debet, tum quia ars medicinæ coniectu-ralis eſt; coniecturæ autèm ratio poſtu-lat, vt licet effectus ſæpiſſimè correſpon-deat, aliquandò tamèn non ſuccedat, tũ quia virtus Sacramentorum, quæ infir-mus ſuſcipit, & præcipuè Eùchariſtiæ, & extremæ Vnctionis etiam corporis vale-tudinem non raró confert. Plurimorum quoquè preces & Sanctorum ſuffragia, quibus infirmus ſe commendat, ſæpiſsimè à Dei bonitate ſanitatem impetrant; Demùm quandoquè monitis ſalutaribus ita infirmus à noſtris, vel ab alijs adiuuatur, vt peccatis per veram pœnitentiam expiatis, cum diuina gratia etiam ſanitatem obtineat.

ADNOTATIO XXVIII.

Infirmus valdè periculosè laborans hortandus eſt, vt extremam vnctionem ſuſcipiat.

CVm ægritudinis vis eò deuenit, vt infirmum adultum in periculo mortis conſtituat, illi ſuadendum erit, vt Sacramento extremæ vnctionis muniatur, qua in re ſuauitèr procedendum eſt. So-

lent

lent enim vtplurimùm perterreri infirmi, vel etiam illorum conſanguinei, & domeſtici, dum, de ſuſcipiendo prædicto Sacramento agitur, quod putant infauſtum mortis nuncium. Quarè.

Primò, Proponatur eam eſſe virtutem extremæ vnctionis diuinitùs inditam, vt (vbi ſaluti animæ expedit) corporalem etiam ſanitatem conferat, quod & Theologi communiter, & Concilia docent; Concil. Colonien. par. 7. cap. 40. *Reſtat* (inquit) *extrema vnctio, quæ, quoniam in morte extrema lucta eſt, adhibetur, vt vel conualeſcat ægrotus, ſi Deo ita viſum eſt, vel fide, bonaquè ſpe obdormiat in Domino.* *Colon.* Et Concil. Trid. ſeſſ. 14. ſub doctrina de Sacramento extremæ vnctionis capit. 2. enumerans effectus huius Sacramenti ſubdit quod *Infirmus ſanitatem corporis interdùm, vbi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.* *Trid.* Et colligitur ex loco Iacobi 5. vel illis verbis, *Et oratio fidei ſaluabit infirmum*; vel illis, *Et alleuiabit eum Dominus*; Sed priora verba magis communiter accipiuntur, de ſalute corporis, quæ opponitur infirmitati, de qua ibi ad litteram fiebat mentio. *Iacob.*

Ve-

Verùm quia ſæpè infirmus, vel naturali mortis timore correptus, vel dæmonis ſuggeſtione deceptus procraſtinat, & differt ſuſceptionem extremæ vnctionis, cui etiam dilationi ſępè conſentiunt conſanguinei, & amici ægrotantis, metuentes ne moleſtia afferatur infirmo, aut morbus augeatur timore mortis incuſſo ob occaſionem extremæ vnctionis. Hi monendi ſunt de errore in quo verſantur, non enim expectandus eſt talis infirmi ſtatus, vt ille ſenſu & cognitione deſtituatur, hoc enim derogat reuerentię tali Sacramento debitæ, prætereà cum ægrotus ſenſuum eſt expers, non poteſt eam percipere vtilitatem ex Sacramento, quam ſenſu & cognitione pollēs, atquè adeò deuotè recipiens Sacramentum aſſequeretur. Demùm vt optimè monet Suarez Tom. 4. in 3. partem diſp. 42. ſect. 2. Non eſt, expectandum tempus, in quo iam nulla naturaliter ſit ſpes recuperandæ ſanitatis, nam hoc etiam (inquit Suarez) derogat ſecundariò fini huius Sacramenti, quamuis enim hoc Sacramentum ſupernaturalitèr iuuet ad ſanitatem recuperandam, non tamen eſt conſentaneum

Suar.

neum

neum inſtitutioni, nec rationi expectare tempus, in quo ferè ſit neceſſarium maniſeſtè miraculum, nam hoc eſt quodammodo tentare Deum, & virtutem Sacramenti velle experiri.

Secundò, Allici etiam poterit infirmus ad promptè ſuſcipiendum extremæ vnctionis Sacramentum, ſi Sacerdos animaduertens illum ægritudinis moleſtia plurimum vexari, commiſerantis, & condolentis affectu præmiſſo, ſuggerat hanc etiam eſſe admirabilem extremæ vnctionis virtutem, vt languentes vires ſubleuet, & robur conferat ad facilius tolerandam morbi acerbitatem, quod apertè docet Concil. Trident. loco ſupracitato dicens. *Aegroti animam alleuiat, & confirmat, magnam in eo diuina miſericordia fiduciam excitando, qua infirmus ſubleuatus & morbi incommoda, ac labores leuius fert &c.* Trid.

Tertiò, Significetur infirmo conſilium eſſe diuinum, antequam ille ſenſu, & cognitione careat, vt hoc Sacramentum petat, quod colligitur ex verbis Iacob. 5. *Infirmatur quis* &c. & poſtea ſubdit, *Inducat presbyteros Eccleſia.* Perpēdendū eſt, quod Iacob.

hoc inducere ſatis apertè indicat, quod ad ipſum infirmum ſpectet curare, vt aduocetur Sacerdos, à quo Sacramentum extremæ vnctionis recipiat. Adde quod plurimum pro ædificatione ſpirituali proximorum confert, ſi infirmus prompto, & alacri animo deuotè hoc Sacramentum ſuſcipiat.

Quartò, Exigit animi gratitudo, vt infirmus magni faciat hoc Sacramentum, quod Chriſtus in vtilitatem maximam inſtituit eo tempore, quo peculiari auxilio diuino indigemus. Notatu digna ſunt

Trid. hic verba Conc. Trid. ſeſſ. 14. in doctrina Sacramenti extremæ vnctionis, ſcilicet, *Clementiſſimus Redemptor noſter, qui ſeruis ſuis quouis tempore voluit, de ſalutaribus remedijs aduerſus omnia hoſtium tela eſſe proſpectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis alijs præparauit, quibus Chriſtiani conſeruare ſe integros, dum viuerent, ab omni grauiore ſpiritus incommodo poſſent; ita extremæ vnctionis Sacramento finem vitæ, tanquam firmiſſimo quodam præſidio muniuit. Nam etſi aduerſarius noſter occaſiones per omnem vitam quæras, & captet, vt deuorare animas noſtras*

quo-

quoquo modo poſsit; nullum tamèn tempus eſt, quo vehementiùs ille omnes ſuæ verſutiæ neruos intendat, ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam, ſi poſsit, diuinæ miſericordiæ deturbandos, quam cùm impendere nobis exitium vitæ perſpicit.

Non ſatis autèm æſtimare videtur hoc adeò ingens beneficium, qui non deuota ſedulitate, ſed ſegnitèr ſe gerit in ſuſceptione huius Sacramenti, vrgente grauitate morbi, & mortis periculo inſtante.

Quintò, Sacerdos ſuggerat infirmo nõ poſſe, ſinè magno periculo, huius Sacramenti ſuſceptionem differri; non ſolùm enim ob varias, & occultas infirmitatis mutationes contingere poteſt, vt in delirium, vel ſenſuum hebetudinem incidat, quod multis ſimili morbo laborantibus euenit. Quarè ſic infirmum alloqui poterit. Mi frater, fœlix, quem faciunt aliena pericula cautum; hic agitur de re magni momenti, vnde ſi mors tibi accideret, non ſuſcepto hoc Sacramento, priuareris ingentibus bonis, & præcipuè auxilio gratiæ, quo corroboratur infirmitas humana, ex peccatis præteritis contracta, &

virtute ſuperandi validius tentationes dæmonis, quæ ex memoria admiſſarum culparum vehementiores fieri ſolent. Si ergò ſempèr nocuit differre in negotijs, quæ plurimùm conducunt, ſi celeritèr executioni mandentur, certè hac in re conſultò ages, ſi nulla interpoſita mora, quod tutius eſt, eliges.

CAPVT QVARTVM

De ijs quæ præſtanda ſunt cum infirmo agonizanti, ſeu cum eo, cui mors vicina imminet.

ADNOTATIO I.

Infirmus morti propinquus, qui iam Sacramenta Pœnitentię, Euchariſtię, & extremæ vnctionis recepit, cibos atquè medicamina abhorrens, Spe cæleſtis gloriæ recreandus eſt.

SAcerdos vt huiuſmodi infirmum ſoletur, eum ſic alloqui poterit.

Chariſſime, iam terrenus cibus, pharmaca, & cætera medicaminum genera moleſtiam tibi potiùs, quàm ſubleuamen afferunt, & mortificata remanet ſpes noſtra de tua corporis ſalute concepta. Tu vero occaſionem nactus es gaudendi, atquè Deo gratias agendi, quod te à ſeruitute huius carnis vindicando, & ab obligatione illam ſu-

ſtentandi,es translatus in libertatem gloriæ filiorum Dei. Paulatim incipis in terris vitam Angelicã tranſigere, poſtquam à paſcuis viliſſimis belluis communibus inuitaris ad deguſtandum panem Angelorum in illa nobiliſſima,& ditiſſima Paradiſi menſa. Cogita mi frater in cœlo magnum eſſe gaudium, quia Beati expectant, quod anima tua faſtidio habens mundum, & res terrenas, vbera abhorreat deliciarum,& mundanarum voluptatum, & magno ſtudio appetat,& exquirat ſuauiſſimum panem, qui in cœleſti conuiuio Dei filijs eſt paratus. Benedictus Deus, qui amarum, & iniucundum tibi omne ſolamen mundi reddit, vt ardentiori ſtudio affectes conſolationes cœleſtes, & electuarium illud ſuauiſſimum diuinæ gratiæ, quo vires animi confirmantur, & euſquè roborantur, vt huius vitæ curſu fœlicitèr peracto, ad cœlum peruenire poſſis.

AD-

ADNOTATIO II.

Infirmus, qui etiam Sacramentis prædictis munitus eſt, & ita à morbi violentia opprimitur, vt facultas loquendi ei ſublata ſit, hortandus erit, vt corde cum Deo loquatur.

HAec breuitèr ad aures huius infirmi ſuggeri poterunt. Humana negotia cum hominibus loquelæ miniſterio trá ctantur, ad ea verò, quæ cum Deo aguntur, ſolum cordis ſecretum ſufficit, quarè mi frater, boni conſule, ſi fandi facultate priuaris, ſic enim expeditus à mundi negotijs, totum animi affectum in Deum dirigere potes, dicendo. *Dilectus meus mihi, & ego illi, Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius.* Cant. 2. Par enim eſt, vt tandèm aliquando noſtra conuerſatio ſit in cœlis. Ideo etiam te Deus in ſolitudinem duxit, vt ad cor tuum loquens melius audiatur, quarè attentè audi, quid loquatur Dominus ad cor tuum.

ADNOTATIO III.

Sacerdos acceerſitus ad auxilium moribundo praſtandum, qui non ſuſcepit Sacramenta, omni conatu efficere debet, vt quæ dignè ac decenter poteſt, recipiat.

SI huiuſmodi ægrotus ſit mentis compos, & loquela, atquè ſenſibus polleat, ei aliqua, ea breuitate, qua prudens Sacerdos iudicabit, proponi poterunt, ex adductis capite pręcedenti adnotat. 6. 7. 9 & adnotat. 28. Quibus induci poterit ad Sacramenta ſuſcipienda, quæ dignè, & decenter ei adminiſtrari poterunt. Si verò infirmus ſit mentis compos, & auditus quidèm ſenſu non careat, ſed nequeat loqui admoneatur ſeriò, vt ſinè mora ſaluti ſuæ conſulat, quia modicum illi vitæ tempus ſupereſt; quarè, vt per Sacramẽtalem confeſſionem velit conſcientiam à peccatis expurgare, & quæ dignè, & decenter poteſt, alia Sacramenta recipere, hortandus erit; Si annuat, Sacerdos adſtans iubeat recedere circumſtantes, vt Confeſſio fiat Secreta.

Pro-

Proponat Confeſſarius aliqua peccata, quæ à tali infirmo veriſimiliter fuiſſe admiſſa iudicabit; Si nutu ſignificet ſe illorum eſſe reum, abſoluatur; Si tempus ſupereſt, antequam abſoluatur, interrogetur, an aliquid reſtituere teneatur; Si aliquo ſigno affirmet, & non poſſit indicare cui reſtituendum ſit, hæredes aduocentur, quibus præſentibus exigat confeſſarius à moribundo, vt innuat illis bona ſua hac obligatione relinquere, vt poſt exactum examen, ſi quod reſtitutionis onus inueniãt, illi ſatisfaciant; peti etiam poteſt ab infirmo, an reſtitutio facienda ſit incertis perſonis, & quænam quantitas, quod ſi per partem affirmatiuam ab infirmo declaretur, Eccleſiæ, vel pauperibus reſtituendum erit ſine mora; ſi fieri poterit, vel ſi rationabilis cauſa adſit, dilationis, hæredes reſtituent. Plura de reſtitutionis onere adimplendo ab ægroto, vel moribundo, dicemus infra lib.2.cap.2.

Vbi etiam videbimus quando moribundus abſoluendus ſit, cum aliqui teſtantur, illum petijſſe confeſſionem, vel ſigna in ordine ad claues dediſſe, & vtrũ ſufficiat vnius teſtimonium, vtrùm teſtis

debeat

debeat eſſe præſens confeſſario, & moribundo, àn ſi ſub conditione ſit abſoluendus moriens, qui nullum præmiſit ſignũ, quo declararet ſe velle confiteri, quid faciendum, cum ſigna ſint dubia, & alię difficultates circa Sacramenta infirmis, vel morientibus conferenda, dilucidabuntur.

Aliqua etiàm ſuggeret Sacerdos huic moribundo, ad actum contritionis in eo excitandum, pro quo munere nonnulla apta reperies cap. pręcedenti adnotat. 21. & infra lib. 2. cap. 6. quæſito 1.

ADNOTATIO IV.

Diſponendus eſt moribundus, vt, ſi fieri poteſt, aliquam indulgentiam lucretur.

NOn ſolùm partes ſunt Sacerdotis moribundum adiuuantis curare, vt ille in ſtatu gratiæ decedat, ſed etiàm vt remiſsionẽ pœnæ culpis admiſsis debitę; vel integrè obtineat, vel maiori qua poteſt parte, vt ſic anima poſt ſeparationem à corpore, vel nullo, vel exiguo tempore in Purgatorio detẽta, à conſecutione beatificæ viſionis retardetur.

Quarè

Quarè ſi talis moribundus alicui Congregationi, ſeu Confraternitati nomen dedit, cui Fratribus, vel Sororibus in articulo mortis conſtitutis, & deuotè inuocantibus nomen Ieſu ore, vel corde, Plenaria indulgentia ab aliquo Summo Pōtifice conceſſa ſit, vt communiter fieri ſolet, hortandus erit, vt maiori quo poteſt deuotionis feruore Sanctiſsimum nomen Ieſu inuocet, vel ore, vel corde, ſubmiſsè, & fiducialiter à Deo poſtulando veniam peccatorum, quià ſic firmiter ſperare poterit, vt quam Summus Pontifex de theſauro Eccleſiæ, Indulgentiam conceſsit, lucretur. Si verò non conſtet alicui Congregationi, ſeu Confraternitati eſſe adſcriptum; Roſarium, vel ſacrum aliquod numiſma, vel quid ſimile, ea Pontificia benedictione ditatum, vt deferentes, vel apud ſe habentes indulgentiā conſequantur, ſupra morientem ponatur, qui eo modo, quo dictum eſt, ad inuocationem nominis Ieſu hortandus erit, pro acquirenda in illo articulo indulgentia.

AD-

debeat eſſe præſens confeſſario, & moribundo, àn ſi ſub conditione ſit abſoluendus moriens, qui nullum præmiſit ſignũ, quo declararet ſe velle confiteri, quid faciendum, cum ſigna ſint dubia, & alię difficultates circa Sacramenta infirmis, vel morientibus conferenda, dilucidabuntur.

Aliqua etiàm ſuggeret Sacerdos huic moribundo, ad actum contritionis in eo excitandum, pro quo munere nonnulla apta reperies cap. pręcedenti adnotat. 21. & infra lib. 2. cap. 6. quæſito 1.

ADNOTATIO IV.

Diſponendus eſt moribundus, vt, ſi fieri poteſt, aliquam indulgentiam lucretur.

NOn ſolùm partes ſunt Sacerdotis moribundum adiuuantis curare, vt ille in ſtatu gratiæ decedat, ſed etiàm vt remiſsionē pænæ culpis admiſsis debitę; vel integrè obtineat, vel maiori qua poteſt parte, vt ſic anima poſt ſeparationem à corpore, vel nullo, vel exiguo tempore in Purgatorio detēta, à conſecutione beatificæ viſionis retardetur.

Quarè

Quarè ſi talis moribundus alicui Congregationi, ſeu Confraternitati nomen dedit, cui Fratribus, vel Sororibus in articulo mortis conſtitutis, & deuotè inuocantibus nomen Ieſu ore, vel corde, Plenaria indulgentia ab aliquo Summo Pōtifice conceſſa ſit, vt communiter fieri ſolet, hortandus erit, vt maiori quo poteſt deuotionis feruore Sanctiſsimum nomen Ieſu inuocet, vel ore, vel corde, ſubmiſsè, & fiducialiter à Deo poſtulando veniam peccatorum, quià ſic firmiter ſperare poterit, vt quam Summus Pontifex de theſauro Eccleſiæ, Indulgentiam conceſsit, lucretur. Si verò non conſtet alicui Congregationi, ſeu Confraternitati eſſe adſcriptum; Roſarium, vel ſacrum aliquod numiſma, vel quid ſimile, ea Pontificia benedictione ditatum, vt deferentes, vel apud ſe habentes indulgentiā conſequantur, ſupra morientem ponatur, qui eo modo, quo dictum eſt; ad inuocationem nominis Ieſu hortandus erit, pro acquirenda in illo articulo indulgentia.

AD-

ADNOTATIO V.

Sicut moribundo pauca, & moralis interpoſitis ſuggerenda ſunt, ita diuturnis, & inſtantibus precibus, atquè multiplici Miſſæ ſacrificio ſuffragandum.

INfirmus, cui vicina mors imminet, pluribus modis torquetur, quarè ſi plura & coaceruatìm illi ſuggerantur, non modò periculum erit, vt tædio afficiatur, ſed ne ad impatientiam, vel indignationem concitetur; pauca ergò, & modo ſuaui, ac blando, illi proponenda ſunt, non properantèr, ſed paulatìm voce ita aptata, vt pium affectum præſeferat, hoc autèm fiat nec nimiùm frequẽtèr, nec nimiùm rarò, ſed cõuenięti tẽpore interiecto, prout prudẽtia adſtantis dictauerit, regularitèr loquẽdo, bis vel ter ſingulis horæ quadrantibus agonizãti poterunt breues clauſulæ ſuggeri, ſic enim commodè hic poterit, quæ audierit, animo perpendere, actuſquè internos correſpondentes elicere; hac etiam ratione circumſtantes ad deuotionem facilè excitabuntur.

Inter alia monita ſapientia diuina reple-

pleta, quæ tradere conſueuerat S. Philippus Nerius hoc erat, vt Confeſſarij, vel alij, animas morientium commendantes pauca verba ſuggererent, & non admodùm frequentèr, ſed illos potiùs orationibus adiuuarent; ſic enim in eius vita Italicè conſcripta ab Adm. R. D. Pet. Iacobo Baccio lib. 3. cap. 6. habetur. *Quādo poi li Confeſſori, ò altri andauano à raccomandare l'anima à morienti, diceua, che era buoniſsima coſa dir loro poche parole per volta, & di rado, & aiutarli più toſto con orationi.* Quantùm verò adiuuari, & corroborari poſſit is, cui mors imminet, dum ab aliquo admonetur, & hortatur, vt eo modo ſe gerat, quo expedit pro ſalute æterna, colligi ex eo poteſt, Quod Vrſicinus medicus ob fidei Chriſtianæ confeſſionem ductus ad ſupplicium, paululum in tormentis titubans, illa Vitalis breui exhortatione, (*Vrſicine medice, qui alios curare ſolitus es, caue ne te mortis æternæ iaculo conficias*), ita corroboratus fuit, vt alacri animo de tormentis triumphans martyrij coronam ſit aſſecutus. Quantùm verò ſalutaria monita in extremo vitæ proſint, optimè nouerant mater Me-

In vita S. Phil. Ner.

In vita S. Vital. Mar.

lithonis

lithonis martyris, quæ eundem cruribus fractum viuentem videns, ſic cohortata eſt. *Fili paulisper ſuſtine, eccè Christus ad ianuam Paradiſi ſtat adiuuans te*. Et mater Machabæorum, quæ animum filij minoris natu erexit,& confirmauit ad mortem fortiter perferendam, vt habetur 2. Machab. 7.

In vita SS. Quadrag. mart.

2. Machab.

Porrò ſicut paucis verbis admonendus eſt moribundus, ita multis orationibus adiuuandus; hæ enim plurimum valent ad eum è periculis, in quibus verſatur, liberãdum, ad diuinam miſericordiam ipſi propitiam reddendam, ad dæmonis inſultus coercendos, qui tunc ſolent eſſe vehementiores. Demùm ad obtinenda moribundo peculiaria ſubſidia, & ſubleuamina, valdè opportuna ſunt Miſſarum ſacrificia. Valor enim Miſſæ maximus eſt, tùm ad impetrandum, tùm ad ſatisfaciendum, ſeù ad extinguendum debitum pœnæ temporalis, quam debemus peccatis iam condonatis, quoad culpam.

AD-

ADNOTATIO VI.

Moribundus, aqua luſtrali ſæpè aſpergendus, & ſigno Crucis muniendus.

IN aqua luſtrali virtutem ineſſe comprimendi Dæmonum audaciam, eoſquè fugandi, certum eſt, nam & in eius benedictione hæc verba adhibentur. *Vt vbicumquè fuerit aſperſa, omnis infeſtatio immundi ſpiritus abigatur, terrorquè veneноſi ſerpentis procul pellatur.* Refert Diſcipulus Serm. 90. Quod in vno Monaſterio quidam laicus de nouo conuerſus, cum eſſet in articulo mortis, vidit totam domum repleri deformibus perſonis, & roſtratis; quod cum ſignificaret cuſtodi ſuo, ille intelligens quod immundi ſpiritus eſſent, fecit ſibi porrigi vas aquæ benedictæ, & cum ea aſperſit totum locum, & cum hoc faceret, altè clamare cæpit. *Eia, eia fac, quod facis, quoniam eccè diaboli fugientes, ſumma celeritate ſotendunt exire, alter in alterum impingentes.* Et ille fortius cæpit aſpergere, & ſic liberatus eſt æger à dæmonum infeſtatione. Sic etiam S. Humbertus Epiſcopus Leodieſis apud Diſcip.

Su-

Apud Sur. Surium die 3. Nouembris extrema ægritudine decumbens, aquam benedictam ſibi deferendam iuſſit, vt dæmones minitantes eijceret. Quarè Sacerdos adſtans ad opem morientis frequenter eum aqua luſtrali aſperget, vt dæmonum conatus eneruet, eoſquè tunc validiùs inſurgentes propulſet, dicendo per modum orationis, *Huius aquæ tactus, propulſet dæmonis actus*, vel ſimilia. Et quidèm quod in perniciem moribundi plures conuolet nequiſſimi ſpiritus, varij teſtantur auctores, inter quos idem Diſcip. Serm. 115. tradit confluxiſſe ad quendam adoleſcentem, in extremo vitæ conſtitutum innumerabiles dæmones; & Eccleſia etiam in commendatione animæ hoc innuit, dum vtitur illis verbis. *Confundantur igitur omnes tartareę legiones, & miniſtri Satanę iter tuum impedire non audeant*. Et ea eſt audacia dæmonis, vt etiam viris probis, extremos halitus efflantibus horrifico aſpectu quandoquè appareat, cuius rei fidem faciunt multæ de Sanctis relatæ hiſtoriæ, vt videre eſt in vita S. Martini Epiſc. Turon. die 11. Nouembris apud Surium; In vita Caroli Magni à Turp. conſcripta

Diſcip.

In vita S. Martini apud Sur.

ſcripta; In vita S. Eliſabethæ Regis Vngariæ filiæ apud Surium die 19. Nouembris, & citat. diſcip. Serm. 135. ex Cæſario receſſet ad quandam Abbatiſſam agonizantem, quæ vitam religiosè transſegerat, accurriſſe plures dæmones, quàm folia in maxima ſylua menſe Maij reperiantur. Innuitur etiam in vita S. Catharinę Senenſis à Surio relata 29. Aprilis, vbi hæc habentur. *Communita Sacramentis, & ditata benedictione Pontif. angoribus mortis capit corripi, & cum teterrimis dæmonibus inſingulare certamen ingredi, vt poſſet etiam ex factis & dictis eius id animaduerti. Quandoquè enim tacebat, nonnunquàm reſpondebat &c.* Adde, quod aſperſio aquæ benedictæ in moribundo, qui nō eſt ſenſibus deſtitutus, poteſt, maximè concurrente aliquo breui monito Sacerdotis, excitare aliquem actum deuotionis, ſeu contritionis, ſeu alicuius virtutis; & ſic eius peccata venialia delebūtur; nam aquam benedictam conferre ad peccata venialia remittenda, docent grauiſſimi Theologi, Bellarminus tom. 3. de Sacramentis lib. 1. cap. 13. Henriquez lib. 1. de pœnit. cap. 15. num. 8. Sotus in 4. diſtinct.

In vita S. Eliſabeth. Diſcip.

In vita S. Cath. Sen.

Bellar. Henriq. Sotus.

Nugn. ſtinct. 15. q. 2. art. 3. Nugnez in 3. p. to. 2. q. 87. art. 3. diff. 2.

Maximam etiam habet vim ad immũdos ſpiritus à moriente abigendos, eorũquè vires debellandas ſignum crucis; quarè ſæpiùs tali ſalutifero ſigno à Sacerdote muniendus erit proferendo illa verba. *Ecce ſignum Crucis, fugite partes aduerſæ, vicit leo de tribu Iuda.*

ADNOTATIO VII.

Sacerdos hortetur morientem, qui ea, quæ decenter potuit, Sacramenta recepit, vt etiam ex more Chriſti fidelibus perutili proteſtationibus ſe communiat.

VT moriens faciliùs de Satanicis tẽtationibus triumphet, & non modò in ſtatu gratiæ obfirmetur, ſed etiam illius copioſiori incremento locupletatus, atquè adeò diſpoſitus ad ſublimiores gloriæ gradus conſequendos ex hac vita migret, plurimùm cõducunt proteſtationes nonnullæ, quæ ex laudabili, & pia conſuetudine fieri ſolent.

Quarè Sacerdos accerſitus ad opẽ moribun-

ribundo præſtandam, illum modo ſubſequenti, vel alio conſimili ad ſe muniendum proteſtationibus inducat.

Dicat ergò Sacerdos ſatis clara voce, vt eum præeuntem ſequatur infirmus vel ore, ſi poteſt, vel cordis affectu, ſigno aliquo externo annuens.

Ego N. N. profiteor me Chriſti fidelem, & filium S. Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Romanę lumine Spiritus Sãcti directæ, mediante Summo Pontifice Chriſti Vicario, & D. Petri ſucceſſore, huic adhærere, & vſquè ad mortem obedire volo, ſciens extra ipſam neminẽ ſaluari. quarè quidquid eadem Eccleſia credit, ego quoquè credo, omneſquè errores, & hæreſes ab ipſa damnatas deteſtor, & diuina adiutus gratia tanta firmitate, & animi conſtantia fidem catholicam detineo, vt pro illius confeſſione vitam, & ſanguinem effundere, & quoſcũquè cruciatus perferre paratus ſim. Alia etiàm proteſtatio fidei habetur cap. 3. adnotatione 18.

Fateor ob maximam meam ingratitudinem, & innumera, atquè grauiſſima ſcelera mea, quibus diuinam maieſtatem of-

fendi, me dignum eſſe ęternis inferni ſupplicijs, in quæ iam incidiſſem, niſi mihi propitia fuiſſet Dei bonitas, quæ me etiã tali gratia donauit, vt illa adiutus culpas omnes à me admiſſas dolens deteſtatus ſim, & nunc iterum deteſter, & licèt crimina mea numero minutas maris arenas excederent, licèt ea tibi Clementiſſime Pater Domine Deus magis diſplicerent, quàm omnia peccata à quibuſcunque alijs patrata; nihilominùs ſciens incomparabiliter maiorem eſſe tuam miſericordiã, & valorem ſanguinis, quem dilectiſſimus humana indutus carne filius tuus, vt pro meis, & omnium hominum culpis ſatisfaceret, copioſiſſimè effudit, non dubito quin poſſis, & velis me ſaluare.

Ex animo condono omnes mihi iniurias à quocumque illatas, & quidèm eo affectu, quo cupio vt mihi Deus indulgeat, & ſi quem læſi, ab ipſo ſubmiſsè veniam peto.

Fateor ò Deus meus, ò amor meus, quòd ego in rerum natura ſim, quod huc vſquè vixerim, quòd pluribus bonis tum quæ animam, tùm quæ corpus reſpiciunt, ditatus fuerim, & vitam æternam, quam

ſpero,

ſpero, dona eſſe infinitæ liberalitatis, & beneficentiæ tuæ. Quarè cum his & pluribus alijs titulis tuus ſim benigniſſime Domine, par eſt, vt de me tanquam tuo mancipio pro arbitratu tuo diſponas, quod mihi ſummoperè placet, & exultabundo affectu me etiam tibi do, & trado, ſpontè confirmans imperium, & iura, quę ſuper me habes, vt eo meliori modo, quo poſſum, titulo etiam donationis ſpontaneæ, & oblationis meæ voluntatis totus tibi ſubiectus ſim.

Hæc amabiliſsime Domine mea eſt fides, hoc ſummarium mearum cogitationum, hæc vltima mea voluntas, in qua te etiam atquè etiam rogo, vt boni conſulas tui ſerui animũ, & digneris, quæ deſunt, ſupplere, atquè inconcuſſa tuæ gratiæ virtute infirmitatem, ac cordis mei incõſtantiam obfirmare. Quarè nunc, ſi ob humanam meam fragilitatem, vel dęmonis ſuggeſtionem aliquid agerem, vel proferrem, vel cogitarem contra ea, quæ ſuperius propoſui, vel Religionis Catholicæ profeſsionem dedecerent, nunc iteratis precibus clementiſsime Domine poſtulo, vt in tribunali tuæ immenſæ miſe-

ricordiæ, ad quod titulo appellationis, & alio quocumque poſsibili modo confugio, tanquam quid malè actum, & contra meam abſolutam voluntatem, dæmonũquè inſidijs extortum, nullius valoris, nullius momenti declaretur, & reijciatur; ſicut illud & ego nunc pro tunc corde cõpuncto, & pænitudine, qua poſſum maiori, reuoco, retracto, & irrito.

Huius mei manifeſti teſtes conſtituo te N. patrem meum ſpiritualem, vicem Dei gerentem, Angelum meum tutelarem, Michaelem Archangelum, S. S. N. N. & vniuerſam cęleſtem cohortem; & tandèm tibi Dominæ Reginæ cœli Dei matri, Patronæ, & auxiliatrici meæ ſingulari has meas proteſtationes commendo, vt ſi in illis reperiatur aliquid, quod Deo ſit gratum, per tuas manus magis dignificatum offeratur. Dignare Domina mea pro me fideiubere, vt poſtea curæ tuę ſit, mihi talem gratiam impetrare, vt in præmiſsis propoſitis firmitèr perſeuerem, nec à Dęmonum calliditate peruertar, ſed in diuino obſequio ſempèr magis corroborer, donec extremum emittam halitum.

Quòd ſi ob temporis anguſtias, vel ob

acer-

acerbitatem dolorum, quibus quandoquè moribundus angitur, vel ob aliam rationabilem cauſam prudens Sacerdos iudicabit breuioribus clauſulis proteſtationes terminandas eſſe; hoc, vel ſimili modo Sacerdos infirmum alloquatur.

Mi frater, vt ſaluti tuæ, quantum potes, conſulas, expedit vt te aliquibus proteſtationibus communias; quarè collige animi vires, affectuquè cordis in Deum directo mecum dic.

Ego N. firmitèr credo quidquid credit Sancta Mater Eccleſia Catholica, & proteſtor me velle viuere, & mori fidelem, & Catholicum Chriſtianum, fateor me vnum eſſe ex maximis peccatoribus, & dignum infernalibus flāmis, ſed tu Deus pater miſericordiarum ob merita paſsionis filij tui parce mihi miſero peccatori.

Ignoſco omnibus, à quibus iniuriam ſum perpeſſus ob Dei amorem, vt & Deus mihi condonet peccata, quæ contra eum admiſi, & cupio vt mihi ignoſcat, ſi quis à me fuit offenſus, fretus miſericordia Pater Clementiſsime, & valore infinito ſāguinis filij tui pro humani generis redemptione effuſi, firmitèr ſpero ſalutem æter-

 nam.

nam. Quidquid boni habeo, à tua infinita bonitate, & liberalitate accepi, ò Deus meus; quarè tibi gratias ago, & de me pro libito tuo diſponas.

Angeli mei cuſtodis, & S. Michaelis, & S.S.N.N. auxilium & B. V. patrocinium toto cordis affectu imploro.

ADNOTATIO VIII.

Moribundus breuibus monitis in fide eſt confirmandus.

SAcerdos adiuuans in extremis laborantem, eum quandoquè in fide corroborare debet; illius enim tùnc frequentes, & non leues ſolent eſſe tentationes; cum ergò ſic poterit excitare.

Mi frater eleua mentem tuã ad Deum, & dic.

O Pater luminum, ò fons totius lucis ita continuò illumina cor meum, vt Catholicæ fidei lucerna, quam in pectore meo accendiſti, nullis tentationum fluctibus extinguatur.

O Deus meus, ò æterna ſapientia non conuenit, vt tentator aliud à me reſponſum reportet, niſi quod ego credo quid-

quid

quid credit Sancta Romana Eccleſia Apoſtolica.

O Deus meus, ò fortitudo mea, ſic intellectum meum tua virtute confirma in retinenda fide Catholica, vt non humanas rationes quærat, ſed tuæ diuinæ veritati infallibili, cui illa innititur, omninò acquieſcat. Credo, ſed ò Domine adauge fidem meam.

O Beatiſsima Virgo fidei magiſtra, impetra mihi auxiliũ, quo importunas quaſcumquè contra fidem ſuggeſtiones ſuperem.

Iuuabit, ſi Sacerdos ſymbolum Apoſtolorum recitet nomine morientis, & ab eo petat, vt ſigno aliquo innuat ſe ita credere.

Plura motiua pro retinenda fide Catholica attulimus ſupra cap. præcedenti adnotat. 16. & 18. ex quibus aliqua breuioribus clauſulis perſtricta deſumere poterit, & moribundo ſuggerere, pro vt expedire iudicabit prudens Sacerdos.

AD-

ADNOTATIO IX.

Animus moribundi in ſpem erigendus eſt, breuibus tamen verbis.

SOlet dæmon oppugnare morientem tentationibus diffidentiæ, eòquè repetitos conatus confert, vt illum in deſperationem inducat, ſcelera eius ſupra modum amplificat, & diuinæ iuſtitiæ rigorem exaggerat; credibile eſt quod dicat, iuſtum eſt, vt qui viuendo miſericordia diuina abuſus fuit, in morte vltricem iuſtitiam Dei experiatur; facilè etiã ſuggeret illud, *Si iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* Quarè ad munus Sacerdotis adſtantis moribundo ſpectat eum aliquotiès animare ad benè ſperandum de ſua ſalute, his vel ſimilibus.

1.Pet.4.

Pſal.5. Chariſſime N. magna fiducia ad Deum accede & dic. *Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam.* Si tu clementiſſime Domine Petrum iuſſiſti non ſolum ſeptiès, ſed ſeptuagiès ſeptiès peccatori ignoſcere, nonnè hinc cer tus eſſe poſſum, quod mihi peccata, quæ

ad-

admiſi, quantumùis multa, & enormia condonabis?

O' Deus meus, ſpes mea nonnè iniuriã irrogarem tuæ infinitæ miſericordiæ, ſi de illa diffiderem?

Adiuua me bone Ieſu, vt fiat miſericordia tua ſuper me, quemadmodùm ſperaui in te.

Ecce Dominus auxiliator meus, quis eſt, qui condemnet me?

In te clementiſſime Domine ſpem omnem meæ ſalutis collocaui, & ideò non eſt de quo dubitem. *Ecce Deus ſaluator meus, fiducialitèr agam, & non timebo.* Cant. Iſa. 12. *Iſai.*

Scio pijſſime Deus innumera mea, & grauia peccata te ad iram, & vindictam prouocare, ſed ſcio etiam quod, *cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* Habac. 3. Scio quod in ira tua miſericordias tuas continere neſcis, & ideo, *Saluum me fac in miſericordia tua.* *Habacuc.* *Pſal. 30.*

In memoriam redige veriſſimum illud Dauid oraculum, ſcilicet quod tu benigniſſime Domine, *Saluos facis ſperantes in te.* En mi frater clauis, qua Paradiſi ianuam aperire potes, vera ſcilicet, & fir- *Pſal. 16.*

ma fi-

ma fiducia conſequendę ſalutis ab infinita Dei bonitate, & miſericordia.

Iuuabit, aliquos Pſalmos, qui de fiducia in Deo habenda ſæpè mentionem faciunt, deuotè recitare, & præcipuè Pſalmos. *Miſericordias Domini in æternum cantabo* &c. & *In te Domine ſperaui non confundar in æternum &c.* Quos in extremo ſuæ vitæ canebat S. Carilephus Presb. & Monac. apud Lippo. 1. Iulij. Actu firmæ ſpei elicito, eluſit Iuſtinus Philoſoph. Martyr Præfecti Ruſtici impias ſuaſiones, vt videre eſt in Lippo. die 12. Iunij.

Pſal. 88. *Pſal. 70.*

Apud Lippo. 1. Iulij. Idem 12. Iunij.

Plura pro excitanda ſpe attuli cap. precedenti adnot. 19. ex quibus aliqua compendioſè deſumi poterunt, quæ hic etiàm inſeruient, prout prudentia Sacerdotis dictabit.

ADNOTATIO X.

Excitandi ſunt actus charitatis in moriente per breues aſpirationes.

CVm homo in articulo mortis conſtitutus conari debeat, vt præceptum de diligendo Deo adimpleat, (an vero teneatur ſub mortali, dicam infra lib. 2.

lib. 2. cap. 6.) pro viribus incumbendum erit Sacerdoti adiuuanti morientem, vt ab eo ferventes charitatis actus eliciātur, quod per modum orationis iaculatoriæ fieri poterit.

1 Da quæſo Domine, vt antequam extremum halitum emittam, te diligam adeò perfecto amore, vt nullus terrenus amor cum illo poſſit conferri.

2 O' vtinam Deus meus, qui es infinitè amabilis, te amem toto corde.

3 Ah precor fac, vt anima mea mereatur tibi coniungi in gloria, vt perfectior, & perennis ſit erga te amor meus.

4 O' ſumma bonitas diuina, quæ mereris infinito amore, & ab infinitis amantibus, ſi tot eſſent, diligi, fac vt inter eos ſim, qui ardentiſſimè te diligunt.

5 O' Deus dilectæ animæ meę totus mihi es amabilis, quià totum eſt infinitè bonum, quidquid eſt in te. Aufer à me omne genus culpæ, & imperfectionis, vt totus ſim tibi amabilis.

6 O' Deus amabiliſſime ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis, vt nouo feruore perfectiſsimè impleam præceptū amoris diligendo te, ſicut tu vis diligi.

7. O'

7 O' Sancte Spiritus, qui es ſubſtantialis amor, à quo omnis amor procedit, accende in corde meo ignem illius diuini amoris, qui in me ardere debet.

8 O' fœlix, qui in actuali amore Dei vitã mortalem terminat, ſicuti euenit Conrado 1. Ordinis S. Dominici, qui ſemper, dum infirmitas mortis illum tenuit, in ore habebat hæc verba. *Dilectus meus mihi, & ego illi, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ.* In Cron. 1. parte lib. 2. cap. 19.

Cant. 2. In Cron. S. Francíſci.

Plura pro excitandis actibus charitatis adduxi cap. 3. adnot. 20. quorum aliqua breuiora hic etiam inſeruient.

ADNOTATIO XI.

Suggerenda breuitèr ſunt moribundo aliqua, quæ eum diuino beneplacito ſemper magis conformem reddant.

CONformitas humanæ voluntatis cũ diuina eſt breuiſsima via, qua homo ad magnam perfectionem peruenit. quarè etſi cuilibet toto vitę decurſu inuigilandum eſt, vt in diuino beneplacito adimplendo ſe exerceat, imminente tamẽ morte

morte, hoc eo maiori ſtudio prçſtandum, quo modicum tempus ſupereſt, vt hac ratione, vel quod fortè omiſſum fuit in ante acta vita, tunc reſarciatur, vel quod certum eſt, ad maius gratiæ augmentum moribundus diſponatur. Igitur Sacerdos adſtans morienti, illum ad iterandos actus reſignationis, hæc, quæ ſubnectam, vel ſimilia ſuggerendo, ſtudeat inducere.

Dominus Deus meus ecce ego ſeruus tuus, qui pluribus iuribus tuus ſum, etiam ſpontaneo titulo tuus eſſe volo, meam quæſo voluntatem tuæ non diſſociando nexu coniunge.

Sicut lutum in manu figuli, ita ego in manu tua potentiſsime, & amabiliſsime Deus.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, ad tuum diuinum beneplacitũ adimplendum in omnibus.

Fiat voluntas tua in me, Deus meus, amor meus.

O' dulciſsime Ieſu, ſi tuus cibus fuit, vt faceres voluntatem patris tui, etiàm mea reſtauratio, mea conſolatio ſit eandẽ Patris æterni voluntatem ſequi.

Sentio Domine reluctantem ſenſum

meum, & repugnantem illi volũtati, quã tibi iam commiſi, ſed comprimatur omninò ſenſus meus, vbi agitur de tua gloria; amabiliſsime Deus præualeat ſemper diuinum tuum beneplacitum.

Adiuua me Deus meus, ſpes mea, vt nõ priuer eo ingenti bono, quo ditantur, qui tuæ voluntati firmitèr, & completè adhærent.

Quàm optima ſit diſpoſitio, fœliciter migrandi ad Deum, actualis conformitas voluntatis noſtræ cum diuino beneplacito, indicauit Beatiſsima Virgo Dei mater, quæ morti proxima iterauit illa verba, *Fiat mihi Domine ſecundum verbum tuum*, vt ex Metaphraſt. adnotaui tom. 2. de Eminentia B. V. cap. 8. q. 4. Præclarum etiàm exemplum prædictæ conformitatis in mortis articulo reliquit S. Fulgentius Epiſcopus Ruſpenſis, quando medicis perſuadentibus, vt balnearibus lauacris vteretur, reſpondit, *Numquid balneæ facere poterunt, ne mortalis homo expleto vitæ ſuæ tempore moriatur?* Sic ſe totum diuinę voluntati fideliter tradens fœliciter in Domino obijt.

Metaphr.

Videri poſſunt quæ diximus cap. 3. adnot. 5.

Digitized by Google

not.5.verſus finem,& adnot. 15.in fine, vbi aliqua in breuem epilogum à pruden ti Sacerdote redacta, apta erunt ad ſuadẽdum morienti reſignationem in Dei voluntate.

ADNOTATIO XII.

Promouendus eſt moribundus per breuia effata ad actus contritionis.

NOnnulla per modum colloquij cum Deo ad contritionis actus eliciendos ſatis idonea propoſui cap. pręcedent. adnot. 21. quæ paucioribus verbis, pro vt prudentia Sacerdotis dictauerit, perſtringi poterunt, vt magis accommodẽtur diſpoſitioni morientium.

Verùm, vt in prõptu breuia aliqua ſint, quibus moriens ad exercitium contritionis inducatur; hæc ſubnecto, quæ à Sacerdote ſic proponẽda erunt, ſicut & alię aſpirationes, vt moribundus ipſe vel voce, ſi poteſt, vel ſaltèm corde proſequatur.

Vtinàm à vanitate mundi non fuiſſem totiès ſeductus. O vtinàm tè Deum meum creatorem, redemptorem meum totiès nõ

offendiſſem: ſed ſecundum magnam miſericordiam tuam ignoſce mihi magno peccatori.

Ah me miſerum, ah me infelicem, qui Deum patrem mei amantiſſimum, à quo innumeris fui affectus beneficijs, totiès peccando contempſi; ſed ò bone Deus ſicut magna hucuſq; fuit miſericordia tua ſuper me, ita nunc illam multiplica delēdo iniquitatem meam.

Abominor quidèm ſcelera, quæ patraui, ſed maiori odio vellem illa deteſtari. Suppleat quæſo Domine miſericordia tua, quod ad perfectam pœnitentiam mihi deeſt.

O Ieſu amabiliſſime pœnitet me offenſę contra te admiſſę. Ah precor vt ſanguine tuo omnem maculam ſcelerum meorum eluas.

O Deus omnipotens, egonè vilis creatura peccando tibi iniuriam irrogare auſus ſum? ſed tu qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas, parce mihi miſero peccatori nūc pœnitenti.

Benigniſſime redemptor condona mihi omnia peccata mea, quæ mihi valdè diſpli-

diſplicent, quia illis ego ingratiſſimus maieſtatem tuam offendi.

O' Deus Pater miſericordiarum, qui me ad pœnitentiam adeò longanimitèr expectaſti, tali beneficio hoc adijce, vt omnium ſcelerũ meorum, de quibus nunc doleo, veniam tribuas.

Fateor Domine pro demeritis meis dignum eſſe, quem ad imum inferni barathrum detrudas: ſed quoniàm infinita bonitas tua elucet in ſaluandis profligatiſſimis quibuſcunquè peccatoribus ad te cõfugientibus, ſalua me ad tuam miſericordiam recurrentem.

Deploro vitam meam ſceleribus tranſactam; doleo me nimiùm impœnitentem perſeueraſſe; ſed cum pœnitudo vera, licet ſera, tibi pijſſime Domine ſit accepta, te rogo, atquè obſecro, vt talem mihi nunc gratiam largiaris, qua vera pœnitudine nunc cor meum compungatur.

ADNOTATIO XIII.

Stimulandus eſt infirmus, vt magno deuotionis affectu inuocet nomen Ieſu.

INter alia media, quibus à Deo auxilium, ſolamen, & ſalutem conſequi poſſumus, eſt deuota inuocatio nominis Ieſu; Per hanc enim nominis Ieſu inuocationem honor maximus defertur filio Dei, cui tale fauſtum felix, & glorioſum nomen Ieſu, qnod Saluatorem ſonat, iuſſu æterni Patris fuit impoſitum. Quarè cum moribundus doloribus ſæpè tangatur, mæroribus laſſetur, futurorum expectatione ſit pauidus, præſentium expoliatione excrucietur, dæmonum tentationibus agitetur; plurimùm confortabitur, plurimùm lætificabitur, in magnam fiduciam erigetur, dæmones perterrefaciet, & facilè à Domino ſalutē hauriet, ſi ſæpiùs ſanctiſſimum nomen Ieſu deuoto affectu ore, vel corde inuocet.

Nomen Ieſu in Sacris paginis per oleū ſignificatur. *Oleum effuſum nomen tuum.* (Cant. 1.) Hoc eſt nomen, Ieſus, vt interpretatur S. Bernardus Serm. 15. in Cant. Sicut autem

olei

olei natura eſt adeò lenis, & ſuauis, vt mare illo aſperſum, etiamſi ſęuum, & furens ſit, placidum & tranquillum reddatur, & claritas quędam in eo appareat, vti tradit Plin. lib. 1. cap. 103. Ita & nomen Ieſu deuotè prolatum morientem anxietatibus turbatum, tentationibus fluctuãtem, paſſionibus obnubilatum mulcet, tranquillat, & ſeruat. Plin.

Igitùr ſacerdos ad has, vel ſimiles aſpirationes eum alliciat.

O' ſuauiſſimum nomen Ieſu effunde in me cœleſtem virtutem, qua infirma, debilis, & miſera anima mea confortata, ab angoribus, qui illam validè premunt, liberetur, & copioſæ ſaluationis fructus percipiat.

O' dulciſſimum nomẽ Ieſu tibi Chriſto datum, vt illo tua voluntas ardentiſſima ſaluandi nos omnibus innoteſceret. Imple quæſo amabiliſſime Ieſu nunc in me tuam hanc voluntatem, vt qui verè es Ieſus, mihi ſis Ieſus, & Saluator.

Gaude anima mea ob eximij huius nominis excellentiam, & cum S. Propheta dic. *Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Ieſu meo.* Habac. 3.

O' ſacroſanctum nomen Ieſu te veneror. Vtinàm meo cordi inſculptum eſſes; ſic enim haberem meum firmiſſimum in periculis omnibus ſubſidium potentiſsimùm, aduersùs omnes dæmonum tentationes telum certiſsimum, æternæ gloriꝗ pignus.

O' quàm par eſt, vt in hoc ſanctiſsimo nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Ego quoquè quam poſſum, nunc tibi reuerentiam exhibeo.

O' admirandum nomen Ieſu, ſicut tu es compendium omnium, quæ in Chriſto continentur, excellentiarum, ita ſis mihi optimus titulus, ob quem ego nunc implorans veniam meorum peccatorum, & ſubleuamē in his afflictionibus, exaudiar.

D. Bern. Quantum conſolationis ex nomine Ieſu trahebat S. Bernard. illis verbis indicauit. *O' anima mea habes electuarium recōditum in vaſculo nominis huius, quod eſt Ieſus*. Quarè chariſsime ſi delicias cæleſtes prælibare cupis, ſæpiùs hoc iucundiſſimum nomen Ieſu vel ore, vel corde perſolue.

Chariſsime inuocemus nomen vitæ, no-

nomen ſanctiſsimum Ieſu, quia vitam cõſequemur,ſalutem à Domino hauriemus. *Ieſus mel in ore, in aure melos, in corde iubilum*. S. Bernard.in ſerm. 15. in Cant. *D. Bernar.*

Mi frater, ſi lenimen in his tuis anguſtijs deſideras,repete nomen Ieſu,nomen dulce, nomen delectabile,nomen confortans peccatorem, & nomen beatæ ſpei. Aug.lib.de conſiderat.cordis. *D. Auguſt.*

ADNOTATIO XIV.

Excitanda ſunt deſideria cæleſtis gloriæ in moribundo.

Conſideratio ineffabilis illius beatitatis, quæ eſt paratum præmium legitimè in hac vita certantibus, magnam vim habet ad dolores & afflictiones quaſcunque libenter perferendas, & ad exhilarandum animum mæroribus oppreſſum. Vnde Athanaſ.in vita D. Antonij Abbatis refert eum in aduerſis etiam rebus lætitiam admirandam vultu prætuliſſe, eo quod ab attenta contemplatione cœleſtis gloriæ non reſiliret. Prætereà dum quis anhelat ad felicem cœli patriam, etiam ad amandum Deum tanti *Athan.*

boni auctorem, & largitorem extimulatur, & valdè diſponitur ad facilè hanc mortalem vitam relinquendam. Prætereà æquum eſt, vt moribundus accendatur deſiderio videndi Deum in cœleſti Patria, vt liberetur ab illa nota, quam ſubeunt ex hac vita migrantes ſine perfecto deſiderio videndi Deum, & conſequendi beatitudinem, qui, vt Bloſius in monili ſpirituali cap. 13. refert ex reuelat. S. Brigidæ, peculiari quodam in Purgatorio ſupplicio afficiuntur.

Bloſ.

Quarè, ſi moribũdus inducatur ad aſpirandum in cœlum, magna in parte mitigabuntur illius angores, facilè promouebitur in actus amoris, facilè ſuperabit difficultatem, quam in ſubeunda morte ob naturalem appetitum huius vitæ experiuntur communiter homines.

His ergò, vel ſimilibus Sacerdos morientis alleuator eum ad deſiderandam cœleſtem gloriam inuitabit.

Erige oculos mentis Chariſsime ad Hieruſalem illam cœleſtem patriam tuã, in qua eſt perfecta ſalus, perfecta, & ſempiterna vita, perfectus honor, perfecta ſapientia, perfecta pax, perfecta ſecuri-

tas,perfectã deſideriorum noſtrorum ſatietas, perfecta, & conſummata omnium bonorum poſſeſſio. O'quale ſolatium ſpes breui ad eã perueniendi tibi afferre debet.

Conſidera mi frater,quot Angelorum myriades,quot Sanctorum, & iuſtorum cætus te in cœleſti aula expectant,gratulaturi tibi,& Deũ laudaturi,qui te de præſentibus periculis liberauit. Ad hanc ergo fęlicitaté,rerũ huius mũdi oblitus,anhela.

Si exiguus gloriæ Chriſti radius, quo fuit in monte Petrus circumfuſus,eum tali voluptate,& iubilo repleuit, vt omniũ oblitus dixerit. *Bonum eſt nos hic eſſe*. Math.17.
Quali quæſo voluptate, & iubilo completæ gloriæ poſſeſſores in cœlo redundare credendum eſt? Quarè mi N. non te debet pigere commoda, & oblectaméta quæcumque huius mundi relinquere, vt tali gloria æternùm fruaris.

Dic cũ S.Propheta. *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi,in domum Dñi ibimus*. Pſal. 121.
O' felices amplexus,quibus te excipiét illuſtres illi ciues in regia Dei aula. O quot voces exultationis,&iubilationis audies.

Adeò ingens, & ſublimis eſt gloria cęliſtes, vt nec verbis explicari, nec mentis

cogi-

cogitationē comprehendi poſſit,ſicuti docet D. Paulus. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcēdit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* Quibus Apoſtoli verbis quamplurimi martyres ad perferenda conſtantèr tormenta animati fuerunt, quod intelligens Adrianus ad fidem cōuerſus acerbiſſimū & ipſe martyriū perpeſſus eſt. Par ergò eſt mi N. vt tu quaſcūq; pręſentes infirmitatis moleſtias pro tanta gloria libētèr ſuſtineas.

2. *Ad Cor.* 11.

Apud Lippo. 8 Sept.

O' Paradiſum, ò paradiſum ineffabilium deliciarum. Chariſſime affectum ad illum dirige, & illius deſiderio inflammatus dic. O' quando veniam, vt habitem in adeò felici, & fortunato loco.

O' vita beata, in qua delectatio ęquè æterna eſt, atq; ipſa vita. O' quàm deſiderabilis nobis eſſe debet. Quarè tu quoq; mi N. ad illam aſpirās dic cum Apoſtolo. *Deſiderium habeo diſſolui, et eſſe cū Chriſto.*

Ad Phil. 1

O' Deus meus animæ meæ ſponſe da mihi ipſum in gloria, vt videam quod lùmine fideï credo, vt ſecurè poſſideā quod ſpero, vt cum pleno iubilo fruar te; quem amo vt ſummum bonum.

Quantum in extremo vitæ proſit attē-

ta

ta conſideratione contemplari cœleſtem gloriam, multi viri Sancti indicarunt. S. Remigius Epiſcopus, & S. Vuolfenſis Abbas morti proximi clamabant. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Frater Corradus ſecundus ordinis S. Dominici moriturus oculos figens in Crucifixũ ait, *Educ de carcere animam meam, vt confiteatur nomini tuo Domine*. Et eodem modo clamãs Frater Didacus obijt. Frater Romeus eiuſdem Ordinis S. Dominici cõſolatione afficiebatur iterans verba illa. *Cum dederit dilectis ſuis ſomnũ, ecce hæreditas Domini*.

ADNOTATIO XV.

Animandus eſt moriens, vt corporalem mortem libenter ſubeat.

LIcet viris perfectis vel nullũ, vel exiguum mœrorem afferre ſoleat mors, vt innuimus cap. 1. adnot. 8. in fine; nihilominus, vt etiam ibi diximus, naturalitèr mors valdè moleſta eſt homini, tum ob alterationem humorum, quæ illam ſolet præcedere, tùm quia ſeparat animam à corpore, cum quo anima arctiſſimo, & veteri amicitiæ vinculo fuit coniuncta;

vnde

1\. Reg. 15. vnde Rex ille querebundus morti proximus exclamauit, *Siccine ſeparas amara mors?* Augetur etiam ſępè huiuſmodi triſtitia, & mæror calliditate, & vafritie Cacodæmonis, qui animaduertens morientem vitæ, & rebus huius mundi fuiſſe addictum, hæc vel ſimilia illi ſuggeret. Fieri ne poteſt, vt tu nunc vitam derelinquere cogaris? ergo nè ſic repente te præcipipitat mors? ergo nè ab hoc mundo perpetuò exulabis? ò te miſerum, & infelicem, qui nunc diuellendus es à parentibus, fratribus, & amicis, quos tantoperè diligis. His, vel alijs ſimilibus tartarei hoſtis molitionibus in maiorem angorē adducitur non rarò homo ob imminentē mortem. Quarè operæ pretium erit, vt Sacerdos morientis adiutor illum ſoletur, & ad mortem corporalem libēti animo oppetendam hortetur. His ergò, vel ſimilibus eum alloqui poterit.

Dilectiſsime frater magnum tibi debet eſſe ſolamen in mentem reuocare, quod diuina prouidentia annos vitæ, & horas vnius cuiuſquè ſtatuit. *Conſtituiſti* (inquit Iob. 14.) *terminos eius, qui præteriri non poterunt*. Cum igitur ſit neceſſarium mori,

mori; nullo ſanè tempore id meliùs contingere poteſt, quàm eo, quod Deus conſtituit.

Memor eſto Chariſſime humilitatis, & obedientiæ Christi, qui *Humiliauit ſemetipſum vſquè ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltauit illum*. Numquid ſeruus eſt maior domino ſuo? *Oportuit ipſum pati, & reſurgere, & ita intrare in gloriam ſuam*. Tu ergò pretioſiorem facies animam, vel vitam tuam? conſolare potius, & omni mœrore abiecto reſume animum, quòd triumphator aſcendes cum Chriſto in cœlum. *Ad Phil. 2.* *Luc. 24.*

Mi frater, ſi cum Chriſto ad mortem te humiliaueris, cum ipſo poſt mortē exaltaberis.

Noli Chariſſime triſtari de morte. Quid mortem eſſe putas? non eſt mors, quam putas mortem, ſed tranſitus de morte ad vitam.

Lætare N. quòd vitam ærumnoſam, & breuem in æternam commutabis; quòd ab Aegypto in terram promiſſionis, ab exilio in patriam commeabis.

Mi N. Si dolere libet, doleas quod differtur hic felix tranſitus, & ad Deum

conuer-

conuerſus fiducialitèr dic. Iube me quamprimùm venire ad te.

2. Ad Tim. 4. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, non ſolum autem mihi, ſed & ijs qui diligunt aduentum eius*, dicit Apoſtolus. Perpende *ijs qui diligunt aduentum eius*, non autem qui inuiti expectant aduẽtum eius. Quare ſi coronari appetis, dilige Chariſsime aduentum Chriſti, qui tibi mitis, & feſtiuus apparebit.

Exulta Chariſſime, quòd ſi mundum, qui eſt vallis lachrymarum, deſeris, Paradiſum, vbi ſunt gaudia ſempiterna, aſſequeris: ſi diuelleris à conſanguineis, & amicis, iucundiſſima innumerabilium Angelorum, Sanctorum, & iuſtorum conuerſatione frueris.

Contriſtentur N. qui ſpem non habẽt, nos autèm in eum ſperamus, qui eſt reſurrectio, & vita; qui mortuus eſt, vt mortem aculeo, & armis expoliaret: iam amica mors eſt, quæ neminem in miſericordia Dei ſperantem deuorat, ſed quaſi cæte Ionam demerſum defert ad littora. O felix mors, mediante quà ad fortunata Paradiſi littora breui traducendus es.

Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant

& fiant nouiſsima mea horum ſimilia.

B. Laurentius Iuſtinianus morti proximus inter alia, quæ de mortis vtilitate dixit, hoc fuit. *Chriſtus pro nobis mortuus eſt primitiæ dormientium. Pudeat nos mortem timere, cum Dominus noſter propter nos mori voluerit.* Apud Lip. to. 8. Ian.

Nonnulla cap. 3. adnotat. 13. quæ ad mortem corporalem libentèr ſubeundam faciunt, propoſui, quæ, pro vt prudentia Sacerdotis iudicabit, ad breuitatem redacta aptari poterunt.

ADNOTATIO XVI.

Sacerdos quandoquè ſuadeat moribundo, breuitèr tamen, vt diuinam opem imploret.

SI æquum eſt, vt homo in periculis, in anguſtijs, in tentationibus auxilium à Deo poſtulet, tùm vt liberationem impetret; tùm vt oratione cultum, & honorem Deo exhibeat, ad hoc enim quilibet afflictus allicitur diuino illo inuitamento. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Sanè moribundus quò maiori in diſcrimine verſatur, quò Pſal. 49.

grauio-

grauioribus anxietatibus premitur, quò vehementioribus impugnatur tentationibus, eò feruentiori affectu ad diuinam opem confugere debet.

Nec alicui dubium eſſe poteſt de ſumma promptitudine, qua Deus precibus morientis annuit; cum illius firmiſsimum ſit argumentum euentus fortunati latronis, qui morti proximus, ſtatìm ac Chri-
Luc. 23. ſtum rogauit his paucis verbis, *Memento mei cum veneris in regnum tuum*, audire meruit ab ipſo Redemptore, *Hodiè mecum eris in Paradiſo*.

Quarè Sacerdos auxiliator moribundi ei inculcare debet, vt intimo cordis Dei adiutorium efflagitet, quod commodè præſtabit, ſi breues aſpirationes, vel ex Pſalmis Dauid opportunos verſiculos ſuggeret. v. g.

O clementiſsime Domine iam iam animam efflaturus ſum, ſed non ſine periculo, ne in manus hoſtium infernalium irreuocabilitèr incidat. Suſcipe tu eam in manus tuas, ne opus tuum irreparabiliter
Pſal. 30. pereat. *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*, in eas (inquam) manus, quæ pro me fuerunt cruci affixæ.

Ah

Ah bone Ieſu propter mortem crucis, quam pro me pertuliſti, te quantum poſſum deprecor, vt gratiam mihi largiaris, qua benè moriar.

Vide Domine dolores amariſsimos, quibus angor; arctiſſimos laqueos, à quibus proprijs viribus me expedire non valeo. *Ad adiuuandum, ergo, me feſtina.* *Pſal.69.*

O' Pater miſericordiſſime dic queſo animæ meæ, ſalus tua ſum.

Ecce Domine ad illud momentum, à quo pendet æternitas, redactus ſum: eſto mihi nunc adiutor in opportunitate adeò magna.

Ah Ieſu benigne fac, ne perenni cremer igne.

O' Rex cœli, hæc anima, quæ in proximo eſt, vt egrediatur ab hoc corpore, tua eſt, quia illam condidiſti; tua eſt, quoniã redemiſti; ſit precor etiam tua per gratiã ſanctificata, vt in æternum tua permaneat.

O' quales nunc anguſtiæ me occupant: ò quales mortis angores infelicem, & miſeram animam meam affligunt: ſubueni mihi pijſſime Domine propter immenſam bonitatem tuam.

ADNOTATIO XVII.

In memoriam moribūdi reuocandum eſt, vt deuoto affectu ad B. V. patrocinium confugiat, & aliorum Sanctorum auxilium poſtulet.

ETſi B. Virgo tali miſericordiæ affectu in nos fertur, vt etiam nō implorata à nobis, pro nobis imploret, de quo argumento egi to. 2. de Eminentia B. V. cap. 11. quæſt. 5. nihilominùs certum eſt, quòd quò maiori deuotione ab aliquo exorabitur, eò vberiora gratiæ auxilia illi impetrabit. Quarè cum moribundus maximè illis egeat, iterato & feruenti precatu ad eiuſdem Virginis interceſſionē confugere debet; quod ſi faciet, firmitèr ſperare poterit, vt hoſtes tartarei profligentur quantumcunquè in eo vitæ extremo validiori conatu furētes; non ſolùm enim nequiſſimi illi ſpiritus B. Virginem, à qua victi, & debellati fuerunt, pertimeſcunt, ſed etiam quemcunquè deuotum illius cultorem. Quod in illa Prophetia Balaa-
Num 24. mi indicatum fuiſſe reor. *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga Iſrael, & percu-*

tiet duces Moab, Et paulò poſt dicitur, *Iſrael verò fortitèr aget*. Vbi poſtquam B. Virgo, quæ per ſtellam, & virgam deſignatur, victoriam reportatura de principibus Moab, ſcilicet de principibus dæmonum, prædicitur; additur, Iſrael fortitèr acturus, hoc eſt, quilibet fidelis pius B. Virgine ipſa patrocinante ita roborabitur, vt aduersùs infernales hoſtes præualeat.

Quarè Sacerdos opitulator morienti illi aliqua opportuna, & breuia aliquandò ſuggerere debet, vt inducat ad B. Virginis patrocinium, & auxilium poſtulandum. nonnulla hic ſubnectam.

O'Virgo clementiſſima, peccatorum fidelis aduocata, impetra mihi ab vnigenito filio tuo omnium delictorum meorum veniam.

O'cœli Regina potentiſſima, miſerorũ patrocinatrix, ſuccurre mihi miſero tua efficaci interpellatione apud filium tuum.

Sub tuum præſidium confugio S. Dei genitrix, meas preces in his meis extremis anguſtijs, & periculis ne deſpicias.

O'Virgo beatiſſima, noſtræ ſalutis cauſa, fac vt te intercedente ſalutem conſequar æternam.

cogitationē comprehendi poſſit, ſicuti docet D. Paulus. *Oculus non vidit, nec auris*
2. Ad Cor. 11. *audiuit, nec in cor hominis aſcēdit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum*. Quibus Apoſtoli verbis quamplurimi martyres ad perferenda conſtantèr tormenta animati fuerunt, quod intelligens Adrianus ad fidem cōuerſus acerbiſſimū & ipſe
Apud Lippo. 8 Sept. martyriū perpeſſus eſt. Par ergò eſt mi N. vt tu quaſcūq; prçſentes infirmitatis moleſtias pro tanta gloria libètèr ſuſtineas.

O' Paradiſum, ò paradiſum ineffabilium deliciarum. Chariſſime affectum ad illum dirige, & illius deſiderio inflammatus dic. O' quando veniam, vt habitem in adeò felici, & fortunato loco.

O' vita beata, in qua delectatio ęquè æterna eſt, atq; ipſa vita. O' quàm deſiderabilis nobis eſſe debet. Quarè tu quoq; mi N. ad illam aſpirās dic cum Apoſtolo.
Ad Phil. 1 *Deſiderium habeo diſſolui, et eſſe cū Chriſto*.

O' Deus meus animæ meæ ſponſe da mihi ipſum in gloria, vt videam quod lumine fidei credo, vt ſecurè poſſideā quod ſpero, vt cum pleno iubilo fruar te, quem amo vt ſummum bonum.

Quantum in extremo vitæ proſit attē-

ta

ta conſideratione contemplari cœleſtem gloriam, multi viri Sancti indicarunt. S. Remigius Epiſcopus, & S. Vuolfenſis Abbas morti proximi clamabant: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Frater Corradus ſecundus ordinis S. Dominici moriturus oculos figens in Crucifixũ ait, *Educ de carcere animam meam, vt confiteatur nomini tuo Domine*. Et eodem modo clamãs Frater Didacus obijt. Frater Romeus eiuſdem Ordinis S. Dominici cõſolatione afficiebatur iterans verba illa. *Cum dederit dilectis ſuis ſomnũ, ecce hæreditas Domini*.

ADNOTATIO XV.

Animandus eſt moriens, vt corporalem mortem libenter ſubeat.

LIcet viris perfectis vel nullũ, vel exiguum mœrorem afferre ſoleat mors, vt innuimus cap. 1. adnot. 8. in fine; nihilominus, vt etiam ibi diximus, naturalitèr mors valdè moleſta eſt homini, tum ob alterationem humorum, quæ illam ſolet præcedere, tùm quia ſeparat animam à corpore, cum quo anima arctiſſimo, & veteri amicitiæ vinculo fuit coniuncta; vnde

1.Reg.15. vnde Rex ille querebundus morti proximus exclamauit, *Siccine ſeparas amara mors?* Augetur etiam ſępè huiuſmodi triſtitia, & mæror calliditate, & vaſtitie Cacodæmonis, qui animaduertens morientem vitæ, & rebus huius mundi fuiſſe addictum, hæc vel ſimilia illi ſuggeret. Fieri ne poteſt, vt tu nunc vitam derelinquere cogaris? ergo nè ſic repente te præcipitat mors? ergo nè ab hoc mundo perpetuò exulabis? ò te miſerum, & infelicem, qui nunc diuellendus es à parentibus, fratribus, & amicis, quos tantoperè diligis. His, vel alijs ſimilibus tartarei hoſtis molitionibus in maiorem angorē adducitur non rarò homo ob imminentē mortem. Quarè operæ pretium erit, vt Sacerdos morientis adiutor illum ſoletur, & ad mortem corporalem libēti animo oppetendam hortetur. His ergò, vel ſimilibus eum alloqui poterit.

Dilectiſsime frater magnum tibi debet eſſe ſolamen in mentem reuocare, quod diuina prouidentia annos vitæ, & horas vnius cuiuſquè ſtatuit. *Conſtituiſti* (inquit Iob. 14.) *terminos eius, qui præteriri non poterunt*. Cum igitur ſit neceſſarium mori,

mori; nullo ſanè tempore id meliùs contingere poteſt, quàm eo, quod Deus conſtituit.

Memor eſto Chariſſime humilitatis, & obedientiæ Chriſti, qui *Humiliauit ſemetipſum vſquè ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltauit illum*. Numquid ſeruus eſt maior domino ſuo? *Oportuit ipſum pati, & reſurgere, & ita intrare in gloriam ſuam*. Tu ergò pretioſiorem facies animam, vel vitam tuam? conſolare potius, & omni mœrore abiecto reſume animum, quòd triumphator aſcendes cum Chriſto in cœlum. Ad Phil. 2. Luc. 24.

Mi frater, ſi cum Chriſto ad mortem te humiliaueris, cum ipſo poſt mortē exaltaberis.

Noli Chariſſime triſtari de morte. Quid mortem eſſe putas? non eſt mors, quam putas mortem, ſed tranſitus de morte ad vitam.

Lætare N. quòd vitam ærumnoſam, & breuem in æternam commutabis; quòd ab Aegypto in terram promiſſionis, ab exilio in patriam commeabis.

Mi N. Si dolere libet, doleas quod differtur hic felix tranſitus, & ad Deum conuer-

conuerſus fiducialitèr dic. Iube me quamprimùm venire ad te.

2. Ad Tim. 4. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, non ſolum autem mihi, ſed & ijs qui diligunt aduentum eius*, dicit Apoſtolus. Perpende *ijs qui diligunt aduentum eius*, non autem qui inuiti expectant aduẽtum eius. Quare ſi coronari appetis, dilige Chariſsime aduentum Chriſti, qui tibi mitis, & feſtiuus apparebit.

Exulta Chariſſime, quòd ſi mundum, qui eſt vallis lachrymarum, deſeris, Paradiſum, vbi ſunt gaudia ſempiterna, aſſequeris: ſi diuelleris à conſanguineis, & amicis, iucundiſſima innumerabilium Angelorum, Sanctorum, & iuſtorum conuerſatione frueris.

Contriſtentur N. qui ſpem non habẽt, nos autèm in eum ſperamus, qui eſt reſurrectio, & vita; qui mortuus eſt, vt mortem aculeo, & armis expoliaret: iam amica mors eſt, quæ neminem in miſericordia Dei ſperantem deuorat, ſed quaſi cæte Ionam demerſum defert ad littora. O felix mors, mediante qua ad fortunata Paradiſi littora breui traducendus es.

Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant

& fiant nouiſsima mea horum ſimilia.

B. Laurentius Iuſtinianus morti proximus inter alia, quæ de mortis vtilitate dixit, hoc fuit. *Chriſtus pro nobis mortuus eſt primitiæ dormientium. Pudeat nos mortem timere, cum Dominus noſter propter nos mori voluerit.* *Apud Lip. to. 8. Ian.*

Nonnulla cap. 3. adnotat. 13. quæ ad mortem corporalem libentèr ſubeundam faciunt, propoſui, quæ, pro vt prudentia Sacerdotis iudicabit, ad breuitatem redacta aptari poterunt.

ADNOTATIO XVI.

Sacerdos quandoquè ſuadeat moribundo, breuitèr tamen, vt diuinam opem imploret.

SI æquum eſt, vt homo in periculis, in anguſtijs, in tentationibus auxilium à Deo poſtulet, tùm vt liberationem impetret; tùm vt oratione cultum, & honorem Deo exhibeat, ad hoc enim quilibet afflictus allicitur diuino illo inuitamento. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Sanè moribundus quò maiori in diſcrimine verſatur, quò *Pſal. 49.*

grauio-

grauioribus anxietatibus premitur, quò vehementioribus impugnatur tentationibus, eò feruentiori affectu ad diuinam opem confugere debet.

Nec alicui dubium eſſe poteſt de ſumma promptitudine, qua Deus precibus morientis annuit; cum illius firmiſsimum ſit argumentum euentus fortunati latronis, qui morti proximus, ſtatim ac Chri-
Luc.23. ſtum rogauit his paucis verbis, *Memento mei cum veneris in regnum tuum*, audire meruit ab ipſo Redemptore, *Hodiè mecum eris in Paradiſo*.

Quarè Sacerdos auxiliator moribundi ei inculcare debet, vt intimo cordis Dei adiutorium efflagitet, quod commodè præſtabit, ſi breues aſpirationes, vel ex Pſalmis Dauid opportunos verſiculos ſuggeret. v. g.

O'clementiſsime Domine iam iam animam efflaturus ſum, ſed non ſine periculo, ne in manus hoſtium infernalium irreuocabilitèr incidat. Suſcipe tu eam in manus tuas, ne opus tuum irreparabiliter
Pſal.30. pereat. *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*, in eas (inquam) manus, quæ pro me fuerunt cruci affixæ.

Ah

Ah bone Ieſu propter mortem crucis, quam pro me pertuliſti; te quantum poſſum deprecor, vt gratiam mihi largiaris, qua benè moriar.

Vide Domine dolores amariſsimos, quibus angor; arctiſſimos laqueos, à quibus proprijs viribus me expedire non valeo. *Ad adiuuandum, ergo, me feſtina.* *Pſal. 69.*

O' Pater miſericordiſſime dic quæſo animæ meæ, ſalus tua ſum.

Ecce Domine ad illud momentum, à quo pendet æternitas, redactus ſum: eſto mihi nunc adiutor in opportunitate adeò magna.

Ah Ieſu benigne fac, ne perenni cremer igne.

O' Rex cœli, hæc anima, quæ in proximo eſt, vt egrediatur ab hoc corpore, tua eſt, quia illam condidiſti; tua eſt, quoniã redemiſti; ſit precor etiam tua per gratiã ſanctificata, vt in æternum tua permaneat.

O' quales nunc anguſtiæ me occupant: ò quales mortis angores infelicem, & miſeram animam meam affligunt: ſubueni mihi pijſſime Domine propter immenſam bonitatem tuam.

O Deus, animam meam tuæ inſpirationis afflatu ita foue, vt tibi grata è corpore meo egrediatur.

Apud Lippo. 8. Ian. Egregium in mortis agone exemplum, diuinum implorandi auxilium poſteritati tradidit B. Laurentius Iuſtinianus, qui mortem ſibi imminere animaduertēs hoc ſoliloquium protulit. *In ſpiritu humilitatis ſuſcipe me bone Ieſu, vita, & ſalus anima mea, neq; enim in iuſtificationibus meis proſterno preces meas antè faciem tuam, ſed in tuis miſerationibus multis. Illa ego ouis amiſſa ad te paſtorem redeo, vocem tuam noui, non alienorum; peto Domine, vt ad ouile me reducas; pateſnè ſpernere vocem clamantis, & confugientis ad te? Nonnè tu il*

Pſal. 90. *le, qui dixiſti: Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cũ ipſo ſum in tribulatione? Ecce clamo plùs corde quàm ore. Domine ecce tribulatio proxima eſt, & non eſt qui eripiat, niſi tu bone Ieſu.*

Pſal. 3. *Tu autèm Domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.*

Pſal. 21. *Tu autèm Domine ne elongaueris auxilium tuum à me, ad defenſionem meam conſpice.*

Pſal. 24. *Propter nomen tuum Domine propitiabe-*

ris peccato meo, multum eſt enim.

Exaudi Domine vocē deprecationis meæ, dum oro ad te. Pſal. 27.

Miſerere mei Domine, quoniàm tribulor. Pſal. 30.

Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuũ, ſaluum me fac in miſericordia tua, Domine non confundar, quoniam inuocaui te. Ibidem.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circũdedit me, exultatio mea erue me à circumdantibus me. Pſal. 31.

Ne derelinquas me Domine Deus, ne diſceſſeris à me. Pſal. 37.

Intende in adiutorium meum Domine Deus ſalutis meæ. Ibidem.

Intende animæ meæ, & libera eam, propter inimicos meos eripe me. Pſal. 68.

Adiutor meus, & liberator meus es tu, Domine ne moreris. Pſal. 69.

Deus ne elongeris à me, Deus meus in auxilium meum reſpice. Pſal. 70.

ADNOTATIO XVII.

In memoriam moribūdi reuocandum eſt, vt deuoto affectu ad B. V. patrocinium confugiat, & aliorum Sanctorum auxilium poſtulet.

ETſi B. Virgo tali miſericordiæ affectu in nos fertur, vt etiam nō implorata à nobis, pro nobis imploret, de quo argumento egi to.2. de Eminentia B. V. cap.11. quæſt.5. nihilominùs certum eſt, quòd quò maiori deuotione ab aliquo exorabitur, eò vberiora gratiæ auxilia illi impetrabit. Quarè cum moribundus maximè illis egeat, iterato & feruenti precatu ad eiuſdem Virginis interceſſionē confugere debet; quod ſi faciet, firmitèr ſperare poterit, vt hoſtes tartarei profligentur quantumcunquè in eo vitæ extremo validiori conatu furētes; non ſolùm enim nequiſſimi illi ſpiritus B. Virginem, à qua victi, & debellati fuerūt, pertimeſcunt, ſed etiam quemcunquè deuotum illius cultorem. Quod in illa Prophetia Balaami indicatum fuiſſe reor. *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga Iſrael, & percutiet*

Num. 24.

tiet duces Moab, Et paulò poſt dicitur, *Iſrael verò fortitèr ages*. Vbi poſtquam B. Virgo, quæ per ſtellam, & virgam deſignatur, victoriam reportatura de principibus Moab, ſcilicet de principibus dæmonum, prædicitur; additur, Iſrael fortitèr acturus, hoc eſt, quilibet fidelis pius B. Virgine ipſa patrocinante ita roborabitur, vt aduersùs infernales hoſtes præualeat.

Quarè Sacerdos opitulator morienti illi aliqua opportuna, & breuia aliquandò ſuggerere debet, vt inducat ad B. Virginis patrocinium, & auxilium poſtulandùm. nonnulla hic ſubnectam.

O' Virgo clementiſſima, peccatorum fidelis aduocata, impetra mihi ab vnigenito filio tuo omnium delictorum meorum veniam.

O' cœli Regina potentiſſima, miſerorũ patrocinatrix, ſuccurre mihi miſerò tua efficaci interpellatione apud filium tuum.

Sub tuum præſidium confugio S. Dei genitrix, meas preces in his meis extremis anguſtijs, & periculis ne deſpicias.

O' Virgo beatiſſima, noſtræ ſalutis cauſa, fac vt te intercedente ſalutem conſequar æternam.

O' Virgo glorioſiſsima affer mihi talē opem, vt anima mea, quæ breui exibit è corpore, in amplexus vnigeniti filij tui incidat.

O' ſanctiſsima Dei mater, ad te recurrentium præſentaneum ſubleuamen, ſubleua me ad te recurrentem à tot miſerijs, quibus ego opprimor.

O' ſuprema Virgo eſto mihi firmum præſidium in hoc mortis meæ conflictu.

Sub tua protectione, & tutela totus sū Virgo clementiſsima: conuerte ergò ad me illos tuos miſericordes oculos.

O' pijſsima Domina aquam diuinæ gratiæ mihi impetra, qua anima mea, antequam è corpore egrediatur, omni ſcelerum macula abluatur.

O' Virgo paratiſsima adiutrix in opportunitatibus, ecce nunc tempus opportuniſsimum adiuuandi me.

Ad rē faciunt plures verſiculi ex Pſalterio B. V. à D. Bonauentura compilato. referam aliquos.

D. Bonau. *Domina ne in furore Dei ſinas corripi me, neque in ira eius iudicari.*

Domina mea in te ſperaui, de inimicis meis libera me Domina.

Deus

Deus Deus meus reſpiciat in me meritis tuis Virgo ſemper.

Ad te Domina leuaui animam meam, in iudicio Dei tuis precibus non erubeſcam.

Ductrix mea eſto ad patriam, & me cætui Angelorum digneris aggregare.

Exaudi Domina orationem meam, & ne contemnas deprecationem meam; contriſtatus ſum in cogitatione mea, quia iudicia Dei perterruerunt me, tenebræ mortis venerunt ſuper me, & pauor inferni inuaſit me; ego autem in ſolitudine expecto conſolationem tuam, & in cubili meo attendo miſericordiam tuam.

Eripe me de inimicis meis Domina mundi, exurge in occurſum meum regina pietatis.

In exitu animæ meæ de hoc mundo occurre illi Domina, & ſuſcipe eam; conſolare eã vultu ſancto tuo; aſpectus dæmonum non conturbet illam.

Lætatus ſum in te Regina cæli, quia te duce in domum Domini ibimus.

Eripe me Domina ab omni malo, ab hoſte inferni defende me.

Hortandus eſt etiam moribundus, vt ad Sanctorum interceſsionem recurrat, &

præcipuè S. Michaelis, Angeli tutelaris, & eorum Sanctorum, quos peculiari obſequio veneratus eſt. Quarè ad has, vel ſimiles obſecrationes inducendus erit.

Sancte Michael Archãgele ſuſcipe animam meam, vt hæc tecum glorificet Deũ per omnia ſæcula.

Angele Dei, qui ad meam cuſtodiam à Deo deſtinatus fuiſti, ne quæſo me deſeras; fac vt non præualeat contra me hoſtis iniquus.

O' Angele mei cuſtos adiuua me nunc omni tuo conatu: ſiquidèm in tuum honorem cedet, ſi tua protectione ſaluus ero.

Adeſtote mihi vos Sancti N. N. impetrate veſtris precibus, vt anima mea à vitijs purificata, virtutibus illuſtrata, Deo acceptiſsima ab hoc corpore egrediatur.

ADNOTATIO XVIII.

Sacerdos moribundi auxiliator domeſticos, & alios circumſtantes hortetur, vt pro eo vnanimiter orent.

INter alia ſubſidia, quibus moribundus adiuuari poteſt, maximi momenti eſt

con-

conſpiratio multorum pro eo orantium ; vnanimitas enim orantium plurimùm valet ad dæmonem profligandum quantũcumquè contra moribundum ſęuientem: cuius rei typus fuit vnus ille lapis, quo Dauid ex quinque electis ab ipſo iacto gigantem proſtrauit ; quod innuit S. Aug. in Pſal. 143. *Quinque* (inquit) *lapides tulit Dauid contra gigantem, vnum miſit, quia vnitas vincit, plenitudo enim legis eſt charitas*. Et ſi Ieruntini muri populo vociferante illicò corruerunt, ſic etiam à cõcordi voce plurium deprecantium diabolica acies inſtructa contra moribundũ euertetur. *D. Aug.* *Ioſ. 6.*

Præterea plurimùm valet ad ſollicitãdam miſericordiam diuinam plurium conſenſio in precibus: vnde Apoſtoli à periculo imminentis naufragij, ſedatis vẽtis, ad tranquillitatem mare redacto, erepti fuerunt, quia concordes à Domino opem efflagitarunt dicentes, *Domine ſalua nos perimus*. Sic etiam Niniuitæ mutua cohortatione ſe ad pœnitentiam impellentes, placatum, & propitium Deum habuerunt, vt egregiè adnotauit S. Ephrẽ in Ionam ; & D. Paulus optimè noſcens *Matth. 8.* *S. Ephrem.*

mul-

multorum conuenientium orationem eſſe valdè efficacem, ideò ad propagandam Chriſtianam religionem fidelium orationes requirebat: *De cætero*(inquit) *fratres orate pro nobis, vt ſermo Dei currat, & clarificetur, ſicut & apud vos*. Nequit Deus reſiſtere ijs, qui charitatis firmo nexu cóiuncti, illius miſericordiam precibus ſollicitant, quod egregiè perpendit D. Chryſoſt. hom. 3. de incomprehenſibili Dei natura: *Cur quotiès*(inquit) *ad cœleſtem imperatorem placandum ire pergitis, vt eius ira eximatis vniuerſos terræ peccatores, omnes dæmone agitatos à flagello liberetis diaboli, foris ſedetis, non vniuerſi concurritis, & Eccleſiam penetratis, vt Deus veſtram reueritus, & exoſculatus concordiam, & illis pœnam dimittat, & vobis peccata abſoluat?* Perpendenda ſunt illa verba, *Reueritus, & deoſculatus*, quibus innuitur à concordi multorum precatu Deum vinci. Solent enim deuicti victores reuereri, eorumquè manus deoſculari. Et ſanè quis dubitare poterit de illo fideliſſimo Dei promiſſo? *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo*. Si ergò plures

2.Theſ.3.

D.Chryſoſt.

Matth.19.

mutua

mutua charitate concordes in preces fuſi, à Patre cœleſti alicuius morientis ſalutẽ petierint; certè ſperandum erit, vt fiant voti compotes. Quarè poterit Sacerdos moribundi adiutor omnes circumſtantes inducere ad Pſalmos recitandos, & præcipuè Pſal. *Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti?* Quem piè & probabiliter à Chriſto Domino in cruce pendente fuiſſe recitatum opinatur S. Hieron. his verbis. *Hoc verſiculo Dominus in cruce pendens vſus eſt. Ex quo animaduertimus totum pſalmum à Domino in cruce poſito decantari.* Vel Pœnitentiales, vel alios ad veniam à Deo pro peccatis obtinendã, vel Roſarium alternatim, vel Coronam ſex decadum, vel Litanias, quæ in honorem B. V. in Aede Lauretana decantari ſolent, vel Litanias Sanctorum. Poterit etiàm Sacerdos vel ipſe legere, vel per alios curare, vt legantur Euangelia paſſionis Chriſti. *Pſal. 21.* *S. Hieron. in expoſ. Pſal. 21.*

Poſtquàm verò Sacerdos iuxta præſcriptam formulam à Romana Eccleſia Deo animam morientis commendauit, ſi adhùc moribundi agonia protrahatur; ad obtinenda pro eo diuinæ miſericordiæ

ſub-

Digitized by Google

ſubſidia plurimùm proderit, ſi deuotè Pſalmos, & orationes recitauerit, quæ in Opuſculo pro hac re edito, cuius titulus eſt, *Rituarium &c. ab Adm. Reu. Domino Vincentio Auruccio Tudertino Doctore, & Corneti Præpoſito*, collectæ habentur.

Plura, quæ diximus capit. præcedenti pro ſalute ſpiritali infirmorum curanda, pro vt opportunitas moribundi exiget, inſeruire poterunt.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS

DE

Nonnullis deciſionibus caſuum conſcientiæ ſpectantium ad infirmos, vel morientes, vel iis opitulantes.

CAPVT PRIMVM

In quo varia quæſita reſoluuntur circa Sacramentum Pœnitentiæ infirmis, vel moribundis adminiſtrandum.

QVæritur primò vtrùm æquiparetur articulus, & periculum mortis quoad facultatem, quæ competit cuilibet Sacerdoti abſolucdi ab omnibus peccatis reſeruatis, & cenſuris.

Suppono articulum mortis eſſe, quandò homo eſt in tali ſtatu, vt breui & ineuita-

uitabilitèr iuxta morale iudicium moriturus ſit. Periculum verò, cum iuxta prudens iudicium probabilitèr dubitatur de morte, quæ frequentèr in tali caſu non poſt longum temporis interuallum contingere ſolet. Plura autèm pro tali iudicio formando collegi cap. 3. adnot. 27.

Reſpondeo partem affirmantem in propoſita dubitatione eſſe opinionem probabiliſſimam, & tutam. Probatur primò, quia in Iure Canonico pro eodem reputatur articulus mortis, & periculum. Cap. *ſi quis ſuadente* 17. q. 4. poſita reſeruatione, mortis periculum excipitur, & Capit. *non dubium de ſententia excommunicationis*, dum fit ſimilis exceptio, appellatur articulus mortis; & in Cap. *eos qui de ſententia excommunicationis in ſexto*, modo articulus, modo periculum mortis nominatur. Quarè, cum ex Iure Canonico ſufficiens fundamentum habeamus æquiparandi articulum, & periculum mortis, idē rationabilitèr dici poteſt in caſu propoſito; & confirmatur, quia fauores ſunt ampliandi. Probatur ſecundo auctoritate multorum magni nominis auctorū. Gloſ. in cap. *Paſtoralis* §. *praeterea de officio ordinar.* *Gloſ.*

nar. Nauar. in ſum. cap. 26. nu. 21. & cap. 27. num. 271. Med. cap. de confeſſ. q. 16. Molina tom. 4. de iuſt. diſp. 65. n. 6. Suar. tom. 4. in 3. partem diſp. 26. ſect. 4. nu. 3. Zambran. de caſibus art. mortis prælud. 1. num. 7. Sanchez tom. 1. in pręcepta decalogi lib. 2. cap. 13. n. 1. Sayrus de Cenſuris lib. 2. cap. 20. num. 28. Auila de Cẽſuris parte 5. diſput. 4. ſect. 1. dub. 5. ſub concl. 2. (inter alia enim exempla de periculo mortis, quæ affert, eſt, quandò mulier partui proxima eſt, vbi difficilè parere ſolet, vel vbi primò parturit, & idem ſubdit de ijs, qui ſe caſtrandos tribuunt; in his autèm caſibus non ſempèr, ſed ſæpè tantum mors contingit,) & alij apud citat. Suar. Zambran. & Sayrum. Probatur ratione, quæ communitèr affertur ſatis efficax. Ideò conceſſum eſt tale priuilegium fidelibus, vt poſſint abſolui à caſibus, & cenſuris reſeruatis in articulo mortis, quia pia mater Eccleſia, quantum poteſt, eorum ſaluti conſulere vult, ergò iure optimo idem affirmandum, cum mortis periculum vrget, vt auferatur, quantũ fieri poteſt, periculum æternæ damnationis; morale enim periculum ita in malis

Nauar. *Med.* *Moli.* *Suar.* *Zambran.* *Sanch.* *Sayr.* *Auila.*

caueri

caueri debet, ac ipſe euentus; ac propte-
reà exponens ſe morali periculo lethali-
tèr peccandi, in culpam lethalem incidit.
Præthereà ius diuinum non minus in peri-
culo mortis obligat hominem ad Sacra-
mentalem confeſſionem, quàm in articu-
lo mortis, quia moralitèr cēſetur in vtro-
que caſu æqualis neceſſitas adhibendi re-
media pro æterna ſalute, ergò & prædi-
cta conceſſio abſoluendi à reſeruatis in ar
ticulo mortis extendenda eſt ad caſum pe
riculi mortis; nam in vtroque caſu vide-
tur talis conceſſio medium neceſſarium
ad ſalutem hominis.

Dixi in ſuppoſitione periculum mortis
eſſe, cum non poſt multum temporis in-
teruallum mors homini in tali ſtatu ſolet
contingere; nam ſi diutiùs mors differen-
da eſſet, vt moralis certitudo haberetur,
quòd eò interuallo temporis opportuni-
tas occurreret habentis facultatem legi-
timè abſoluendi, tùnc ceſſaret neceſſitas,
ob quam conceditur facultas abſoluendi
à reſeruatis hominem in periculo mortis
&c. ita cum Couar. Corduba, & Zambra-
no limitat Sanch. cit. cap. 13. num. 3.

Couar. Corduba. Zambran. Sanch.

Quæritur ſecundò, vtrùm in periculo,
ſeù

ſeù articulo mortis poſſit quilibet Sacerdos, licèt irregularis, degradatus, excommunicatus, & hæreticus ſit, ſublato perverſionis periculo, abſoluere ab omnibus peccatis, & cenſuris.

Reſpondeo affirmatiuè, ita communitèr DD. ſi non adſit alius Sacerdos, quorum plures citat, & ſequitur Zambran. de caſibus in artic. mortis ca. 4. dub. 4. Ratio eſt, quia prædicta facultas à Concil. Trid. ſeſſ. 14. de Sacram. Pœnit. cap. 7. conceditur omnibus ſacerdotibus, nec vllam de ijs apponit reſtrictionem, vbi autèm lex non reſtringit, nec nos reſtringere debemus, maximè cum lex ſit fauorabilis in præſenti caſu, quià militat ratio neceſſitatis. Zambr. Trid.

6 Quæritur tertiò, an quilibet Sacerdos ſimplex valeat in articulo, ſiuè in periculo mortis abſoluere à quibuſuis reſeruatis, et ſi adſit proprius Sacerdos, ſiue alius Confeſſarius approbatus, ſiuè ipſe Superior, cui caſus reſeruantur.

Reſpondeo communem, & veram ſententiam eſſe, in articulo, ſiue periculo mortis non licere ſimplici Sacerdoti abſoluere à caſibus, & cenſuris reſeruatis,

quandò adeſt Superior, cui competit abſoluere à reſeruatis, vel quandò ille abeſt, ſed adeſt proprius Sacerdos approbatus ad audiendas confeſſiones. Ita Sotus in 4.diſt.18.q.4.art.4.Suar. tom 4. in tertiam partem diſp.26.ſect.4.nu.4.& tom. 5.diſp.22.ſect. 1.num. 62. Valentia tom. 4.diſp.7.q.10.part.2.col.6.Molina tom. 4.de Iuſt.diſp. 63. vbi refert ſic declaraſſe Gregorium XIII.& alij, quos citat, & ſequitur Sanch. lib. 2.cap.13 num. 7. Ratio adæquata, per quam Concilium Trident.concedit prædictam facultatem cuilibet Sacerdoti, eſt, ne quis pereat occaſione caſuum reſeruatorum, ſed quandò adeſt vel ſuperior, vel alius proprius Sacerdos, tùnc tollitur occaſio, vt quis pereat ratione caſuum reſeruatorum, ergò cum tùnc ceſſet adæquata ratio legis, ceſſat etiàm eius diſpoſitio: alias rationes affert Sanch. loco citato, num. 7. & num. 10.apud quem videri poſſunt.

Sot. *Suar.* *Valent.* *Molin.* *Sanch.*

Aduerte, ſi adſit Superior, vel legitimus Confeſſarius, & nollent abſoluere, tunc perindè eſt, ac ſi nullus eorum adeſſet, nam militat tùnc neceſsitas infirmi, & ſic ſimplex Sacerdos poterit abſoluere.

Quæ-

Quæritur quartò, an infirmus in articulo, ſeu periculo mortis conſtitutus, qui nec poteſt perſonalitèr ſuperiorem adire, nec eum commodè accerſere, teneatur per litteras, aut Confeſſarium, aut alium petere à Superiore facultatem, vt à caſibus reſeruatis abſoluatur.

Reſpondet Sanchez tom. 1. in præcepta decalogi lib. 2. cap. 13 nu. 14. ad neutrum teneri prædictum infirmum multis pro ſe citatis, cuius verba placet referre. *Cenſeo verè dici non eſſe copiam Superioris, quandò conſtitutus in eo periculo, nec poteſt perſonalitèr ſuperiorem adire, nec eum commodè accerſere, quià aut non veniet; aut magna nota erit*; Et ita optimè docet Hēriquez lib. 6. de pœnit. cap. 9. num. vltimo in Comment. littera O. & cap. 11, nu. 4. quod ſatis ſignificat Cordub. ſum. q. 18 puncto 2. ſtatim in principio, vbi defectū Superioris his verbis explicat. *Quando no puede ir à quien le puede abſoluer*, & paulò inferiùs: *Si buenamēte no ſe puede auer el que le aya de abſoluer*. Et Valent. 4. tom. diſp. 7. q. 10. punct. 2. col. 6. vbi ſic explicat: *Quandò non adeſt alioquin legitimus Confeſſarius*. Et Azor. tom. 1. li.

Sanch. Henriq. Cordub. Valen. Azor.

8.inſtit.moral.cap. 19. q. 5. *Cum Epiſcopus, & Inquiſitores, qui poſſunt abſoluere, præſentes non ſunt*. Quia Ius non obligat pœnitentem, vt ſe per tertiam perſonam Superiori abſoluturo præſentet, ſed per ſe ipſum, & quandò per ſe ipſum nequit, iudicat illum legitimè impeditum. Cõſtat ex cap. *quamuis de ſentent. excom.* ibi: ſiuè quolibet impedimento canonico retrahatur, quo minùs Romam ad Põtificem poſſit adire, & eodem modo explicatur cap. *quod de his*, & cap. *de cætero*, eodem titulo, & ideò meritò DD. aſſerũt dici legitimè impeditum, qui perſonalitèr Superiorem adire nequit, etſi procuratorem mittere valeat. Hi ſunt Nauar. ſumma lat. cap. 27. num. 90. verſ. ad 5. Hiſpana cap. 28. addit. ad num. 86. capit. 27. verſ. *à la quinta*. Henriq. lib. 6. de pœnit. cap. 9. num. 7. & lib. 13. de excom. cap. 29. num. 3. Vgolinus de cenſuris Pontifici reſeruatis 3. parte ca. 2. Verbo *niſi in mortis articulo*. §. 4. num. 1. verſ. Item habet locum, & de cenſuris tabula 1. capit. 4. §. 5. nu. 13. in fine Sayr. theſauro caſuum to. 1. lib. 2. cap. 15. num. 13. *Præthereà, quia hoc onus adeundi Superioris ad obtinendam abſolu-*

Nauar. *Hiſpan.* *Henriq.* *Vgolin.* *Sayr.*

ſolutionem nō eſt grauamen Confeſſoris, ſed ipſius pœnitentis in ſui delicti pœnam, dum ergò pœnitens nequit Superiorem adire, vel eum accerſere, dicetur verè impeditus, & carere Superioris copia, & nullatenùs placet, vt per litteras eam facultatem petat, quia exponeret ſe periculo ſui criminis detegendi, ſi vel litteræ amitterētur, vel ab alio aperirentur; atque ob id periculum Doctores non obligant ad peccata ſcribenda, ne memoria excidant, nec ad fatēdum in ſcriptis, quando voce nequit confeſsio fieri. Hæc Sanchez.

Reſpondeo non ſolùm ob auctoritatem Doctorum præallegatorum, ſed etiàm ob rationes, quæ valdè ſunt efficaces, prædictæ ſententiæ libentèr me ſubſcribere; & ſanè, cùm onus confeſſarij ſit per ſe ſatis graue, non eſt illo grauamine, quod ad pœnitentem præcisè ſpectat, (vt ſupra adnotauit citatus Sanchez) augendum.

Quæritur quintò, à quibus cenſuris quilibet Sacerdos abſoluere poteſt in articulo mortis virtute Concilij Tridentini.

Reſpondeo eſſe quaſcunque excommunicationes, quæcunque interdicta perſo-

nalia, & ſuſpenſiones à Sacramentis ab ægro ſuſcipiendis, & Eccleſiaſtica ſepultura. Probatur, quià ad hæc omnia ſe extendit ratio Concilij, quæ eſt, ne hac occaſione aliquis pereat, & licèt Eccleſiaſtica ſepultura non ſit neceſſaria ad ſalutem, hęc tamèn fidelibus, de quorum pœnitentia expreſsè, vel virtualitèr conſtat, debita eſt. Quarè ſimplex Sacerdos ex facultate Concilij ob articulum, vel periculum mortis nihil poteſt in ſuſpenſione ab officio, vel beneficio, vel irregularitate, quià prædicta ratio Concilij nec ad ſuſpenſiones, nec ad irregularitatem ſe extendit. Fauet Zambran. cap. 4. de caſibus mortis dub. 4. num. 17. Sanchez cit. cap. 13. num. 12.

Zambran. *Sanch.*

Quæritur ſextò, an ſimplex Sacerdos, qui infirmi in articulo, vel periculo mortis conſtituti confeſsionem audire incepit, poſſet proſequi ſuperueniente Sacerdote approbato.

Reſpondeo affirmatiuè, quià deficiente copia confeſſarij approbati, ille ſimplex veram iuriſdictionem habuit. Si verò talis infirmus haberet caſum cum excommunicatione reſeruatum, & ſuperueniret

niret Superior, cui illa excommunicatio eſt reſeruata, ante abſolutionem nō poſſet Sacerdos ſimplex, vel etiàm approbatus, qui non habet facultatem à dicta cēſura abſoluendi, abſoluere, ſed abſolutio ab excommunicatione priùs danda eſſet à Superiore, & poſteà à peccatis abſoluere poſſet Sacerdos, qui inceperat audire confeſsionem. Ratio eſt, quià onus ſe præſentandi Superiori, cui eſt excommunicatio reſeruata, ob articulum, vel periculum mortis non extinguitur, ſed tantùm differtur durante rationabili impedimento, ergò cum adeſt Superior, tenetur illi ſe repræſentare. Verùm non erit neceſſe tunc iterare cōfeſsionem, ſed ſufficiet aperire illud crimen Superiori, cui adnexa eſt cenſura.

Quæritur ſeptimò, vtrùm ſimplex Sacerdos adſtans infirmo conſtituto in articulo, vel periculo mortis, & dubitans an opportunè adueniet Sacerdos approbatus, poſsit abſoluere dictum infirmum.

Reſpondeo hac in re non eſſe ſcrupuloſè procedendum, ne periculo ſalus æterna infirmi ſubijciatur; quarè quotiès iudicatur dilatio periculoſa, poterit in

prædicto caſu ſimplex Sacerdos abſoluere; idem dicendum, quotiès dubium inſurgit de periculo, vel articulo mortis. Suffragantur nobis Henriquez lib. 6. de pœnit.cap.11. num. 3. Zambran.de caſibus articuli mortis dub.4.num. 13.& Sãch.tom.1.in præcept.decal. lib.2.cap.13. num.8.in fine.

Henriq. *Zambran.* *Sanch.*

51 Quæritur octauò, an periculosè ægrotans, cuius conſcientia caſibus Papæ reſeruatis innodatur, & non poteſt recurrere ad Pontificem, ſi commodè poſſit habere copiam Epiſcopi, teneatur ei confiteri.

52 Reſpondeo cum Suarez tom. 4. in tertiam partem diſp.30.ſect.3.num.4.in iuribus ſpecialiter eſſe cautum in percuſſione Clerici, vt in mortis articulo, ſi Pontifex adiri nequeat, benè tamen Epiſcopus adeatur. Ita habetur cap. *ea noſcitur*, & cap. *de cætero de ſentent. excom.* In alijs verò caſibus, cum iura peculiaria nihil de hoc decernant, non erit neceſſarius recurſus ad Epiſcopum; exceptio enim prædicta de percuſſione Clerici firmat regulam in cõtrarium. fauet huic parti Molina tomo 4.de iuſt.diſp.63.num.2.

Suar. *Molin.*

Hoc

Hoc limitatur ad caſum Pontifici reſeruatum non occultum; ſi enim occultus eſſet; cum iure ordinario poſſit Epiſcopus ab illo abſoluere virtute Trident. ſeſſ. 24. cap. 6. (de qua facultate fusè agit Sanchez tom. 1. in præcept. decal. cap. 11.) eſſet recurrendum ad eum, ſi cōmodè fieri poſſet; an verò dicta facultas ſit per Bullam Cænæ reuocata quoad abſolutionem ab hæreſi, & cæteris caſibus Bullæ Cænę, n. 26. relatis pro parte affirmante, & nu. 27. pro negante pluribus Doctoribus, tandē concludit tenendam eſſe opinionem primam, ſcilicèt, quæ aſſerit ſublatam eſſe facultatem Epiſcopis in prædictis caſibus hæreſis, & Bullæ Cænæ. Non cenſetur autèm patere huiuſmodi commodus recurſus, quotiès infirmus non poteſt perſonalitèr adire Epiſcopum, vel illum accerſere ſine nota, & cum probabili ſpe, vt adueniat, ſicuti diximus ſupra in ſolutione quæſiti 4. Trident. Sanch.

Quæritur nonò, an conſtitutus in articulo, ſeu periculo mortis abſoluendus ſit à caſibus reſeruatis ſinè cautione.

Reſpondeo primò, ſi caſus ſit reſeruatus ſine excommunicatione, nullam aliā

cau-

cautionem à tali infirmo eſſe exigendam, niſi eam, quę neceſſaria eſt pro diſpoſitione validè, & dignè ſuſcipiendi Sacramẽtum pœnitentię. Ita communitèr DD. & ratio eſt, quia iura nullum onus imponendum præſcribunt in prædicto caſu.

Reſpondeo ſecundò, ſi caſus reſeruatus habeat annexam excommunicationem, exigenda eſt cautio de ſtando mandatis Eccleſiæ, & de ſatisfaciendo parti. Ita habetur in vltima clauſula Bullæ Cænæ, & cap. *de rater*. & ca. *ex tenore de ſentent. excom.* & Doctores communitèr. Cautio de ſtando mandatis Eccleſiæ eſt iuramentum ſe præſentãdi Superiori ceſſante morbo, Superiori ſcilicèt, qui extra illum caſum de iure poterat abſoluere; cautio autèm de ſatisfaciendo parti eſt ipſa realis ſatisfactio, quæ primò exhibenda eſt ante abſolutionem, ſi fieri poteſt, & non ſufficit præſtare cautionem quamuis ſufficientem. Ita Nauar. cap. 27. num. 273. & probat efficacitèr ex cap. *ſolet de ſenten. tia excom.* etſi non poteſt integrè ſatisfacere infirmus, antequàm abſoluatur; ſi verò non valeat integrè ſatisfacere, ſed tantùm ex parte, debet quam poteſt partem

Nauar.

re-

reſtituere, conſtat ex cap. *Odoardus de abſolutionibus*: ſi verò nullam poſſit exhibere realem ſatisfactionem, nec vlla rationabilis cauſa adſit illam differendi, poterit abſolui præſtita cautione pignoratitia, vel fideiuſſoria, & ſi neutra præſtari queat, ſaltèm iuratoria, idquè prudentis Sacerdotis arbitrio relinquendum, vt bene cum alijs docet Suar. tom. 5. in tertiam partem diſp. 21. ſect. 53. num. 1. *Suar.*

Aduerte, quòd ſi infirmus conualeſcat, & non ſe repræſentet cum poſſit commodè, eum reincidere in eandem cenſuram, non quidèm in eandem numero cenſurã, nec ob eandem cauſam, ſed in aliam ſimilem ob nouam illam inobedientiam, vt communitèr DD. tradunt explicantes illud cap. *eos qui de ſent. excom.* in 6.

Quæritur decimò, an hoc onus ſe pręſentandi ceſſante impedimento iniungendum ſit infirmo in articulo, vel periculo mortis, qui iam parti ſatisfecit, vel cum ea ſe compoſuit.

Reſpondeo affirmatiuè cum Suar. tom. 4. in 3. partem diſp. 30. ſect. 3. num. 6. ratio eſt, quia ſatisfactio partis non eſt adæquatus finis præſentationis, onus enim

com-

cõm parendi coram Superiore habet rationem partis pœnæ ab Eccleſia tali delicto impoſitæ, & ordinatur ad ſpecialem ſatisfactionis modum, & ad obedientiam peculiarem Eccleſiæ exhibendam.

Quæritur vndecimò, an infirmus cenſuris reſeruatis irretitus, nullam cautionem præſtare valens, quòd iam loquela, aut vſu rationis careat, ſit abſoluendus ſine vlla cautela.

Reſpondeo affirmatiuè, impoſſibilium enim nulla eſt obligatio. Vgolin. de Cenſuris reſeruatis 3. parte cap. 2. Verbo *nec etiam tunc* §. 1. num. 1. Sayr. theſauro caſuum tom. 1. lib. 3. cap. 25. num. 4. Auila de Cenſuris 2. parte cap. 2. diſp. 3. dub. 5. ſub §. 4. nota, & alij DD. communiter.

Vgolin.
Sayr.
Auila.

Quæritur duodecimò, an valeat abſolutio à Cenſuris reſeruatis data in periculo, vel articulo mortis conſtituto ſine impoſita obligatione ſe præſentandi, vel ſatisfaciendi parti ob inaduertentiam, vel ignorantiam Sacerdotis abſoluentis.

Reſpondeo affirmatiuè, quià Eccleſia noluit valorem abſolutionis in adeò vrgenti neceſſitate ex confeſſoris negligen-

tia,

tia, aut ignorantia pendere. Ità Sanchez tom. 1. in præcept. decal. lib. 2. cap. 13. nu. 35. citans Henriquez. Sanchez. Henriq.

Quæritur decimotertiò, vtrùm Epiſcopus poſſit abſoluere infirmum, longa ægritudine licèt non periculoſa laborantē, ab excommunicatione Papæ reſeruata.

Reſpondeo prædictam infirmitatem eſſe inter legitima impedimenta, ob quæ excommunicatus, cum non poſsit recurrere ad Pontificem, poteſt abſolui ab Epiſcopo, etiam ſi excommunicatio ſit publica, & Papæ reſeruata, etiam in Bulla Cænæ. Ita communiter DD. Auila 2. parte cap. 7. diſp. 1. dub. 5. ſub concl. 3. & Sayr. theſauro lib. 3. cap. 28. num. 24. hæc habet. *Infirmi namquè, ſeu valetudinarij, ſeu quacunque corporis impotētia impediti etiā ab Epiſcopis ſuis abſolui poſſunt, & hoc ſiuè infirmitas incurabilis ſit, vel periculoſa, vel longus morbus, ſiue ſit temporalis, & ex itinere timeatur acceleratio mortis. Cap. quod de his de ſentent. excom. Immò ſecundum Doctores, etiam ſi non immineat periculum mortis, puta in febri tertiana, quartana, vel podagra, ſecundum notata in cap. ea noſcitur de ſent. excom. Aſtenſ. in ſumma* Auila. Sayr. Aſtenſ.

Syluest. *parte 2. lib. 7. tit. 13. art. 3. §. octauus. Syl-*
Nau. *ueſter V. abſolutio 4. num. 3. §. 9. Nauar. in man. cap. 2. num* 88. Hęc Sayrus, qui num.
Felin. 39. cit. cap. ex Felino, Sylueſtro, Nauarro adnotat non ſolum excommunicatum ob Clerici percuſsionẽ, ſed etiàm ob quãlibet aliam cauſam, cuius abſolutio Sedi Apoſtolicæ reſeruatur, abſolui poſſe ab Epiſcopo, quandò ob impedimentum legitimum, Papam, vel eius Legatum adire nequeat, eſt enim eadem ratio in omnibus, vndè & idem iuserit.

Cætera autèm legitima impedimenta, ob quæ valet Epiſcopus abſoluere ab excommunicatione Papæ reſeruata, non recenſeo, cum ad ſtatum infirmi, vel morientis non ſpectent, & videri poſſunt apud
Sayr. Sayrum dicto capit. 28. Suar. tom 5. in 3.
Suar. partem diſp. 22. ſect. 1. nu. 61. Auilam lo-
Auila. co citato, & alios.

Quæritur decimoquartò, an articulus ſeu periculum mortis excuſet ab integritate materiali confeſsionis.

In tribus potiſsimùm caſibus contingere poteſt, vt Confeſſio non fiat integra materialitèr, ſed tantùm formalitèr.

Primò, ob vehementiam infirmitatis,

vel imminentem mortem.

Secundò, propter temporis anguſtias, quibus oppreſſus Confeſſarius non poteſt integrè ſingulorum pœnitentiū confeſsiones audire, quià mors omnibus illis inſtat, vt accidit militibus, qui in proximo ſunt, vt deſcendant in certamen, vel tempore naufragij.

Tertiò, ob periculum mortis, cui ſubiacet Confeſſarius, ſi diù detineatur in audienda confeſſione alicuius pœnitentis, quod maximè euenire poteſt graſſante peſte.

Reſpondeo in prædictis omnibus caſibus poſſe dari abſolutionem, etiam ſi cōfeſſio non ſit integra materialitèr. Ratio eſt, quià ſufficit ad valorem Sacramenti pœnitentiæ integritas formalis ex communi omnium Theologorum ſententia, quandò eſt morale, ſeu legitimum impedimentum, ne fiat integra materialitèr. Sunt tamèn aliqua ſeruanda.

Primò, vt habeatur aliqua materia certa, & non dubia.

Secundò, vt pœnités fateatur aliquod peccatum mortale, ſi illorum eſt reus, potiùs quàm veniale.

Ter-

Tertiò, ſi poſt abſolutionē datam ceſſet impedimentum, & poſſit continuari confeſsio, donèc integra fiat etiam materialitèr, hoc præſtandum erit, & ea perfecta denuò eſt pœnitens abſoluendus, nā hæc ſecunda abſolutio directè fertur in peccata, à quibus in prima indirectè tantùm fuerat pœnitens abſolutus. Ita communitèr D.D. quos refert, & ſequitur Suarez tom. 4. in 3. partem diſp. 23. ſect. 1.

Suar.

Quæritur decimoquintò, vtrùm Confeſſarius ſuperueniens moribundo ſenſibus deſtituto, cuius vel integram, vel partem Confeſsionis antè audierat, ſed abſolutionem non dederat, poſsit eundem abſoluere.

Reſpondeo huiuſmodi eſſe abſoluendum ſaltèm conditionalitèr, ſi expreſsè non conſtet, quòd illo temporis interuallo dictus infirmus mutauerit voluntatem. Ratio eſt, quià illa confeſsio præcedens, dummodò fuerit coniuncta cum attritione ſaltèm, ſufficiens diſpoſitio eſt; ſi verò ideò confeſſarius noluit eum abſoluere, quià non potuit elicere iudicium probabile de attritione talis pœnitentis, & non conſtet per legitimos teſtes, quòd poſt

eius

eius diſceſſum in ordine ad obtinendam abſolutionem ſigna dederit, non erit abſoluendus, quia non adeſt ſufficiens diſpoſitio ad recipiendam abſolutionem.

Dices, potuit cõtingere, vt poſt diſceſſum Confeſſarij elicuerit actum contritionis, nec vllus agnouerit, ergò, ſi ita euenit, euaſit ſufficientèr diſpoſitus, ob id ergò, quod contingere potuit, ſub conditione videtur abſoluendus.

Reſpondeo videri probabile, quòd poſſit abſolui conditionalitèr, ſi quandò confitebatur, indicauit ſe habere animum dolendi de peccatis ante abſolutionem, atque ideò voluiſſe confiteri, vt ad talem dolorem habendum ſe diſponeret. Idem dicendum, ſi Confeſſarius cognouit huiuſmodi infirmum, licèt ille actu non doleret de peccatis, quando confitebatur, habuiſſe tamèn voluntatem vniuerſalem ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ à Chriſto inſtitutum, & per conſequens ſaltèm implicitè, & in confuſo habuiſſe animum apponendi, quæ neceſſaria ſunt ad valorem huius Sacramenti; ſi ergò poſteà ad hunc finem elicit actum doloris, etiam poſt Sacerdotis diſceſſum, iam talis dolor

fuit aliquo modo ſignificatus per confeſſionem præcedentem, per quam indicauit ſe habere animum apponendi omnia neceſſaria ad ſuſcipiendum Sacramentum validum, & hoc ſatis eſſe videtur ad neceſſariam diſpoſitionem recipiendi abſolutionem Sacramentalem; ſecùs verò cõcludendum eſt, ſi non ex tali affectu confeſſus eſt, ſed ſolùm precibus amicorum, vel alio humano reſpectu, & de cæterò animum in peccatis obduratum patefecit Confeſſario, tùnc enim non eſt abſoluendus à ſuperueniente Confeſſario, niſi cõſtet quòd per legitimum teſtimonium ſigna in ordine ad obtinendam abſolutionem dederit.

Quæritur decimoſextò, an moribundus, qui ſigna pœnitentiæ dat Confeſſario præſenti, poſſit ſacramentalitèr ab eo abſolui.

Reſpondeo ſigna, quæ à moribundo dantur in ordine ad claues Sacerdoti præſenti ſufficere, vt ille poſsit Sacramentalitèr abſoluere. Ita plurium Theologorum ſatis recepta ſententia. Ratio eſt, quià ſicut nutus in muto ſufficiunt, vt cõmunitèr admittitur, ita & illa ſigna, nam

tùnc

tùnc interueniunt omnia eſſentialitèr requiſita, quia dicta ſigna cum actu interno cõtritionis, vel attritionis ſunt materia proxima, & ſufficiunt, vt Confeſſarius tanquàm Iudex habeat pœnitentem ſubiectum, cuius ſtatum per illa ſigna cognoſcit in foro Sacramentali, & licèt non cognoſcat quoad ſpeciem, & numerum peccatorum, cognoſcit tamèn in genere, quod ſatis eſt, quandò maior cognitio haberi nequit; forma vero, vt ſupponitur, ritè profertur à miniſtro cum intentione conficiendi Sacramentum pœnitentiæ, ergò &c.

Quæritur decimoſeptimò, vtrùm Sacerdos ſuperueniens moribundo, qui nullo modo ſigna præbet, ſed anteà prębuiſſe teſtantur aliqui præſentes, poſſit huiuſmodi moribundum abſoluere Sacramentalitèr.

Reſpondeo, ſi illa ſigna fuerunt in ordine ad Sacramentalem confeſsionem petendam, & aliqui præſentes hoc teſtentur, à prædicto Sacerdote præſenti poſſe abſolui. Ita D. Antoninus 3. parte tit. 10. cap. 2. & alij, quos refert, & ſequitur Coninch. *D. Anton. Coninch.*

 ninch.

ninch. diſp. 7. de integritate confeſſionis; qui etiam Clementem VIII. anno 1608. ita declaraſſe teſtimonio Cardinalis Bellarmini, & Archiepiſcopi Armacani affirmat.

Probatur ex Concilijs, & præcipuè ex Arauſicano can. 2. vbi dicitur: *Subitò obmuteſcens (prout ſtatutum eſt) baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habeat, aut præſentis in ſuo nutu.* Similia habentur in Concil. Carthaginen. 3. can. 34. vbi dicitur, *Vt ægrotantes, ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntas eorum teſtimonium ſui dixerit, baptizentur; ſimiliter & de pœnitentibus agendum eſt;* & in Carthag. 4. can. 76. etiam expreſsè habetur, *Is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. & ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia: ſi verò ſuperuixerit, admoneatur à ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur*

Conc. Arauſ.

Concil. Carthag.

Idem.

tur ſtatutis pœnitentia legibus &c. quæ Concilia luce clariùs patet loqui de abſolutione à peccatis, non autèm à cenſuris, vt falsò quidam opinantur, etenim & generalitèr de pœnitentia, & pœnitentibus loquuntur, pœnitentia autèm in Cõcilijs ſignificat Sacramentum Pœnitentiæ. Prætereà loquuntur de eo, qui petit in infirmitate pœnitētiam; certum autèm eſt eo tempore infirmum petere pœnitētiam Sacramentalem. Prætereà loquuntur de pœnitentia dicta Concilia, ac de Baptiſmo, ergò ſignum eſt loqui de pœnitentia Sacramentali; deindè expreſsè confirmatur hæc ſententia in Rituali iuſſu Pauli V. edito, in quo ſub titulo de Sacramento Pœnitentiæ hæc habētur. *Quod ſi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægri deficiat, nutibus & ſignis conetur*, (ſcilicet Sacerdos,) *quoad fieri poteſt, peccata pœnitentis cognoſcere, quibus vtcumque vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiam ſi confitendi deſiderium ſiue per ſe, ſiue per alios oſtenderit, abſoluendus eſt*. Ritual. Pauli V.

Probatur ratione primò, nam quòd Sacerdos debeat eſſe præſens, dum exhiben-

tur ſigna, non poteſt ex inſtitutione colligi.

Probatur ſecundò, quia materia, quæ ſunt actus pœnitentis, nempè confeſſio, & attritio, vel contritio manifeſtata ſigno ſẽſibili adeſt. Rursùs pęnitẽs eſt pręsẽs, & ẽt Sacerdos abſoluẽs, qui exprimit formã cum intentione ſufficienti, ergò niſi adſit obex ex parte pœnitentis; quatenùs ſcilicèt non adſit attritio, vel contritio, Sacramentum validum eſt.

Confirmatur primò, quia hoc Sacramentum cum per modum iudicij exerceatur, ſufficit vt notitia de conſcientia pœnitentis habeatur, vel mediatè per teſtes, ſiuè per interpretem, vel immediatè ab ipſo præſenti pœnitente.

Confirmatur ſecundò, quia materia huius Sacramenti ſunt actus pœnitentis, & licèt debeant aliquo ſigno ſenſibili manifeſtari, tamen illud ſignum non debet eſſe permanens, nam etiam quandò datur abſolutio pœnitenti, qui ore proprio ſua peccata confeſſus eſt, adhùc illa confeſsio tunc phyſicè non adeſt, quia verba pœnitentis tunc ceſſant; ergò ſufficit moralis præſentia ſigni ſenſibilis indicantis accu-

ſatio-

ſationem, contritionem, vel attritionem pœnitentis, ſed in noſtro caſu moralitèr perſeuerat ſignum ſenſibile in illis teſtibus, qui & ſeruant, & manifeſtant illam notitiam datam à pęnitente in ordine ad claues, ergò &c.

Quæritur decimo octauò, vtrum teſtimonium vnius ſufficiat in caſu prædicto.

Reſpondeo probabiliſsimum mihi videri vnius teſtimonium ſufficere. pro hac parte ſunt Zambran. de Sacram. tempore mortis ca. 4. dub. 2. & Reginaldus in praxi tom. 1. lib. 8. cap. 3. num. 8. Io: Sanchez in ſelectis diſt. 44. num. 35. quos cit. & ſequitur Diana parte 3. tract. 3. reſolut. 5. Probatur, quia dictæ rationes pro concluſione in præcedēti quæſito poſita militant etiam quandò vnum eſt teſtimonium, & licèt in humanis iudicijs duo teſtes requirantur ſaltèm ad probationem iuridicam, eſt tamèn diſpar ratio in hoc Sacramento, quod licèt per modum iudicij exerceatur, quia tamèn idem eſt pœnitens, teſtis, accuſator, & reus, teſtes nō requiruntur, niſi vt manifeſtent confeſſario accuſationem ipſius pœnitentis, vndè vnius perſonæ ſufficere poteſt teſtimo-

Zambran. *Reginal.* *Io. Sanch.* *Diana.*

nium, vt patet etiam in confeſsione, quæ fit per interpretem. Concilia autem nonnulla loquuntur de teſtibus in plurali, nō quia plures requirant neceſſariò, ſed quia vt plurimùm euenit, vt ſint plures teſtes, ſed eorum ſcopus eſt determinare difficultatem illam, *An ſufficiant ſigna præcedentia.* Præterea Concilium Arauſicanum loquitur in ſingulari de teſtimonio, dicit enim, *ſi voluntatis præteritæ teſtimonium habeat aliorum*, particula verò, *aliorum*, licèt pluralitatem indicare videatur, poteſt etiam nihilominùs in ſenſu ſingulari explicari; nam ſecundùm vſum loquendi dicitur, *Dictum aliorum*, etiam ſi ſit dictum vnius.

Conc. Arauſ.

Quæritur decimononò, an peccet mortalitèr Sacerdos, qui moribūdo negat abſolutionem in ſupra adductis caſibus quæſito 15. 16. 17. & 18.

Reſpondeo primò, peccare mortalitèr in caſibus propoſitis in quæſito 15. 16. & 17. ſi neget moribundo abſolutionem; ratio eſt euidens, quia ſaltèm contra charitatem proximi peccat in materia notabili exponendo ſalutem illius periculo æternæ damnationis, poteſt enim eſſe, quòd

Digitized by Google

ille ſit tantùm attritus, & virtute illius abſolutionis fiat contritus, atquè ita diſponatur ad æternam gloriam. Prætereà priuat illum gratia illa Sacramentali, quæ eſt auxilium notabile in tali anguſtia tentationum.

Reſpondeo ſecundò, in caſu propoſito in præcedenti quæſito; quandò nimirùm adeſt niſi vnus teſtis, non ſempèr peccare mortalitèr Sacerdotem, ſi negat abſolutionem, poteſt enim eſſe, quòd ille putet neceſſariò inhærendum eſſe verbis tum Conciliorum, tum Ritualis Romani, quibus pluralitas teſtium videtur requiri.

Quæritur vigeſimò, an abſolutio Sacramentalis conditionalitèr dari poſſit, quandò iudicio prudentis dubitatur, ſi exhibita ſigna ab ægroto in prædictis caſibus fuerint in ordine ad claues.

Varia poſſunt eſſe huiuſmodi ſigna, v. g. perſtrictio manus quandoquè poteſt eſſe ſignum in ordine ad claues, quandò petitur tale ſignum à moribundo, quandoquè verò poteſt eſſe dubium, an ſit ſignum in ordine ad claues; licèt petatur talis perſtrictio; nam ſolet euenire, vt moribundus quandoquè manibus perſtrin-

gat

gat quidquid illi obuiã occurrit, vel etiã manus eorum, qui illius manus tangunt. Similitèr ſignum dubium eſſe videtur pũgno pectus percutere, oculoſquè in cœlum eleuare.

Reſpondeo in prædictis, & alijs ſimilibus caſibus poſſe abſolui conditione illa appoſita, vel verbis expreſſa, vel ſolamente intellecta, *ſi es diſpoſitus*.

Probatur, quia nullum eſt periculum applicandi inualidè formam, nam poſita conditione, ſi illa nõ verificatur, nihil fit; ex altera verò parte moribundus ille in tali dubio videtur poſſidere ius in ordine ad abſolutionem, ergò erit melior conditio poſſidentis illud ius, ergò abſolutio non videtur illi deneganda.

Confirmatur, quia infirmus morti proximus præſumitur cupidus ſuæ ſalutis æternæ, atquè ita ſigna, quæ ab illo exhibentur, ſi pœnitentiam aliquo modo cõnotent, in ordine ad abſolutionem obtinendã edita cenſentur; fauent nobis Zãbran. de caſibus tempore mortis capit. 4. dub. 2. ſect. 4. Layman in Theologia morali lib. 5. tract. 6. cap. 8. num. 4.

Zambran. *Layman*

Quęritur vigeſimoprimò, an Sacerdos

poſ-

poſſit abſoluere moribūdū ſenſibus deſti- ... qui nulla ſigna præbuit in ordine ad ... nem, expreſſa, vel mente conce- ... nditione, *ſi es capax*. ... affirmantem partem tenent, ... lle moribūdus erat aſſuetus fre- ... confeſſionem. Fundamentum ... t, quòd in tali caſu adeſt aliquo ... ateria, quæ per teſtificationem, ... n probitatis dicti moribundi ef- ... æſens; & hanc ſententiam pluri- ... s putat probabilem Diana parte 3. reſol. 8. quamuis ipſe contra- ... uatur. *Diana.*

Reſpondeo aliquam manifeſtationem peccatorum eſſe neceſſariam ad hoc, vt quis etiam tempore extremæ neceſſitatis abſoluatur Sacramentalitèr. Ita communitèr Theologi, Suar. diſp. 21. ſect. 3. Coninch. diſp. 3. de neceſſitate confeſſionis dub. 1. num. 18. & Io. de Lugo de Sacramentis in communi diſp. 9. ſect. 7. n. 124. Probatur concluſio, actus pœnitentis facti aliquo modo ſenſibiles ſunt materia huius Sacramenti, ergò ſi non ſunt tales actus ſigno aliquo ſenſibili manifeſtati, non ſunt materia, ergò hac ſublata, cum *Suar.* *Coninch.* *Io. de Lugo.*

ſit

fuit aliquo modo ſignificatus per confeſſionem præcedentem, per quam indicauit ſe habere animum apponendi omnia neceſſaria ad ſuſcipiendum Sacramentum validum, & hoc ſatis eſſe videtur ad neceſſariam diſpoſitionem recipiendi abſolutionem Sacramentalem; ſecùs verò cõcludendum eſt, ſi non ex tali affectu confeſſus eſt, ſed ſolùm precibus amicorum, vel alio humano reſpectu, & de cæterò animum in peccatis obduratum patefecit Confeſſario, tùnc enim non eſt abſoluendus à ſuperueniente Confeſſario, niſi cõſtet quòd per legitimum teſtimonium ſigna in ordine ad obtinendam abſolutionem dederit.

Quæritur decimoſextò, an moribundus, qui ſigna pœnitentiæ dat Confeſſario præſenti, poſſit ſacramentalitèr ab eo abſolui.

Reſpondeo ſigna, quæ à moribundo dantur in ordine ad claues Sacerdoti præſenti ſufficere, vt ille poſsit Sacramentalitèr abſoluere. Ita plurium Theologorum ſatis recepta ſententia. Ratio eſt, quià ſicut nutus in muto ſufficiunt, vt cõmunitèr admittitur, ita & illa ſigna, nam

tùnc

tùnc interueniunt omnia eſſentialitèr requiſita, quia dicta ſigna cum actu interno contritionis, vel attritionis ſunt materia proxima, & ſufficiunt, vt Confeſſarius tanquàm Iudex habeat pœnitentem ſubiectum, cuius ſtatum per illa ſigna cognoſcit in foro Sacramentali, & licèt non cognoſcat quoad ſpeciem, & numerum peccatorum, cognoſcit tamèn in genere, quod ſatis eſt, quandò maior cognitio haberi nequit; forma vero, vt ſupponitur, ritè profertur à miniſtro cum intentione conficiendi Sacramentum pœnitentiæ, ergò &c.

Quæritur decimoſeptimò, vtrùm Sacerdos ſuperueniens moribundo, qui nullo modo ſigna præbet, ſed anteà præbuiſſe teſtantur aliqui præſentes, poſſit huiuſmodi moribundum abſoluere Sacramentalitèr.

Reſpondeo, ſi illa ſigna fuerunt in ordine ad Sacramentalem confeſsionem petendam, & aliqui præſentes hoc teſtentur, à prædicto Sacerdote præſenti poſſe abſolui. Ita D. Antoninus 3. parte tit. 10. cap. 2. & alij, quos refert, & ſequitur Coninch. *D. Antin. Coninch.*

 ninch.

ninch. diſp. 7. de integritate confeſſionis; qui etiam Clementem VIII. anno 1608. ita declaraſſe teſtimonio Cardinalis Bellarmini, & Archiepiſcopi Armacani affirmat.

Probatur ex Concilijs, & præcipuè ex Arauſicano can. 2. vbi dicitur: *Subitò obmuteſcens (prout ſtatutum eſt) baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habeat, aut præſentis in ſuo nutu.* Similia habentur in Concil. Carthaginen. 3. can. 34. vbi dicitur: *Vt ægrotantes, ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntas eorum teſtimonium ſui dixerit, baptizentur; ſimiliter & de pœnitentibus agendum eſt*; & in Carthag. 4. can. 76. etiam expreſsè habetur, *Is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. & ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia: ſi verò ſuperuixerit, admoneatur à ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur*

Conc. Arauſ.

Concil. Carthag.

Idem.

tur ſtatutis pœnitentiæ legibus &c. quæ Concilia luce clariùs patet loqui de abſolutione à peccatis, non autèm à cenſuris, vt falsò quidam opinantur, etenim & generalitèr de pœnitentia, & pœnitentibus loquuntur, pœnitentia autèm in Cõcilijs ſignificat Sacramentum Pœnitentiæ. Prætereà loquuntur de eo, qui petit in infirmitate pœnitẽtiam; certum autèm eſt eo tempore infirmum petere pœnitẽtiam Sacramentalem. Prætereà loquuntur de pœnitentia dicta Concilia, ac de Baptiſmo, ergò ſignum eſt loqui de pœnitentia Sacramentali; deindè expreſsè confirmatur hæc ſententia in Rituali iuſſu Pauli V. edito, in quo ſub titulo de Sacramento Pœnitentiæ hæc habẽtur. *Quod ſi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægri deficiat, nutibus & ſignis conetur,* (ſcilicet Sacerdos,) *quoad fieri poteſt, peccata pœnitentis cognoſcere, quibus vtcumque vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiam ſi confitendi deſiderium ſiue per ſe, ſiue per alios oſtenderit, abſoluendus eſt.* *Ritual. Paul. V.*

Probatur ratione primò, nam quòd Sacerdos debeat eſſe præſens, dum exhiben-

tur ſigna, non poteſt ex inſtitutione colligi.

Probatur ſecundò, quia materia, quæ ſunt actus pœnitentis, nempè confeſſio, & attritio, vel contritio manifeſtata ſigno sẽſibili adeſt. Rurſus pęnitẽs eſt pręsẽs, & ẽt Sacerdos abſoluẽs, qui exprimit formã cum intentione ſufficienti, ergò niſi adſit obex ex parte pœnitentis, quatenùs ſcilicèt non adſit attritio, vel contritio, Sacramentum validum eſt.

Confirmatur primò, quia hoc Sacramentum cum per modum iudicij exerceatur, ſufficit vt notitia de conſcientia pœnitentis habeatur, vel mediatè per teſtes, ſiuè per interpretem, vel immediatè ab ipſo præſenti pœnitente.

Confirmatur ſecundò, quia materia huius Sacramenti ſunt actus pœnitentis, & licèt debeant aliquo ſigno ſenſibili manifeſtari, tamen illud ſignum non debet eſſe permanens, nam etiam quandò datur abſolutio pœnitenti, qui ore proprio ſua peccata confeſſus eſt, adhùc illa confeſsio tunc phyſicè non adeſt, quia verba pœnitentis tunc ceſſant, ergò ſufficit moralis præſentia ſigni ſenſibilis indicantis accuſatio-

ſationem, contritionem, vel attritionem pœnitentis, ſed in noſtro caſu moralitèr perſeuerat ſignum ſenſibile in illis teſtibus, qui & ſeruant, & manifeſtant illam notitiam datam à pęnitente in ordine ad claues, ergò &c.

Quæritur decimo octauò, vtrum teſtimonium vnius ſufficiat in caſu prædicto.

Reſpondeo probabiliſsimum mihi videri vnius teſtimonium ſufficere. pro hac parte ſunt Zambran. de Sacram. temporè mortis ca. 4. dub. 2. & Reginaldus in praxi tom. 1. lib. 8. cap. 3. num. 8. Io: Sanchez in ſelectis diſt. 44. num. 35. quos cit. & ſequitur Diana parte 3. tract. 3. reſolut. 5. Probatur, quia dictæ rationes pro concluſione in præcedēti quæſito poſita militant etiam quandò vnum eſt teſtimonium, & licèt in humanis iudicijs duo teſtes requirantur saltèm ad probationem iuridicam, eſt tamēn diſpar ratio in hoc Sacramento, quod licèt per modum iudicij exerceatur, quia tamēn idem eſt pœnitens, teſtis, accuſator, & reus, teſtes nō requiruntur, niſi vt manifeſtent confeſſario accuſationem ipſius pœnitentis, vndè vnius perſonæ ſufficere poteſt teſtimo-

Zambran. *Reginal.* *Io. Sanch.* *Diana.*

nium, vt patet etiam in confeſsione, quæ fit per interpretem. Concilia autem nonnulla loquuntur de teſtibus in plurali, nõ quia plures requirant neceſſariò, ſed quia vt plurimùm euenit, vt ſint plures teſtes, ſed eorum ſcopus eſt determinare difficultatem illam, *An ſufficiant ſigna præcedentia*. Præterea Concilium Arauſicanum loquitur in ſingulari de teſtimonio, dicit enim, *ſi voluntatis præteritæ teſtimonium habeat aliorum*, particula verò, *aliorum*, licèt pluralitatem indicare videatur, poteſt etiam nihilominùs in ſenſu ſingulari explicari, nam ſecundùm vſum loquendi dicitur, *Dictum aliorum*, etiam ſi ſit dictum vnius.

Conc. Arauſ.

Quæritur decimonono, an peccet mortalitèr Sacerdos, qui moribũdo negat abſolutionem in ſupra adductis caſibus quæſito 15. 16. 17. & 18.

Reſpondeo primò, peccare mortalitèr in caſibus propoſitis in quæſito 15. 16. & 17. ſi neget moribundo abſolutionem; ratio eſt euidens, quia ſaltèm contra charitatem proximi peccat in materia notabili exponendo ſalutem illius periculo æternæ damnationis, poteſt enim eſſe, quòd

ille ſit tantùm attritus,& virtute illius abſolutionis fiat contritus, atquè ita diſponatur ad æternam gloriam. Præterea priuat illum gratia illa Sacramentali, quæ eſt auxilium notabile in tali anguſtia tentationum.

Reſpondeo ſecundò, in caſu propoſito in præcedenti quæſito, quandò nimirùm adeſt niſi vnus teſtis, non ſempèr peccare mortalitèr Sacerdotem, ſi negat abſolutionem, poteſt enim eſſe, quòd ille putet neceſſariò inhærendum eſſe verbis tum Conciliorum, tum Ritualis Romani, quibus pluralitas teſtium videtur requiri.

Quæritur vigeſimò, an abſolutio Sacramentalis conditionalitèr dari poſſit, quandò iudicio prudentis dubitatur, ſi exhibita ſigna ab ægroto in prædictis caſibus fuerint in ordine ad claues.

Varia poſſunt eſſe huiuſmodi ſigna, v. g. perſtrictio manus quandoquè poteſt eſſe ſignum in ordine ad claues, quandò petitur tale ſignum à moribundo, quandoquè verò poteſt eſſe dubium, an ſit ſignum in ordine ad claues, licèt petatur talis perſtrictio; nam ſolet euenire, vt moribundus quandoquè manibus perſtrin-

gat

gat quidquid illi obuiã occurrit; vel etiã manus eorum, qui illius manus tangunt. Similitèr ſignum dubium eſſe videtur pũgno pectus percutere; oculoſquè in cœlum eleuare.

Reſpondeo in prædictis, & alijs ſimilibus caſibus poſſe abſolui conditione illa appoſita, vel verbis expreſſa, vel ſolamente intellecta, *ſi es diſpoſitus*.

Probatur, quia nullum eſt periculum applicandi inualidè formam, nam poſita conditione, ſi illa nõ verificatur, nihil fit; ex altera verò parte moribundus ille in tali dubio videtur poſſidere ius in ordine ad abſolutionem, ergò erit melior conditio poſſidentis illud ius, ergò abſolutio non videtur illi deneganda.

Confirmatur, quia infirmus morti proximus præſumitur cupidus ſuæ ſalutis æternæ, atquè ita ſigna, quæ ab illo exhibentur, ſi pœnitentiam aliquo modo cõnotent, in ordine ad abſolutionem obtinendã edita cenſentur; fauent nobis Zãbran. de caſibus tempore mortis capit. 4. dub. 2. ſect. 4. Layman in Theologia moſali lib. 5. tract. 6. cap. 8. num. 4.

Zambran. *Layman*

Queritur vigeſimoprimò, an Sacerdos poſ-

poſſit abſoluere moribũdũ ſenſibus deſtitutũ, qui nulla ſigna præbuit in ordine ad confeſſionem, expreſſa, vel mente concepta hac conditione, *ſi es capax*.

Aliqui affirmantem partem tenent, quandò ille moribũdus erat aſſuetus frequentare confeſſionem. Fundamentum eſſe poteſt, quòd in tali caſu adeſt aliquo modo materia, quæ per teſtificationem, & famam probitatis dicti moribundi efficitur præſens; & hanc ſententiam pluribus citatis putat probabilem Diana parte 3. tract. 3. reſol. 8. quamuis ipſe contrariam ſequatur. *Diana.*

Reſpondeo aliquam manifeſtationem peccatorum eſſe neceſſariam ad hoc, vt quis etiam tempore extremæ neceſſitatis abſoluatur Sacramentalitèr. Ita communitèr Theologi, Suar. diſp. 21. ſect. 3. Coninch. diſp. 3. de neceſſitate confeſſionis dub. 1. num. 18. & Io. de Lugo de Sacramentis in communi diſp. 9. ſect. 7. n. 124. *Suar.* *Coninch.* *Io. de Lugo.*
Probatur concluſio, actus pœnitentis facti aliquo modo ſenſibiles ſunt materia huius Sacramenti, ergò ſi non ſunt tales actus ſigno aliquo ſenſibili manifeſtati, non ſunt materia, ergò hac ſublata, cum

ſit pars eſſentialis, Sacramentum conſiſtere nequit; antecedens probatur, quia hoc Sacramentum exercetur per modum iudicij, ergò debet eſſe aliqua accuſatio, quæ ſit apta ſubijcere reum iudici, talis autèm accuſatio non poteſt eſſe apta ſubijcere pœnitentem tanquam reum Confeſſario, vt iudici, ſi non ſit ſenſu perceptibilis.

Confirmatur, quia homines non communicant ſuos conceptus, & voluntates niſi per ſigna ſenſibilia, ſed Sacramentum pœnitentiæ includit quandam communicationem conceptuum, & voluntatum pœnitentis, & Confeſſarij, ergò per ſigna ſenſibilia debet exerceri, ſicuti patet ex ſenſu formæ, *Abſoluo te*, quæ ſupponit illum ſubiectum in illo iudicio, illa autèm ſubiectio, cum ſit voluntaria, debuit per ſigna manifeſtari.

Conc. Arauſic. *Carthag.* *Epiſt. Leonis I.* *Rit. Rom.* Probatur ſecundò, quia Concil. Arauſicanum, Carthaginen. 3. & 4. quorum verba citauimus ſupra quæſito 17. & Epiſtola Leonis I. ad Theodorum Epiſcopũ Æbriolen. & Rituale Romanum volunt expreſsè, vt adſint teſtes, qui affirment moribundum dediſſe ſignum in ordine ad cla-

claues; ergò ſi non adſint huiuſmodi teſtes, ſatis apertè conſtat ex dictis Concilijs, & Rituali approbato abſolutionem non eſſe dandam; veriſſimum enim eſt, quòd exceptio firmat regulam in contrarium.

Ex dictis patet reſponſio ad fundamẽtum pro opinione affirmante, quam indicaui à principio, licèt enim nullus præſumatur immemor ſpæ ſalutis, & admittatur, quòd qui erat aſſuetus frequentare confeſſionem, facilè habuerit voluntatẽ confitendi, illa tamèn voluntas nullo sẽſibili ſigno manifeſtata nõ eſt ſufficiẽs, vt conſtituatur adæquatè diſpoſitus ad recipiendam abſolutionem Sacramentalem, quia requiritur aliqua accuſatio ſigno sẽſibili manifeſtata, vt ille conſtituatur ſubiectus, & reus Confeſſario vt iudici; cum enim Sacramentum pœnitentiæ habeat rationem iudicij, in quo Sacerdos profert ſententiam vt iudex, & non poſſit Iudex incipere iudicium niſi ad inſtantiam partis, requiritur, vt aliqua externa actione pœnitens petat, vel petierit huiuſmodi iudicium.

Dices, petijt virtualitèr, qui Catholi-

cam religionem profitebatur, actionesq; externas debito tempore, quales Chriſtianum decent, exercebat, hic enim probabilitèr præſumitur, quòd voluerit etiam præcepta Eccleſiæ ſeruare, atquè adeò confiteri tempore mortis, ad quod ex pręcepto obligatur Chriſtianus adultus, ergò ſufficit hęc virtualis petitio confeſſionis, per quam etiam implicitè recurritur ad officium iudicis, quod exercet Confeſſarius.

Reſpódeo ex operibus generalibus hominis Chriſtiani non poſſe colligi virtualem petitionem confeſſionis; ſed ad hanc requiri aliquam ſpecialem actionem, ex qua probabilitèr manifeſtetur voluntas confitendi, tùm vt fiat ſenſibilis dolor, qui eſt pars Sacramenti, tùm etiam quia ita ſupra adducta Concilia indicant, quibus firmitèr inhærendum eſt.

Quæritur vigeſimoſecundò, ſi moribundus ſit ſenſibus deſtitutus, & nulla ſigna præbuit in ordine ad confeſsionem Sacramętalem, an poſsit abſolui per quęlibet Sacerdotem à b excommunicatione, ab interdicto perſonali, & à ſuſpenſione, per quam priuatur receptione Sacramentorum,

torum, & Eccleſiaſtica ſepultura, vt ſaltèm Sacramentum extremæ vnctionis recipere poſsit, ac in loco ſacro ſepeliri.

Reſpondeo affirmatiuè. Ita Nauar. in ſum. cap. 27. num. 27. verſ. 6. Suar. tom. 5. diſput. 7. ſect. 6. num. 3. Vgolin. de cenſuris tab. 1. cap. 4. §. vltimo num. 4. & 5. & alij, quos citat & ſequitur Sanchez tom. 1. in præcept. Decal. lib. 2. cap. 13. nu. 12. in fine; fundatur etiam in Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. *Nau.* *Suar.* *Vgolin.* *Sanch.* *Trid.*

Quæritur vigeſimotertiò, an ſi in prædicto caſu nullus adſit Sacerdos, poſſit Clericus primæ tonſuræ, ſiue Laicus abſoluere huiuſmodi moribundum à prædictis cenſuris.

Reſpondeo probabilius eſſe, quòd non poſsit abſente Sacerdote Laicus abſoluere ab excommunicatione moribundum. Ita Suar. to. 5. in 3. partem diſp. 7. ſec. 6. n. 6. Auila de cenſuris 2. par. cap. 7. diſput. 1. dub. 3. concl. 1. Corduba in ſum. quæſt. 18. art. 2. Nauar. in ſum. cap. 26. num. 26. Couar. cap. *Alma mater* parte 1. §. 11. & alij quamplures, & ratio eſt, quia laicus in ſpiritualibus etiam in mortis articulo nihil agere poteſt, niſi quod expreſsè con- *Suar.* *Auila.* *Corduba.* *Nauar.* *Couar.*

ceſ-

Gloſ. ceſſum illi eſt in Iure, iuxta Gloſ. Can. vltimo cap. 24. q. 1. ſed hoc non habetur in Iure, ergò &c.

Suar. Confirmatur ex Suario loco citat. nu. 9. quia neque ex vſu habetur, quòd Eccleſia hanc poteſtatem conceſſerit laico, & cum videatur per ſe odioſum, quòd ſpiritualia per laicos miniſtrentur, vt conſtat ex cap. *decernimus de iudicijs*, & cap. *ſi vero de ſentent. excom.* & cap. *bene quidē* 96. diſt. non eſt propter ſolas congruentias ſine ſolido fundamento extendenda huiuſmodi facultas ad Laicos.

Dixi *probabilius*, quià non deſunt multi affirmantes quemcunque Clericum primæ tonſuræ deficiente Sacerdote, & maximè ſi ſit Vicarius Epiſcopi, licèt moriturus non eſſet ei ſubditus, debere abſoluere (conformantes ſe cum opinione probabili) a prædictis cenſuris. Ratio autèm huius probabilitatis hæc affertur: in articulo mortis concedit Eccleſia facultatem abſoluendi à peccatis omnibus cuicunque Sacerdoti, quia eſt capax huius facultatis, ergò etiam rationabiliter præſumitur dare facultatem abſoluendi ab excōmunicatione cuicunque Clerico primæ

ton-

tonſuræ, ſiquidèm eſt capax huius poteſtatis; & abſolutio illa plurimùm prodeſſe poteſt, vt tuta conſcientia abſolutus ſepeliri valeat in Eccleſia, poſſintquè pro eo ſacrificia offerri.

Suffragantur huic parti Gloſ. cap. *Paſtoralis* § *Præterea de officio ordinarij*. Panormit. ibidem. Felinus cap. *à nobis* el ſegondo *de ſentent. excom.* Angelus verbo *abſolutio 3.* num. 39. & exſtimatur etiam probabilis ab Auila citato dub. 3. concl. 1. & à Sanchez tom. 1 in præcept. decal. lib. 2. ca. 13. licèt & ipſe contrariam opinionem probabiliorem putet, & num. 13. addit hæc, quæ ſubnectam. *Immo & deficiente Clerico crederem laicum debere abſoluere à prædicta excõmunicatione. Ducor 1. quia multi graues auctores dicunt poſſe tunc laicum, quos refert Suarez ea ſect. 6. num. 4. & vltra illos docent D. Antonin. 3. parte tit. 17. capit. 4. caſu 7. Ledeſma 2. parte quaſt. 26. art. 1. verſ. ſed haſitabis, Margarita Confeſſ. fol. 139. Bartholomeus à Ledeſma de Sacramentis, vbi dè excom. dub. 14. ducantur q; optima ratione congruenti; cum ergò ea opinio non ſit probabilitate deſtituta, poteſt, ac debet amplecti in caſu tanta neceſ-*

Gloſ. Panormit. Felin. Angel. Auila. Sanch. Suar. D. Anton. Ledeſm. Marg. Confeſſ. Bart. à Ledeſ.

ſitatis, vt eam ſequendo poſsit ille in loco ſacro ſepeliri, & vt pro eo ſacrificia offerantur. Quotiès tamèn abſolutio à Sacerdote obtenta non eſt, expedit valdè, vt poſt mortē obtineatur ab eo, cui excommunicatio reſeruata erat, quia ſi opinio aſſerens, poſſe non Sacerdotem, vera non ſit, nec ille abſoluens habeat iuriſdictionem ratione communis erroris iuxta l. Barbarius ff de officio Prætoris, qui exiſtimat probabiliter illum non Sacerdotem abſoluere poſſe, carebit valore abſolutio, ac proindè non proderunt ſuffragia publica Eccleſia abſoluto. Hæc citatus Sanchez.

Quęritur vigeſimoquartò, quis teſtatur Sacerdoti moribundū petijſſe confeſſionē, vel dediſſe ſigna contritionis, ſed hic, dùm ſic teſtatur, abeſt à moribundo, Sacerdos poſt acceptum huiuſmodi teſtimonium accedit ad talem moribundum, an poſſit illum conditionalitèr abſoluere abſente illo teſte.

Pro parte negante videtur eſſe Decretum Clementis VIII. editum die 20. Iunij 1602. in quo damnatur tanquam falſa, temeraria, & ſcandaloſa iſta propoſitio. ſ. licere per litteras, ſeu per internun-

Decret. Clem. VIII

cium

cium confeſſario abſenti peccata Sacramentalitèr confiteri, & ab eodem abſente abſolutionē obtinere. Damnare enim videtur Pontifex vtrumque membrum, ſcilicèt, licere per litteras, ſeu per internūcium confiteri confeſſario abſenti, & licere abſolutionem dare abſenti.

In caſu autèm propoſito confeſſio facta eſt abſenti per internuncium; & quòd verba dicti Decreti accipienda ſint in ſēſu diuiſo, & non compoſito, ita vt damnetur non ſolùm abſolūtio abſente pœnitente, ſed etiàm confeſſio abſente confeſſario, docent plures, & grauiſſimi Theologi, quos citat, & ſequitur Diana par. 3. tract. 3. reſol. 7. Diana.

Huic opinioni fauet Coninch. diſput. 7. dub. 10. vbi pro 2. concl. hæc habet. *Si moribundus ante aduentum Sacerdotis oſtēderit ſigna pænitentiæ, & petierit confiteri, et ipſo Sacerdote adueniente omnē vſum rationis perdiderit; ita vt ipſo præſente nullū ſignum doloris poſſit oſtendere, ſi tamen præſentes teſtentur ipſum dediſſe ſigna pœnitentiæ, & petÿſſe confeſſionē, & periculum ſit in mora, poteſt à præſente Sacerdote abſolui.* perpende verba illa reſtrictiua, *ſi ta-* Conin.

men præſentes teſtentur; ex quibus ſatis in dicatur, ſi præſentes non teſtentur, abſolutionem non eſſe impendendam. Et idẽ colligitur ex ratione quam affert dictus auctor dicta concluſione. *Quia* (inquit) *cum talis oſtendat exterius ſe dolere de peccatis, ac velit confiteri, petatquè in hunc finem Sacerdotem accerſiri, generatim iam incipit confiteri, ſimiliter ferè, ac is, qui per interpretem confitetur, dum huic ſua peccata dicit, vt Sacerdoti deinde ea explicet: quarè dum adſtantes poſteà Sacerdoti præſenti pœnitentiam, & deſiderium moribundi explicant, inſtar interpretum ipſius cõfeſſionem Sacerdoti exponunt, atque ipſe per hos Sacerdoti iam præſenti confitetur, atquè ita ſufficientem materiam abſolutionis præbet.* Hæc Coninch.

Pro parte affirmante, ſcilicèt quod Sacerdos poſſit abſoluere moribundũ præſentem, ſed ſenſibus deſtitutum, ſi teſtes fidem fecerunt eidem Sacerdoti talem infirmum dediſſe ſigna contritionis, etiam ſi hi teſtes, dum ſic teſtantur, non ſint præſentes infirmo; Diana cit. reſolut. 7. affert Filliucium, Bonacinam, Fernandez, Zambranum, & alios, & ipſe etiam exi-

Diana. Filliuc. Bonac. Fernand. Zamoran.

ſtimat

ſtimat hanc opinionem probabilem eſſe.
Reſpondeo eandem mihi placere, vtpotè animarū ſaluti fauorabilem, niſi adſit aliqua expreſſa declaratio Pontificis pro prima ſententia, qua extante illa ſine dubio tenenda eſt, ſed nunc extare mihi non conſtat. Ducor 1. auctoritate prædictorum Doctorum, & aliorum, quos conſului. 2. quia in Concilio Arauſicano, in Carthag. 3. & 4. ſolùm exigitur, vt aliqui teſtimonium ferant de ſignis contritionis, & voluntatis confitendi ab ægroto exhibitis, vt poſſit Sacerdos ſuperueniens illum abſoluere ſenſibus deſtitutum, nec requirunt hæc Concilia, vt teſtes ſint præſentes infirmo, cum fidem de dictis ſignis faciunt Sacerdoti. Idem etiam habetur in Rituali Romano, cuius verba, ſicut & prædictorum Conciliorum retuli ſupra in reſponſo quæſiti 17. & aliquæ rationes ex ibi adductis, ſi benè perpendantur, huic etiam parti ſuffragari poſſunt.
Conc. Arauſic. Carth.
Rit. Rom.
Ad fundamentum autem primæ opinionis non deſunt grauiſsimi Theologi, qui intelligunt prædictum Decretum Clementis VIII. in ſenſu compoſito, ſeu copulatiuo. Vide Beccanum de Sacramen-
Beccan.

Illſinc. tis cap.37.quæſt. 8. & Filliucium tom. 1. tract.7.cap.1.num.20.vbi in fine ſubdit, quòd hæc declaratio, ſcilicet in ſenſu copulatiuo, donèc maior lux accedat, retineri poteſt, ſubijciendo omnia Pontificiæ cenſuræ.

Quæritur vigeſimoquintò, vtrùm conſtitutus in periculo, vel articulo mortis teneatur per ſcriptum confiteri, cum non poſſit alitèr, quia ipſe vel loquelam amiſit, vel adſtans Confeſſarius eſt ſurdus.

Reſpondeo partem affirmantem probabiliorem, & tutiorem eſſe. Probatur primò, quia ſi multi Doctores, quos citat, Suar. & ſequitur Suarius tom. 4. in 3. partem diſp.26. ſect. 6. num. 7. etiam extra illud periculum affirmant obligationem eſſe confitendi, vt impleatur præceptum de confeſſione facienda annuatìm præſcriptùm, cum non poſsit nutibus ſufficientèr explicari conſcientia, non enim magnum eſt incommodum, vel damnum timendum ex tali ſcripto, & periculum manifeſtationis vitari facilè poteſt; tùm quia pœnitens poteſt in vna charta ſcribere ſpecies peccatorum, & in alia varios numeros,

meros, & poſteà in confeſsione oſtendere peccatum, & numerum, vt docet Caiet. in ſum. verbo Confeſsio, vel vt tradit Petrus Soto lect. 11. de confeſsione, non anteà ſcribat pœnitens, ſed coram Sacerdote, & ſtatim ac confeſſus eſt, ſcindat chartam, ergò multò magis id præſtandum erit imminēte morte, vt caueatur damnationis periculum, obligat enim tùnc charitas propria, vt tutiori, & efficaciori modo ſalus æterna curetur. Fauent nobis Filliuc. tom. 1. tract. 7. cap. 4. num. 63. & Vaſquez tom. 4. in 3. partem quæſt. 91. art. 5. dub. 5. *Caiet.* *Petr. Soto.* *Filliuc.* *Vaſquez.*

Quæritur vigeſimoſextò, vtrùm vrgente periculo mortis teneatur homo cōfiteri per interpretem.

Reſpondeo primò, cum communi & vera ſententia non teneri hominem neque in articulo mortis ad confitendū per interpretem, vt ſatisfaciat præcepto Eccleſiaſtico. Ratio eſt, quia confeſsio publica nullo iure Eccleſiaſtico præcipitur, vt conſtat ex cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, ſed confeſsio, quæ fit per interpretem, eſt aliquo modo publica, ergò &c. Immò nec præciſa obligatio præcepti diuini, quo

iniungitur confeſsio facienda homini in articulo mortis, ſe extendit ad confeſsionem per interpretem, vt ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. capit. 5. colligitur, & benè notat Suar. to 4. in 3. partem diſp. 26. ſect. 6. n. 3. & ſequitur Filliucius tom. 1. tract. 7. ca. 3. num. 62.

Trid. *Suar.* *Filliuc.*

Reſpondeo ſecundò, veriſsimè à multis admitti eum, qui in articulo mortis dubitat ſe non eſſe contritum, & non poteſt alitèr confiteri niſi per interpretem, teneri tùm ex obligatione pœnitentiæ, ſeu ſatisfaciendi Deo, tùm ex obligatione charitatis, & curandi propriam ſalutem. Sed

Quæritur vigeſimoſeptimò, an qui in articulo mortis conſtitutus exiſtimat ſe eſſe contritum, teneatur per interpretem confiteri.

Negant communitèr Doctores; ita Suar. cit. ſect. 6. num. 5. Filliuc. præallegato loco, & Diana parte 3. tract. 4. reſolut. 129. quià talis confeſsio non videtur tùnc moralitèr neceſſaria ad ſalutem, nec Deus videtur cum tanto rigore exigere huiuſmodi ſatisfactionem.

Suar. *Filliuc.* *Diana.*

Reſpondeo mihi videri adhùc ex obligatio-

gatione charitatis, qua tenetur vnuſquiſque euitare maximè in extremo vitæ omne periculum damnationis, adſtringi hominem ad aliquam Sacramentalem confeſsionem faciendam per interpretem, ſi ſciat ſe eſſe reum peccati mortalis admiſſi, poſtquam vltimò confeſſus eſt.

Ducor, quia cum illa probabili exiſtimatione poteſt eſſe, quòd à parte rei homo non ſit contritus; dato autem quod ita res ſe haberet, ſi in tali ſtatu decederet non ſuſcepto Sacramento pœnitentiæ, aut Euchariſtia, aut extrema vnctione, damnaretur, ergò obligatio propriæ charitatis, qua homo tenetur cauere periculum damnationis, & quantum fieri poteſt, in tuto ponere ſuam ſalutem, adſtringet ad aliquam Sacramẽtalem confeſsionem faciendam per interpretem in tali caſu, vt ſi fortè ſit attritus tantùm, fiat contritus, & iuſtificetur; & licèt ſecundum communem ſententiam hoc etiam præſtare poſsit Euchariſtia, & extrema vnctio, quandò ex parte ſuſcipientis non ponitur obex, nihilominùs tutior & expeditior via eſt ad iuſtificandum hominem attritum tantùm, confeſsio Sacramentalis.

lis. Adde quòd & dignitas Euchariſtici Sacramenti exigit, vt homo ſeipſum probet, & curet, quantùm poteſt, vt cum gratia accedat ad illud Sacramentum. Pręterea cum in prædicto caſu abſolutè teneatur Deo ſatisfacere, meritò obligabitur, vt ei ſatisfaciat, ad aliquam confeſsionẽ faciendam per interpretem, cùm hæc vel nullum, vel leuiſsimum incommodum afferat, vt mox videbimus.

Dixi, *aliquam Sacramentalem confeſsionem*, quia in tali caſu cum non teneatur infirmus facere confeſsionem integrã formalitèr, ſed materialitèr, vel poterit cõfiteri ſolùm ea peccata, quæ ſunt cum minori infamia, vt tradunt Suar. citat. Nugnez in addit. ad 3. partem quæſt. 9 artic. 3. diff 1. ad argumentum primum, & alij: vel poterit cõfiteri aliqua peccata venialia, & generatim omnia mortalia; dicendo ſe accuſare de omnibus peccatis, quibus Deum offenderit, vt docent Coninch. de Sacram. diſp. 5. dub. 10. num. 77. & Molfeſius in ſum. tom. 1. tract. 7. capit. 11. num. 12.

Suar.
Nugn.
Coninch.
Molfeſ.

Dixi, *ſi ſciat ſe reum eſſe peccati mortalis admiſsi, poſtquam vltimò confeſſus eſt*;

quia

quia ſi nullum commiſiſſet peccatum ab vltima confeſsione, licèt poſtea recordetur alicuius, quod ex obliuione inculpabili non eſt confeſſus, non teneretur in articulo mortis illud per interpretem cōfiteri, quia per vltimam confeſsionem fuit abſolutus. Adde quòd notabilitèr minuitur onus confitendi per interpretē, quia hic etiam ad ſigillum confeſsionis ſeruandum tenetur, quod proponi poterit infirmo, vt ſic faciliùs alliciatur ad ſic confitendum.

Quę in reſponſis huius, & præcedentis quæſiti dicta ſunt, conſequentèr procedant etiàm in caſibus, in quibus infirmus, vel cōſtitutus in periculo mortis nō poſſet exprimere voce peccata ſua, quià ab alijs vicinis audiretur, vt accidere poteſt ijs, qui in naui reperiuntur imminente naufragio, vel ei, qui iacet in eodem lecto cum alijs; quod aliquandò ægrotantibus in Noſocomijs, & in pauperum ædibus priuatis euenit.

Quæritur vigeſimo octauò, Sacerdos ſuperueniēs infirmo extremos halitus efflanti, accèpta ab eo ſufficienti materia, dicit, *Abſoluo*, nec addit, *Te*, an ſit valida talis abſolutio.

Parti

Domin. Sot. Parti affirmatiuæ videtur fauere Dominicus Soto in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 5. §. Poſtremum tandem dubium; vbi dicit quòd in articulo mortis, quandò periculum eſt, ne moriatur abſque abſolutione Sacramentali, poſſet Sacerdos cum intentione abſoluendi ſimul à Cenſuris, & peccatis proferre verbum, *Abſoluo*; quod ſufficeret.

Reſpódeo ſolũ verbũ, *Abſoluo*, nó eſſe ſatis pro forma eſſentialitèr requiſita ad Sacramentum pœnitentiæ; ratio eſt, quia verbum illud, *Abſoluo*, non habet vim ſignificandi, vel ſupponendi pro perſona, quæ abſoluitur, nec valet dicere, quòd licèt verbum prędictum ex ſe ſit indifferens ad ſignificandam abſolutionem huius, vel illius hominis, tamèn ſufficientèr determinatur ex circumſtantijs præſentibus ad ſignificandam abſolutionem huius, qui ſe accuſauit, & petijt veniam, non valet (inquam) hoc dicere, quia ſi ex circumſtantijs verbum, *Abſoluo*, hic, & nunc ſignificet abſolutionem huius perſonæ, tunc sẽſus, & ſignificatio non tribuitur ſoli verbo, *Abſoluo*, ſed etiam circumſtãtijs, quæ particularitèr concurrunt ad ſignificatio-

nem,

nem, Chriſtus autem voluit formam huius Sacramenti eſſe talem, vt ſecundùm ſe ipſa verba ſufficientèr ſignificarent.

Quæritur vigeſimononò, an remaneat Sacramentalitèr abſolutus moribundus, qui animam efflat, dum à Sacerdote præſenti, cui ſufficientem materiam præbuerat, proferuntur verba, *Abſoluo te*, ſed nondùm pronunciata ſunt poſtrema illa verba, *à peccatis tuis*.

Reſpondeo, ſi anima prędicti moribundi non fuit à corpore ſeparata, dum Sacerdos compleuit illa verba, *Abſoluo te*, & nihil aliud obſtitit, validum fuiſſe Sacramentum pœnitentię. Ratio eſt, quià ſecundùm communiorem & veram ſententiam, illæ duæ voces, *Abſoluo te*, ſufficiunt ad valorem Sacramenti. S. Tho. 3. parte quæſt. 84. art. 3. D. Antonin. Caiet. Syl-ueſtr. Nauar. & alij, quos citat & ſequitur Suarez tom. 4. in 3. partem diſput. 19. ſect. 1. num. 2. & alij. Fauet Catechiſmus Pij V. de Sacramento pœnitentiæ nu. 5. vbi dicitur, *Forma huius Sacramenti eſt, Ego te abſoluo*. Et ratio eſt, quia verbum illud, *Abſoluo*, ſicut verbum, *remitto*, habet ex ſe ſufficientem vim ad ſignificandam

D. Tho. D. Anton. Caiet. Syl-ueſtr. Nau. Suar. Catechiſ. Pij V.

abſo-

abſolutionem à vinculis, ſeù remiſſionem debiti, licèt nihil aliud addatur. Vndè in oratione Dominica dicimus, *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*; nec addimus, quod eis dimittimus. Et Io: 11. dixit Christus diſcipulis loquens de Lazaro, *Soluite eũ, et ſinite abire*, neque addidit, à vinculis; ſic etiàm ex vſu loquendi ſufficientèr quis intelligitur condonare iniuriam alicui, ſi dicat, ego tibi remitto, vel tibi condono, ergò eodem modo loquens Sacerdos nomine Dei offenſi, & dicens, ego *remitto*, vel *condono*, aut *ego te abſoluo*, quod idem eſt, ſufficientèr ſignificat remiſſionem offenſæ, vel debiti ex peccato reſultantis.

Io.

Adduntur ergò illa verba ex laudabili conſuetudine, *à peccatis tuis*, ad clariùs ſignificandùm, quod per priora verba, *Abſoluo te*, fuerat ſignificatum.

Quæritur trigeſimò, vtrùm imminente morte poſsit Sacerdos iiſdem verbis, *Abſoluo te*, abſoluere à Cenſuris, & à peccatis ſimul.

Reſpondeo Sacerdotem, qui in dicto caſu intendit abſoluere ſimul à cenſuris, & à peccatis, ab vtriſque abſoluere, Ita

Auila

Auila 2. parte cap. 6. diſp. 3. dub. 4. antequàm referat primam opinionem; & nota ſimul quidèm tempore eſſe vtramque abſolutionem, licèt prior natura ſit abſolutio à cenſuris, quàm à peccatis, vt benè cum Suar. aduertit Bonac. de cenſuris diſp. 1. quæſt. 3. puncto 5. num. 3. ſi verò ſuperuiuat infirmus, poſtquàm Sacerdos protulit illa verba, *Abſoluo te*, poterit addere, *ab omnibus cenſuris, & à peccatis*, licèt non ſit neceſſarium, vt conſtat ex dictis in ſolutione quæſiti 29. Auilà. Suar. Bon.

Quæritur trigeſimoprimò; Si Sacerdos videns infirmum adeò morti proximum, vt timeat non eſſe tempus illum abſoluendi prius à cenſuris, quàm à peccatis, & ignorans quod iiſdem verbis, *Abſoluo te*, poſſit ab vtriſque ſimul abſoluere, an validè abſoluat à peccatis tantũ, à quibus intendit abſoluere proferendo verba, *Abſoluo te*: ſupponitur autẽ, quòd talis infirmus dederit ſufficientem materiam.

Reſpondeo cum Auila 2. parte cap. 6. diſp. 3. dub. 4 quem ſequitur Bonac. citatus, validam in tali caſu eſſe abſolutionẽ peccatorum datam antè abſolutionem à cen- Auila. Bonac.

cenſuris; non enim credibile eſt piam, benignamquè Eccleſiam matrem velle priuare hominem pœnitentem beneficio abſolutionis in tali anguſtia.

Quæritur trigeſimoſecundò, an Confeſſarius audita confeſſione alicuius grauitèr ægrotantis, dubitans an ille verè ſit attritus, poſsit ſub conditione vel verbis expreſſa, vel mente intellecta illum abſoluere.

In plùribus caſibus euenire poteſt, vt Confeſſarius dubitet de ſufficienti diſpoſitione illius infirmi, cuius confeſsionem audit. Primò ſi talis infirmus laborat febri adeo vehementi, vel alio capitis dolore, vt prudenter dubitari poſsit, an ſit mentis compoſ. Secundò, quando fatetur peccata quaſi quodam modo hiſtorico, & non poteſt certo conſtare, an ex propria voluntate confiteatur, vel ex motiuo humano propter aliquod commodum temporale, vel vt ſatisfaciat amicis, vel parentibus, vel ipſi Confeſſario, vel alijs, qui eum rogant, vt confiteatur.

Suppono primò, contritionem perfectam vel ſaltem imperfectam, quæ attritio dicitur à Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. Trid.

eſſe

eſſe partem eſſentialem Sacramenti pœnitentiæ; & ratio eſt, quia cum hoc Sacramentum inſtitutum ſit per modum iudicij, requirit accuſationem, accuſatio enim non eſt nuda narratio peccatorum, aliud eſt enim narrare, aliud accuſare; debet ergò eſſe doloroſa, & ex odio delicti promanare. Præterea, cum per Sacramentum pœnitentiæ homo intendat cũ Deo reconciliationem, debet relinquere auerſionem, qua ſe à Deo per peccatum auerterat, quod fit per contritionem, aut attritionem, quæ eſt retractatio prioris voluntatis peccaminoſæ, & conuerſio voluntatis ad Deum. An verò vt probabile ſuſtineri poſſit, quòd attritio non vera, ſed exiſtimata vera ex ignorãtia inuincibili; ſeu inaduertentia, ſufficiat ad valorem ſolum Sacramenti, & non ad fructum eius, conſtabit ex infradicendis quęſito 47.48.& 49.

Suppono ſecundò in prædictis, vel ſimilibus caſibus diligentèr eſſe curandum à Confeſſario, vt inducatur ille infirmus ad contritionem, vel attritionem, quod ſi tunc obtineri non poſſit, differatur abſolutio vſquè ad aliud tempus, niſi peri-

culum imminentis mortis vrgeat, quo vrgente

Reſpondeo Confeſſarium, qui apertè agnoſcit infirmum carere neceſſaria diſpoſitione vt abſoluatur, nullo modo poſſe illi abſolutionem impendere, quia iniuriam Sacramento faceret applicando formam, vbi materia non eſt. Si verò omnibus diligentèr perpenſis dubitatur de neceſſaria diſpoſitione, quia pro vtraque parte ſunt aliqua indicia, dico tunc eſſe conditionalitèr abſoluendum infirmum, imminente vt diximus periculo mortis. Suadetur hæc pars iiſdem argumentis, quæ ſupra attulimus in ſolutione quæſiti. 20.

Aduerte in his, & ſimilibus caſibus, quandò dubitatur de valore Sacramenti, Confeſſarium iniungere debere tali pœnitenti, vt quandò conualuerit, iterùm peccata ſua confiteatur.

QVAERITVR trigeſimotertiò, vt: ſi Cófeſſarius eo modo, quo procedit cum pœnitente ſano habente occaſionem peccati, debeat etiam procedere cum infirmo grauitèr laboranti, qui ſimilitèr ſit in occaſione peccati.

In hac

In hac materia,quæ valdè difficilis eſt, varijs reſponſis procedemus,prout variæ ſunt regulæ, quæ ab auctoribus traduntur circa obligationem remouendæ occaſionis peccandi, quę duplex eſt, remota, & proxima. Proxima dicitur, quia inter illam, & peccatum nihil videtur mediare propter quandam coniunctionem moralem, quam habere videtur cum peccato, vndè definiri, ſeu deſcribi poteſt, quòd ſit talis ex ſuo genere, qua numquam, vel ferè numquam vtimur conſideratis circumſtantijs abſquè peccato nouo, vt qui retinet concubinam domi, rarò vel nunquam deſinet peccare oblata occaſione. Remota verò dicitur, quæ non ita eſt coniuncta cum peccato, & nō ita frequentèr inducit hominem ad peccandum. hoc poſito

Reſpondeo primò pœnitentem quantumuis infirmum, vel in extremis laborantem eſſe abſoluendum, ſi tantùm occaſionem peccati remotam habeat, nec illi eſſe iniungendum à Confeſſariò, vt ſi conualeſcat, relinquat negotiationem, vel artem, vel aliquam conuerſationem, quæ occaſionem aliquam plurièsp eccan-

di illi afferre conſueuerat. Probatur, quia alioquin deberemus omnes de mundo
2. ad Corinth. 5. exire iuxta illud Pauli 2. ad Corint. 5. nã ferè in omnibus ſtatibus eſt occaſio peccati remota, vel ſaltèm oporteret hominem in eremum abire, vt ſe ab omni com-
Leo Papa. mercio ſubtraheret. Confirmatur, nam Leo Papa in cap. *qualitas*, & in cap. *contrarium de pœnit. diſt.* 5. ait negotiationem, aut militiam non poſſe niſi difficillimè exerceri abſque peccato, & tamen certum eſt non obligari mercatorem, aut militem ad relinquenda hæc officia;
Luc. 3. vnde S. Io. Baptiſta non conſulit militibus relinquere militiã, ſed obſeruare legem ipſius ſtatus. Ex hac doctrina inferũt aliqui auctores abſoluendum eſſe iuuenem, qui verſatur cum feminis laborando, vel conuerſando, quæ in eadem domo non habitant, licèt ex tali occaſione peccauerit mortalitèr cogitatione, tactibus, vel conſenſu, dummodò habeat animum hìc, & nunc, dum confitetur, non peccandi in poſterùm, quia illa non cenſetur occaſio proxima, ſed remota; nequè enim ex tali occaſione ſempèr, aut ferè ſempèr ſolent homines peccare mortali-

tèr, nec, vt dixi, obligandus eſt homo ad euitandum commercium.

Reſpondeo ſecundò, ſi occaſio peccandi eſt proxima, teneri hominem ſiue infirmum, ſiue ſanum eam remouere, quotiès ſine ſcandalo, vel graui incommodo poteſt, alioquin non eſſe abſoluendum. Ratio eſt euidens, quia ille, qui vult manere in illo periculo morali labendi, non videtur habere propoſitum efficax non peccandi, ex obligatione enim vitandi peccatum mortale videtur ſequi obligatio vitandi id, quod inducit vel ſempèr, vel ferè ſempèr ad peccandum; e. g. ſi quis quotiès ludit, ſempèr blaſphemare, & peierare conſueuit, hic ſiue infirmus, ſiue ſanus non eſt abſoluendus, niſi habeat firmum propoſitum abſtinendi à ludo, qui illi eſt proxima occaſio peccandi, ſecùs autèm dicendum, ſi non totiès, quotiès ludit, ſed aliquandò tantùm blaſphemaret, vel peieraret.

Reſpondeo tertiò, ſi occaſio non poſſit remoueri ſine ſcandalo, ſeu nota infamię, & pœnitens ſiue infirmus, ſiue ſanus maximè doleat de peccatis admiſſis, & paratus ſit ceſſante illo ſcandalo remouere

occaſionem, eſſe abſoluendum. Ratio
D. Baſil. eſt, quia occaſio illa non cenſetur volita,
ſed illata; vnde egregiè D. Baſilius in
conſtitutionibus monaſticis capit. 4. ait
*Qui vrgenti aliqua cauſa, & neceſsitate
ſe periculo obijcit, vel permittit ſe eſſe in
illo, cum tamèn altàs nollet, non tam dici-
tur amare periculum, quàm inuitus illud
ſubire*. & expreſsè pro re noſtra facit cap.
Conſultationi de frigidis, vbi permittun-
tur coniugati, quorum coniugium eſt oc-
cultè irritum, habitare tanquàm fratres,
licèt periculum eſſet tactuum inhoneſto-
rum, ad vitandum ſcandalum, & propriã
infamiam. Suffragantur huic parti D.
D. Thom. Tho. 2. 2. q. 10. art. 9. in fine corporis. So-
Sotus. tus lib. 5. de iuſt. q. 1. art. 6. concl. 2. Na-
Nau. uar. in ſumma latina cap. 3. nu. 14. Hen-
Henriq. riquez lib. 4. de pœnit. cap. 14. num. 4.
Suar. Suar. tom. 4. in 3. partem diſp. 32. ſect. 2.
Reſpondeo quartò regularitèr loquẽ-
do præcipuè infirmum, & eò magis mor-
ti proximum non eſſe abſoluendum, niſi
remoueat occaſionem proximam, vel cõ-
ſentiat, vt illa remoueatur, etiam ſi illi
ſubeundum ſit aliquod incommodum tẽ-
porale, quandò ſæpiùs expertus eſt, ſe ex
tali

tali occaſione relapſum fuiſſe in peccatū. Fauent nobis Suar. dicta ſect. 2. in fine. Graffius in deciſionibus part. 5. lib. 5. cap. 28. num. 23. Probatur primò, quia ex illa experientia argui poteſt pœnitentem carere vero dolore, & propoſito requiſito; qui enim efficacitèr proponit, & feriò ſtatuit aliquid facere, vel ab aliquo abſtinere, non ita facilè peruertitur, ſed ſaltèm aliquo tempore perſeuerat, & aliquibus vicibus à peccato, cuius patrandi occaſionem habet, ſe abſtinet. Probatur ſecundò, quia infirmus, & maximè morti proximus tenetur tùnc euitare maiori diligentia peccata, tùm ne illis offendatur Deus, quem tùnc maximè diligere debet, tùm ex charitate, qua ſe ipſum diligere tenetur, atquè adeò ſalutem animæ ſuæ quat. tùm poteſt in tuto ponere, ergò hic cum temporali incommodo, maximè cum ſit exiguo tempore perferendum, remouere tenetur illam occaſionem proximam peccati, à qua experimento infelici didicit inductum fuiſſe ſępiſſimè ad relabendum in peccata, alioquin non videtur ſufficientèr diſpoſitus ad ſacramentalem abſolutionem recipiē-

Suar. Graff.

dam. Quare e. g. non eſt iudicandus ſufficientèr diſpoſitus infirmus, qui domi detinet famulam, cum qua vel copulam, vel tactus impudicos habere conſueuit, licèt alioquin illa ſit valdè apta, & vſu docta ad illi inſeruiendum in tali infirmitate, debet enim aliam quærere, etiam ſi non eſſet adeò idonea.

Ex dictis in hoc & præcedenti quæſito benè perpenſis, quid in multis peculiaribus caſibus decernendum ſit, prudens Confeſſarius iudicabit; plurimùm enim hac in re prudentia Confeſſarij valet, vt notat Suar. cit. ſect. 2.

Suar.

QVAERITVR trigeſimoquartò, quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cũ infirmo, qui eſt in concubinatu notorio.

Reſpondeo primò, ſi cócubinarius notorius non eijciat priùs concubinam, dũmodò moralitèr poſſit, non eſſe abſoluendum neque in mortis periculo, ſeu articulo. Ita Sayr. in Claui Regia lib. 8. cap. 3. nu. 9. Filliuc. tom. 2. tract. 30. cap. 2 num. 56. & communitèr DD. patet partim ex dictis in 2. & 4. reſponſo 33. quæſiti, & partim ex materia de ſcandalo; cum enim concubinatus ſit opus, quod

Sayr. Filliuc.

ſpectata

ſpectata communi hominum infirmitate ex ſe poteſt alios inducere ad peccandũ, tenetur homo illum remouere, ſi enim charitas nos obligat, vt quantùm moralitèr poſſumus, impediamus peccatum proximi, multò magis nos obligat, ne illi ſpontè demus occaſionem peccari.

Dixi *ſi moralitèr poſſit*, quia ſi nõ adeſſet tempus eijciendi priùs concubinam, & mors infirmo proxima immineret, & ille verè pœniteat, nec per ſe ſtet, vt concubina è domo exeat, abſoluendus erit. Curandum tamèn erit, vt concubina in conſpectu infirmi, & adſtantium non appareat, vt quantùm fieri poſſit, occaſio peccati, & ſcandali tollatur.

Reſpondeo ſecundò, ſi concubina decumbat infirma in domo cõcubinarij notorij, niſi è tali domo in aliam priùs aſportetur, eam non eſſe abſoluendam, nec vlla moralis impotentia excuſet. patet ex dictis in præcedenti reſponſo, eadem enim militant etiam in hoc caſu.

Dixi *nec vlla moralis impotentia excuſet*, quia ſi adeſſet euidens periculum accelerandæ mortis in tali aſportatione, & de cætero ſigna veræ pœnitentiæ oſtenderet,

deret, & parata eſſet cõcubina parere Cõfeſſario in ijs, quæ ille neceſſaria iudicaret, tunc abſolui poterit. Si verò ceſſaret euidens periculum accelerandæ mortis, aſportanda eſſet concubina, etiam ſi aliquod incommodum temporale ſubire deberet ex tali aſportatione, grauis enim obligatio auferendi ſcãdalum vrget in tali caſu: vndè ſi daretur caſus, in quo nullum morale periculum eſſet concubinario, vel concubinæ ex tali cohabitatione ſimul, adhùc ſola obligatio euitandi ſcandalum adſtringeret ad talem ſeparationem executioni mandandam.

Quę dicta sũt de cõcubina iacente in domo cõcubinarij, militãt ſimilitèr de cõcubinario iacẽte infirmo in domo cõcubinę.

Quaeritur trigeſimoquintò, vtrùm meretrix ægrotans in lupanari, ſi pœniteat, poſſit abſolui, an verò priùs extrahenda ſit ab illo infami loco.

Reſpondeo, niſi moralis impotentia excuſet, prius extrahẽdã eſſe, inter enim alia verę pęnitentię ſigna eſt diſceſſus ab illo perditionis loco, tum vt occaſio reincidẽdi, tùm vt ſcãdalũ tollatur. patet ex adductis in vtroque reſponſo præcedẽtis quęſiti.

Dixi

Dixi *niſi moralis impotentia excuſet*, verbi gratia quia non adeſt tempus diſcedendi, & imminet mors, vel eſt euidens periculum accelerandę mortis, tùnc enim adhibita omni circumſpectione ad præcauenda peccata iuxta iudicium prudentis Confeſſarij, poterit abſolui dicta pœnitens, & conſequentèr Eccleſiaſtica ſepultura non erit ei deneganda: ſi verò ſolùm aliquod incommodum temporale ex diſceſſu à tali loco timeretur, illud poſtponendum eſſet propter rationes allatas in fine ſecundi reſponſi præcedentis.

QVAERITVR trigeſimoſextò, quomodo ſe gerere debeat Cõfeſſarius accerſitus ad audiendam confeſſionem feminæ in propria domo ægrotantis, quæ non paſſim omnibus, ſed aliquibus copiam ſui corporis facere conſueuit.

Reſpondeo, ſi non vrgeat periculum proximæ mortis, maximè ſi hæc femina aliàs emendationem vitę vel ipſi Confeſſario, vel alijs promiſit in ſimili infirmitatis occaſione, vel tempore Paſchatis, ſed tranſacta infirmitate, vel Paſchalibus feſtis peccati vomitum reaſſumpſit, differendam eſſe per aliquot dies abſolutio-

nem, tùm ad explorandum meliùs perfectum propoſitum pœnitentis, tùm vt tali dilatione meliùs illa dignoſcat ſtatũ periculi, in quo verſatur, & ita faciliùs reſipiſcat.

Ratio à priori eſt, quia Confeſſarius non ſolùm Iudicis munus, ſed etiam medici ſpiritualis debet exercere: vndè in proferenda abſolutione licèt principalitèr fungatur munere iudicis abſoluentis pœnitentem diſpoſitum debet tamèn ſimul procurare vt medicus in ipſa abſolutione curationem pœnitentis, eo videlicèt modo abſoluendo, qui magis cedat in vtilitatem, & remedium ægroti, ſed quandoquè dilatio abſolutionis, vt in præſenti caſu, cedit in vtilitatem pœnitẽtis, ergò &c.

Dixi *ſi non vrgeat periculum &c.* nam ſi timeretur vel mors proxima, vel phreneſis, vel ſenſuum deſtitutio, ſi verè pœniteat, abſoluenda erit; qua in re Confeſſarius tutiorem partem eligere debet, abſoluendo ſcilicèt, ne exponatur periculo damnationis dicta infirma. Tali etiam ſpiritu lenitatis vti debet Confeſſarius, quandò in prædicto caſu, vel ſimili

mili differt abſolutionem, vt caueat periculum deſperationis, aut nimiæ triſtitię, in quam maximè ſuggerente dęmone incidere poteſt pœnitens ob dilatam abſolutionem.

Dixi *maximè ſi hæc femina aliàs emendationem vitæ &c.* nam tùnc prudens Confeſſarius meritò magis timere debet huiuſmodi relapſuram ſtatim valetudine recuperata in priſtina crimina, niſi difficultate, & dilatione abſolutionis perterrita meliùs agnoſcat grauitatem, & fæditatem peccati, ac neceſſitatem emendationis, & ſalutaribus monitis excitata non maneat in tãto periculo reincidẽtię.

His poſitis, ſi femina amaſijs ſæpiùs excluſis, alijſquè omnibus occaſionibus proximæ reincidentię remotis iuxta conſilium prudentis confeſſarij, per aliquot dies, ſeriò ſe agere, & verè pœnitere oſtenderit, poterit abſolui.

QVAERITVR trigeſimoſeptimò, vtrùm puer ſeptem annorum periculosè ægrotans teneatur ex diuino præcepto confiteri.

Rèſpondeo, ſi puer vſu rationis polleat, & ſit cõſcius peccati mortalis, à quo

anteà

anteà non fuiſſet abſolutus per Sacramẽtum pœnitentiæ, teneri, ſi ſit in periculo, vel articulo mortis, ex diuino præcepto
Suar. confiteri. Ita Suar. tom. 4. in 3. partem diſp. 35. ſect. 3. cum communi ſententia. Ratio eſt, quia præceptum diuinum obligans fideles, qui poſt Sacramentum Baptiſmi ſuſceptum mortalitèr peccarunt, eſt affirmatiuum, ergò ſaltèm obligare debet in extremo periculo, ſeu articulo mortis, quià ſi tùnc non impleatur, exponitur homo periculo non obſeruandi
Idem illud, & idem Suar. ſect. 2. nu. 4. cit. diſp. 35. docet dicto præcepto diuino obſtringi etiàm pueros cuiuſcumquè ætatis, dũmodò ſint capaces peccati mortalis, ad quod non poteſt certa ætas deſignari, ſed iudicandum relinquitur viro prudenti in caſibus peculiaribus.

Aduerte, cum puer etiam rationis capax diſcernere neſciat inter culpas, quas admiſit, quænam ſint lethalés, regularitèr loquendo tenebitur confiteri in periculo, vel articulo mortis de iure diuino, ſi ſciat ſe aliqua peccata commiſiſſe, quæ nõ ſit confeſſus, ne ſe exponat periculo nõ confitendi aliquod peccatũ mortale.

Quæ-

Qvaeritvr trigeſimo octauò vtrùm puer complens, vel attingens ſeptenniũ, & grauitèr laborans teneatur præcepto Ecc'ſiaſtico confiteri.

Reſpondeo puerum grauitèr ęgrotantem, qui iam ad vſum rationis peruenit, quod communitèr ſeptennio completo accidere ſolet, vt probat Sanchez lib. 1. de matrim. diſp. 16. num. 2. teneri præcepto Eccleſiaſtico confiteri, ſicut & cæteri fideles ex cap. *cum Infirmitas de pœnitentijs, & remiſsionibus*, & ex decreto Pij V. edito anno 1566. incipienti, *Super gregem dominicum*. Probatur, nam in cap. *omnis vtriuſque ſexus de pœniten.* præcipitur vt omnes fideles, cum ad diſcretionis annos peruenerint, ſingulis annis fateantur, ergò ſi ad obligationem annuæ confeſſionis iniunctam præcepto Eccleſiaſtico ſufficiũt diſcretionis anni, ſimilitèr ad confitendum tempore grauis infirmitatis, ad quod obligant Iura Pontificia prædicta, & præcipuè Pij V. ſufficient anni diſcretionis.

Sanch.

Decret. Pij V.

Dixi *grauitèr ægrotantem*, quià non ſolùm in morbis periculoſis, ſed etiàm grauibus, ex quibus cogitur infirmus iacere, obli-

obligat ius Pontificium ad confeſſionem, vt benè notat Sanch. tom. 1. in præcep. decal. lib. 3. c. 16. num. 7.

Sanch.

QVAERITVR trigeſimononò obitèr hac occaſione, an ſi talis puer, vel alius æger monitus à medico nolit confiteri; ſit ab eo deſerendus.

Sanch.

Reſpondeo cum Sãchez tom. 1. in præcepta decal. lib. 3. cap. 16. nu. 10. & alijs, quos citat, non eſſe deſerendum à medico, ſi ex tali deſertione eſſet æger inducendus in mortis periculum. Ratio eſt, quia ordo charitatis exigit, vt ſubueniatur infirmo in tali neceſſitate corporis, & animæ, ne deſperans moriatur, & fortè medico non deſerente ad priſtinam ſanitatem reſtituatur, aut morbo ingraueſcẽte reſipiſcat; & cum hac moderatione intelligendum eſſe ait citatus Sanchez Decretum Pij V. quo iniungitur, nè medici vltra tertium diem infirmum viſitent, niſi per Confeſſarij ſcriptum ipſis de Confeſſione infirmi fides fiat, & nu. 11. idem auctor addit ſimilitèr non eſſe deſerendũ à medico ægrotum, quotiès talis deſertio illi eſſet grauitèr nocitura, quia charitas poſtulat; vt etiam pertinacibus, & obſtinatis

Decret. Pij V.

ſtinatis ſubueniamus in graui neceſſitate; & num. 12. ſubnectit, quòd quandò certò creditur monitionem nil profuturam ob ægri obſtinationem, non teneri medicum admonere, nec eum deſerere, quia Pontifex intendit ſpirituali ęgri ſaluti conſulere, & nil fruſtraneum præcipit: at in hoc caſu fruſtranea eſſet admonitio, nec ad eum finem conducens; & cum eadem limitatione prędſumitur iuramentum pręſtitum à medicis, quandò ad Doctoratus gradum fuerunt promoti.

QVAERITVR quadrageſimò, vtrũ confeſſarius abſoluens infirmum morti proximum rationis compotem debeat illi pœnitentiam iniungere.

Nonnulli docent, ſi ægrotans in extremis vſu ſenſuum polleat, illi exponendum eſſe, quam pœnitentiam mereatur, & imponendum vt, ſi conualuerit, impleat. Fundatur hæc ſententia in cap. *ab infirmis* 26. quæſt. 7.

Alij addunt debere imponi aliquam pœnitentiam præſentem ſcilicèt paruam, quam etiam in illo articulo poſſit morti proximus explere, & ſi poteſt ſatisfacere per eleemoſynas, has eſſe iniungendas,

Google

Reſpondeo prædictas opiniones eſſe optimas, ſed requiri prudentiam Confeſſarij, vt benè ad praxim reducantur; non enim ſempèr expedit morituro mox ſpiraturo licèt ſenſibus non deſtituto imponere pœnitentiam adimplendam ab eo, ſi conualuerit, ſed aliquandò ſufficiet iniungere, vt nomen Ieſus, & Mariæ ſemel, vel ter ore, vel corde inuocet. Sic etiam in eleemoſynis pro pœnitētia iniūgendis in illo vitæ extremo circumſpectione magna vtendum eſt, conſideratis facultatibus, & natura moribundi, ne nimiùm ille grauetur.

QVAERITVR quadrageſimoprimò, vtrùm Confeſſarius in caſu, quo iniungenda ſit infirmo, vel moribundo parua aliqua pœnitentia, ſi illam ex culpabili negligentia non iniungat, mortaliter peccet.

Aliqui Doctores vniuerſaliter docent in caſu, quo aliqua pœnitentia imponēda eſt, teneri Sacerdotem ſub culpa graui ad illam imponendam, ne relinquat Sacramentum mutilum, & imperfectum, quod etiam videtur ſupponi in Tridentino ſeſſ. 14. cap. 8. Ita videtur ſentire Suar. tom. 4. in 3. partē diſp. 30. ſect. 3. in principio,

Trid.

Suar.

cipio, & apertiùs Reginaldus in praxi tom.2.lib.11.num.12. *Reginal.*

Reſpondeo ex leuitate materiæ poſſe à mortali excuſari Confeſſarium, qui ex negligentia quidèm culpabili, ſed ſecluſo contemptu omiſit imponere pœnitentiam leuem, quę imponéda erat ſub mortali. Ratio eſt, quia ſi pœnitentiam leuem ſub mortali tenetur imponere Confeſſarius, ne Sacramentum relinquat incompletum, & imperfectum, ergò etiam ſub mortali propter eandem Sacramenti integritatem tenetur pęnitens leuem pęnitentiam ſibi impoſitam adimplere, ſed conſequens eſt falſum; ergò & antecedens.

Qvaeritvr quadrageſimoſecũdò, vtrũ Confeſſarius poſſit imponere pœnitentiam grauitèr ægrotanti non ex præcepto, ſed ſolùm de conſilio adimplendã.

Affirmant aliqui, quos refert, & ſequitur Suarez tom. 4. in 3. p. diſp. 38. ſect. 4. num. 2. *Suar.*

Reſpondeò negatiuè cum Vaſquez quæſt. 9. art. 2. dub. 1. num. 9. Coninch. diſp. 10. dub. 8. num. 64. Ratio eſt, quia Confeſſarius tanquam iudex imponit pę- *Vaſq. Coninch.*

nitentiam ad puniendum pęnitentē reum, ergò ſicut iudex, dum punit, vi coercitiua vtitur, qua obligat reum ad ſoluendam pœnam, ita & Confeſſarius.

Trid. Confirmatur ex Conc. Trid. cap. 8. vbi poſtquam Sacerdotibus iniunxit, vt pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones iniungant ad punienda peccata, additur, *Quia claues Sacerdotum non ad ſoluendum duntaxat, ſed ad ligandum etiā conceſſas eſſe antiqui Patres, & credunt, & docent*: In quibus verbis ſatis apertè traditur poteſtatem iniungendi pęnitentias oriri ex poteſtate clauium ad ligandum; pœnitentia autèm per modum cōſilij non ligat pœnitentem, retinet enim ſuam libertatem, & arbitrium in ea adimplenda, ergò non eſt ex clauibus; atquè ita nec Sacramentalis.

Verba autèm illa, quæ à Sacerdote poſt abſolutionem adduntur, *Quidquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſit tibi in remiſsionem &c.* continent meram deprecationem.

Quarè ſi Confeſſarius videat ęgrotum vel ſcrupulis agitatum, vel dolore vehementi

menti affectum, vel alia ratione afflictum, imponat ei leuem pœnitentiam, quam ſatis commodè poſſit celeritèr adimplere, & hoc ſatis erit, nec vlla erit neceſſitas grauiorem pœnitentiam imponendi de conſilio adimplendam.

QVAERITVR quadrageſimotertiò, vtrū Confeſſarius licitè poſſit aliquandò iniūgere pœnitentiam ab infirmo adimplendam antè abſolutionem.

Reſpondeo affirmatiuè, ſi iudicet Cōfeſſarius neceſſarium, & vtile pœnitenti, verbi gratia, quia facilè ſoleat pœnitentias ſibi impoſitas omittere, vel vt meliùs diſponatur ad recipiendam abſolutionē, vel ob alios rationabiles fines. Ita Suar. Reginal. & alij, quos refert, & ſequitur Bonac. de Sacram. pœnit. diſp. 1. quęſt. 5. ſect. 3. puncto 2. num. 20. hoc autèm intelligendum eſt, dummodò ex dilatione abſolutionis infirmus non conſtituatur in periculò decedendi ex hac vita non recepta abſolutione Sacramentali. *Suar.* *Reginal.* *Bonac.*

QVAERITVR quadrageſimoquartò, an toties abſoluēdus ſit infirmus morti proximus, qui iam confeſſus eſt, & abſolutus, quotiès petit nouam abſolutionem

ab eodem Confeſſario, accuſando ſe de peccatis, quæ anteà apud ipſum confeſſus fuerat.

Reſpondeo affirmatiuè, ſi ex affectu deuotionis, & deſiderio ſe magis purificandi à peccatis moueatur; tùnc enim huiuſmodi pœnitens materiam ſufficientem exhibet, ſcilicèt accuſationem peccatorum, quæ anteà confeſſus eſt, & de cætero non eſt priuandus illa gratia, quæ confertur per ſingula ſacramenta pœnitentiæ debita cum diſpoſitione ſuſcepta.

QVAERITVR quadrageſimoquintò, quo modo in prædicto caſu verificētur verba, quæ à Sacerdote proferuntur; ſcilicet *Abſoluo te*, cum iam ſit antea ritè abſolutus, vt ſuppono.

Variæ explicationes circa verum ſenſum dictæ formæ, *Abſoluo te*, afferuntur à Doctoribus, cum iam peccata fuerunt ablata per priorem contritionem, vel confeſſionem. Vide Coninch. de pœnit. diſp. 4. dub. 8. *Coninch.*

Reſpondeo eo modo verificari formam, *Abſoluo te*, in prædicto caſu, & quotiēs abſoluitur pœnitens, cuius peccata iam per confeſſionem, vel contritionem fue-

fuerunt remiſſa, quo verificatur, quandò quis rogatus vt iniuriam remittat, licet antea eam remiſerit, dicit, *Remitto*: ex vſu enim hominum ſicut quis poteſt ſæpius remittere eandem offenſam, & ſæpiùs eidem homini, vel etiam Deo ſe obligare ad idem, vt patet in renouatione pollicitationum, & votorum, ita & verè, & ſine mendacio poteſt ſæpiùs dicere, *Remitto*; eadem autem eſt ſignificatio verbi, *Remitto*, ac verbi, *Abſoluo*, in Sacramento pœnitentiæ, quia per illud verbum, *Abſoluo*, exercetur poteſtas Apoſtolis data illis verbis. *Quorum remiſeritis peccata* &c. Io. 20.

Dici ergò breuitèr poteſt, quandò in prædictis caſibus Sacerdos dicit pœnitēti, *Abſoluo te*, ſenſum huius formæ eſſe; Ego, quantum eſt ex me, tibi abſolutionē impendo, ſeu peccata remitto, ad quæ remittenda ordinatur hoc Sacramentum.

QVAERITVR quadrageſimoſextò, vtrùm grauitèr ægrotans, qui dum diligentiori examine conſcientiam ſcrutatur, probabilitèr iudicat aliquandò confeſſum fuiſſe cũ ſola attritione peculiari aliquod peccatum mortale vnius ſpeciei, de alio au-

tèm ſpecie diſtincto, cuius oblitus fuit in eadem confeſſione, non habuiſſe attritionem, teneatur illam confeſſionem iterare.

Supponendum eſt attritionem veram ob motiuum particulare de aliquo peccato commiſſo, aliquandò non extendi ad peccatum admiſſum, cuius homo inuincibilitèr obliuiſcitur; exempli gratia, ſi quis commiſit duplex peccatum, alterum furti, alterum odij, & de furto dolet propter ſpecialem turpitudinem, ſeu fœditatem, quam ſecum trahit furtum, quia nimirùm eſt contra iuſtitiam, de peccato autèm odij non doleat, quia illius inuincibilitèr eſt oblitus. hoc ſuppoſito

Reſpondeo in prædicto quæſito confeſſionem non eſſe iterandam, ſed ſolùm aperiendum eſſe peccatum illud, de quo iudicat pœnitens non habuiſſe veram attritionem. Secunda pars huius concluſionis patet ex veriſſima, & communitèr recepta doctrina obligante ad confitenda peccata, quorum homo in præcedentibus confeſſionibus oblitus eſt, cum hæc memoriæ occurrunt. Probatur concluſio quoad primam partem; talis confeſ-

ſio

ſio fuit valida, ſed carens effectu, ergò non eſt iteranda. antecedens quoad primam partem probatur; quia tunc pœnitens appoſuit materiam, ſcilicèt confeſſionem formalitèr integram, & dolorem efficacem de peccato verbi gratia furti cū propoſito abſoluto, & in bona fide ſic confeſſus eſt, vt ſupponimus, ergò applicata forma abſolutionis à Sacerdote nihil ad valorem talis Sacramenti defuit. quoad ſecundam partem, ſcilicèt huiuſmodi confeſſionem non contuliſſe gratiā, probatur, quia in tali confeſſione adfuit obex peccati odij verbi gratia non retractati per dolorem aliquem formalitèr, vel virtualitèr; nam dolor de furto cum ſit ex peculiari motiuo fœditatis, ſeu turpitudinis propriç furti, vt ſupponitur in caſu propoſito, non poteſt extendi virtualitèr ad peccatum odij, quod illam turpitudinem non participat, ſed aliam diuerſam, nimirùm contra virtutem dilectionis proximi; quarè per talem confeſſionem non potuit remitti etiam indirectè tale peccatum odij, ergò talis confeſſio non contulit gratiam. Fauent hic nobis Suarez tom. 4. in 3. part. diſp. 20. ſect. 4. *Suar.*

ſect.4.num.25 & ſect. 5.num.7. & omnes qui exiſtimant poſſe aliquandò dari Sacramentum pœnitentiæ validum, ſed informe, ſcilicèt carens gratia ob defectum contritionis, quorum aliquos refert idem
Suar. *Diana.* Suar. dicta diſp. 20. ſect. 5. alios Diana tract. 17. & 3. miſcellaneo, reſolut. 31. &
Henriq. præter illos Henriquez lib.2.de pœnit.
Tolet. cap. 11.nu.3.& Tolet.lib. 3. ſummæ cap.
Bonac. 10. §. Tertius caſus eſt. Bonac. diſp.5. de pœnit. Sacram. q.6.ſect.2. puncto 5. nu.
Filliuc. 3. Filliuc.tract 6.de confeſſ.c.7. nu.166.

Vaſquez. Obijcies primò ex Vaſquez tom. 4. in 3.partem q.92. a.2.dub.vnico, Concilia non diſtinguunt vnquàm duplicem dolorem, alterum, qui ſit pars eſſentialitèr requiſita ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, alterum, qui ſit diſpoſitio requiſita ad effectum huius Sacramenti, vt cō-
Conc. Flor. ſtat ex Florentino in Decreto Eugenij, &
Trid. ex Trid. ſeſſ. 14.c.4. ergò gratis aſſignatur dolor particularis de aliquo peccato mortali ſufficiens ad valorem huius Sacramenti, & non ad fructum eius, qui non extenditur ad alia etiam peccata cōmiſſa.

Reſpondetur prædicta Concilia in cit.

locis loqui de dolore, qui eſt diſpoſitio neceſſaria ad remiſſionem peccatorum in hoc Sacramento, de dolore autèm ſufficienti ad valorem tantùm huius Sacramenti nō feciſſe mentionem. hinc autèm non licet arguere nullum dari alium dolorem, qui ſufficiat ad ſolùm valorem huius Sacramenti. Adde quòd in prędicto caſu homo, quandò confeſſus fuit, habuit veram attritionē de peccato, quod confeſſus fuit, & propoſitum non peccandi de cætero, vt ſupponimus, & abſolutionem Sacramentalem recepit, ergò videntur omnia eſſentialia concurriſſe ad valorem huius Sacramenti, licèt non habuerit attritionem de peccato, cuius oblitus inuincibilitèr fuit.

Vrgebis ex eodē Vaſquez, illa eſt ſufficiens diſpoſitio ad effectum huius Sacramenti, quam qui affert, adhibet materiam ſufficientem vt poſita forma conſtituatur Sacramentum, hic enim ex parte ſua præſtat quod poteſt, & debet, atquè ita habet ius ad petendam ſententiam iudicis, quia affert id, quod requiritur, vt valida ſententia abſolutionis proferatur, ergò diſpoſitio, quæ ſufficit ad valorem, Vaſquez.

valebit

valebit etiam ad effectum huius Sacramenti, ergò malè diſtinguitur duplex dolor, alter ſufficiens ad valorem ſolum, alter verò ad valorem, & fructum huius Sacramenti.

Reſpondetur negando antecedens, vt patet ex dictis; euenire enim aliquandò poteſt, vt in propoſito caſu euenit, quòd homo iuſtè petat abſolutionem, & ponat materiam ſufficientem ad valorem abſolutionis, per accidens tamèn non ſequatur effectus propter obicem occultũ, quem ſi pœnitens, vel Confeſſarius cognoſceret, nec hic poſſet abſolutionem impendere, nec ille petere.

Obijcies ſecundò cum Coninch.de Sacram.diſp.4.num.73.ad eſſentiam, & valorem Sacramẽti pœnitentię requiri dolorem, qui efficacitèr tendat ad reconciliationem cum Deo, ex cuius reconciliationis deſiderio naſcitur voluntas ipſa confitendi, ſed omnis ſeria voluntas reconciliationis cum Deo implicitè includit auerſionem ab omni peccato mortali, quod illam reconciliationem impedire poteſt, ergò omnis dolor, quem exigit valor huius Sacramenti, includit implicitè auer-

tè auerſionem ab omni peccato mortali, & per conſequens ſufficit etiam, vt effectus Sacramenti ponatur. quarè in propoſito caſu vel ille, qui doluit de furto ob turpitudinem eius, habuit huiuſmodi voluntatem efficacem reconciliationis cum Deo, vel non: ſi primum, confeſſio fuit valida, & formata gratia: ſi ſecundum, confeſſio fuit nulla, ergò iteranda.

Reſpondetur negãdo minorem, poteſt enim aliquandò voluntas ſeria reconciliationis cum Deo eſſe abſquè eo, quod includat auerſionem ab omni peccato, vt euenire poteſt in ruſtico, qui ignoraret inuincibilitèr propoſitum non peccandi de cætero eſſe neceſſariam diſpoſitionem ad conſequendam reconciliationem cum Deo, ſed exiſtimaret ad hanc ſufficere ſolàm confeſſionem, atquè ita, vt reconcilietur cum Deo, confiteretur, ſed interim non deponeret propoſitum peccandi.

Obijcies tertiò ex eodem Coninch. ſi valor huius Sacramenti poteſt conſiſtere ſine dolore ſe extendente ad omnia peccata mortalia, ergò poterit aliquis validè ſuſcipere hoc Sacramentum cum affectu actuali ad aliquod peccatum mortale. *Coninch.*

le. probatur conſequentia, quia cùm hoc affectu non eſt incompoſſibilis dolor de peccato aliquo propter eius ſpecialem turpitudinem.

Reſpondetur propoſitum vniuerſale non peccandi de cætero neceſſarium eſſe ad valorem huius Sacramenti, ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 4. vbi poſtquam dixit cōtritionem eſſe deteſtationem de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero, loquens poſteà de attritione docet vtilem eſſe ad iuſtificationem, ſi voluntatem peccandi excludat. Prætereà propoſitum peccandi, ſeu affectus ad peccatum mortale, eſt mortale peccatum, ergò qui cum tali propoſito, & affectu peccaminoſo accedit ad confeſſionem, non habet id, quod requiritur ad valorem Sacramenti, carentia autèm attritionis de peccato admiſſo non eſt peccatum.

Trident.

QVÆRITVR quadrageſimoſeptimò, vtrū infirmus, qui recogitans annos vitæ ſuæ malè tranſactæ iudicat omni cum probabilitate aliquandò confeſſum fuiſſe peccata ſua, & de aliquibus eorum non ampliùs admittendis efficax propoſitum habuiſſe, de alijs verò non efficax, ſed quandò con-

dò confitebatur, putauit ſe habere efficax propoſitum de omnibus, teneatur prædictam confeſſionem iterare.

Caſus hic, & præcedens contingere poteſt etiam in homine ſano, ſed frequẽtiùs in ægroto, qui ſcit ſe breui moriturum; tùnc enim homo, maximè ſi ſit timoratæ conſcientiæ, attentiùs conſiderat ea, quæ expediunt pro æterna ſalute.

Pro parte affirmante ſunt omnes illi auctores, qui generalitèr putant nunquã dari Sacramentum confeſſionis validum, ſed informe, hoc eſt carens fructu. Hi ſunt Adrianus, Maior, Gabriel, & Medina, quos refert, & ſequitur Vaſquez tom. 4. in 3. partem q. 92. ar. 2. dub. vnico. Coninch. de Sacram. diſp. 4. dub. 11. Fagundez in 2. Eccleſiæ præcepto lib. 2. cap. 17. & alij apud ipſum: & probari poteſt primò, quia ſola diſplicẽtia inefficax, ſeu carẽtia propoſiti efficacis non cõmittendi iterùm peccatum aliquòd mortale includit virtualem approbationem peccati, quæ approbatio, cùm ſit peccaminoſa, reddit hominem indiſpoſitum ad validè recipiẽdam abſolutionem. probatur ſecundò ex

Adrian. *Maior.* *Gabriel.* *Medina.* *Vaſquez.* *Coninch.* *Fagundez.*

Con-

Tridem. Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. vbi contritio, quæ eſt pars Sacramenti huius, definitur animi dolor, ac deteſtatio de peccato cõmiſſo cum propoſito non peccandi de cętero; ille autèm qui non habet propoſitum abſolutum vniuerſale, & efficax non peccandi, ſed tantùm quandam diſplicentiam inefficacem, ſeu velleitatem, non poteſt dici quòd habeat propoſitum ſimplicitèr non peccandi, nec refert quòd hic defectus inuincibilitèr ignoretur, nã non ideò ſit verum propoſitum vniuerſale.

Reſpondeo primò valdè probabile videri talem confeſſionem non eſſe iterandam quoad illa peccata, quæ talis homo confeſſus fuit cum propoſito efficaci non amplius illa admittendi. Probatur, quia talis confeſſio fuit valida, licèt informis, Suarez. ergò non iteranda. antecedens eſt Suar. tom. 4. in 3. partem diſp. 20. ſect. 4. à nu. 25. vſquè ad 28. & eidem ſuffragantur omnes, qui admittunt confeſſionem validam, ſed informem ex defectu attritionis, quos retuli in reſponſione quæſiti præcedentis, quibus etiàm adiungitur Diana. Diana tract. 4. de Sacram. reſolut. 65. & proba-

probatur, quia ſi peccatorum illorum, quæ talis homo manifeſtauit bona fide ſine efficaci propoſito emendæ, inuincibilitèr oblitus fuiſſet, & nullam de illis attritionem aut formalem, aut virtualem habuiſſet, valida nihilominùs fuiſſet cõfeſſio, ſi de alijs peccatis, quæ confeſſus eſt, habuit veram attritionem, vt dictum eſt in præcedenti quæſito, ergò idem dicendum erit in præſenti caſu; nàm ſi accuſatio aliquorum peccatorum cum vero propoſito emendæ ſufficere poteſt ad valorem huius Sacramenti, nõ apparet quomodo huiuſmodi valorem tollere poſſit narratio addita aliorum peccatorum cum propoſito non efficaci emendæ, ſed inuincibilitèr exiſtimato efficaci. Plura de hac re vide apud Suar. dicta ſect. 4. num. 26. & num. 27. *Suar.*

Reſpondeo ſecundò, probabilitèr teneri poſſe, nequè eſſe iterandam huiuſmodi confeſſionem quoad illa peccata, quæ cum non vero propoſito emendæ, ſed inuincibilitèr exiſtimato vero fuerũt in confeſſione narrata. Huic parti non aſſentitur Suar. dicta ſect. 4. num. 27. exiſtimat enim eſſe iterùm deferenda ad Con- *Idem.*

feſſarium huiuſmodi peccata, quia quoad illa non fuit Sacramentalis confeſſio. Sed nobis fauent Bonac. diſp. 5. de pænit. q. 6. ſect. 2. puncto 5. num. 5 vbi vniuerſalitèr docet non teneri pęnitentem peccata in confeſſione informi manifeſtata iterùm confiteri, & Henriquez lib. 5. de pęnit. cap. 11. vbi in principio hæc habet. *Integra per ſe, & ex intentione dicitur etiam ea confeſsio, & coniuncta abſolutioni non eſt iteranda quando reſultat verum Sacramentum informe (nempè quod ob aliquod impedimentum fruſtratur fructu ſuo gratiæ) vt ſi ex ignorantia acceſsit bona fide;* & n. 4. ſubdit. *Hoc Sacramentum, ſi abſquè noua culpa receptum ſit, informitèr remoto per pęnitentiam obice ſortitur effectum gratiæ, nec peccata priùs abſoluta remittuntur per ſe, & directè ſequenti Sacramento abſolutionis, cum tamèn omne peccatum mortale Chriſtianorum per ſe remittatur aliquo Sacramento pęnitentiæ, & cum infuſione gratiæ, & dum ſortitur effectum, verificatur forma abſolutionis, quæ impedita fuerat ab effectu gratiæ, interdùm ſequenti attritione tollitur prior obex Sacrameti recepti, ſi ordinetur ad Sacramentum futu-*

Bonac.

Henriq.

rum, quandò ſine noua culpa recepit Sacramentum informe; at ſi poſt receptionem commiſit peccatum mortale, non tollitur obex ſine contritione, aut alio remedio, quod habeat efficaciam contritionis. Hæc Henriquez. ex quibus patet, dum hic auctor docet peccata manifeſtata in confeſſione informi remitti virtute illius abſolutionis datæ, remoto obice per ſubſequentem pęnitentiam non eſſe neceſſariò eadem peccata deferenda ad alium Cõfeſſarium; & quidèm quòd confeſsio informis operetur ſuum effectum remoto obice, eſt ſatis recepta ſententia, & eam tuentur oẽs, qui ſuſtinent dari Sacramentum pęnitentiæ validum, ſed informe. Demùm magis confirmabitur hoc reſponſum ex rationibus, & auctoritatibus, quas in reſponſo ſecundo ſequentis quæſiti afferam.

Supereſt vt reſpondeamus argumentis pro contraria ſententia à principio adductis. Ad primum dico ſolum defectum efficacis propoſiti emendæ non includere actualem approbationem peccati formalem, aut virtualem, ſed tantùm habitualem; per hanc autèm homo actu non

peccat, ſed tantùm eſt in ſtatu peccati nó retractati. Ad ſecundum dico Concilium loqui de diſpoſitione pænitentis, quæ eſt neceſſaria ad iuſtificationem, de ea verò, quæ ſufficit ad valorem Sacramenti, nihil loquitur.

QVAERITVR quadrageſimo octauò, vtrùm infirmus, vel ſanus, qui diligentèr conſcientiæ ſuæ latebras diſquirens probabilitèr exiſtimat cum nulla vera attritione, ſed cum probabilitèr tantùm exiſtimata vera, atquè ita bona fide pluriès peccata ſua confeſſum fuiſſe, teneatur huiuſmodi confeſſiones iterare.

Pro parte affirmante præter auctores, qui negant dari Sacramentum confeſſionis informe, ſunt alij, qui docent deficiẽte omni vera attritione non ſufficere attritionem ſolam exiſtimatam, & non veram ad valorem Sacramenti. Suar. tom. 4 in 3. part. diſp. 20. ſect. 4. num. 6. & nu. 16. Turrianus, & Layman cit. à Diana tract. 4. de Sacram. in principio reſolut. 45. Fundamentum præcipuum ſumitur ex Trid. ſeſſ. 14 cap. 3. & can. 4. in quibus docet contritionem aliquam eſſe partem eſſentialem Sacramenti pęnitentiæ, nec

Suar.
Turrian.
Layman.
Diana.
Trid.

diſtin-

diſtinguit inter attritionem ſufficientem ad eſſentiam tantùm., & aliam ſufficientem etiam ad effectum Sacramenti, ſed abſolutè expoſcit attritionem, quæ ſit donum Spiritus Sancti, & excludat affectum peccandi, ſed hæc omnia conuenire poſſunt ſoli attritioni veræ, & non putatæ: & licèt exiſtimatio inculpabilis, quòd talis ſit verus dolor, cùm re vera non ſit verus, excuſet hominem à culpa; non tamèn facit, vt illa fiat materia ſufficiens; ſicut nequè exiſtimatio inculpabilis, quòd acetum ſit vinum, facit vt illud fiat materia conſecrabilis. Probatur ſecundò, quia talis attritio requiritur ad valorem huius Sacramenti, qualem requirit forma, quæ eſt illius eſſentia, & ex qua pendet efficacia ipſius; at veritas formæ requirit veram attritionem ſigno ſenſibili manifeſtatam, vt materiam veram, quia iudex non poteſt validè ferre ſententiã abſolutionis in reum, niſi ex vi diſpoſitionis ille ſe exhibeat dignum illa. ſed non exhibet ſe dignum, niſi verè & realitèr ſit attritus. Probatur 3. quia ſi re vera poteſt dari tota materia huius Sacramenti valida abſquè vero dolore, & pro-

poſito efficaci, ſequeretur etiam dari Sacramentum validum, quantumcunquè pænitens aduertat ſuum defectū, & ſcientèr confiteatur abſquè illo dolore debito, nam re vera apponeretur tota materia, quæ ponitur in caſu ignorantiæ, ſcilicèt dolor imperfectus cum confeſſione peccatorum; ſi ergò hæc materia ſemèl eſt ſufficiens, eadem ſempèr erit ſufficiens ad conſtituendum Sacramentum validū, etiam ſi ob aduertentiam homo tunc peccaret mortalitèr, ſecùs autèm quandò inuincibilitèr non aduertit defectum veræ attritionis.

Pro parte verò negante huiuſmodi confeſſiones in prędicto caſu non eſſe iterandas, militant auctores docentes per ſe quidèm eſſe neceſſariam veram attritionem ad eſſentiam huius Sacramenti, per accidens verò aliquandò ſufficere attritionem putatam, quandò ſcilicèt adhibita eſt ſufficiens diligentia, & conſcientiæ examinatio, & ex ignorantia inculpabili iudicatur, quòd dolor hìc & nunc ſit verus, & talis vt ſufficiat. Ita Petrus Soto Lect. 8. de confeſſ. propoſ. 3. Valentia 3. parte diſp. 7. q. 2. pūcto 3. & generalitèr

Petr. Soto. Valent.

raliter id aſſerunt omnes, qui ex defectu doloris volunt poſſe dari Sacramentum informe, quos retulimus ſupra in reſponſo 47. quibus etiam adiungitur Diana tract.4, de Sacram.reſolut.45. & Filliuc. tract.7. de confeſſ. cap.6. num. 151. probabilem putat eandem ſententiam, & Probatur primò, quia veriſimile eſt Chriſtum non ampliùs poſtulaſſe ab homine ad valorem huius Sacramenti, alioquin nimis rigida videretur inſtitutio, ſæpiſſimè enim obligandi eſſent homines ad iterandas confeſſiones, quod eſt grauiſſimũ onus, & non facilè imponendum hominibus. Probatur ſecundò, quia aliàs conſcientiæ non poſſent eſſe pacatæ, & ſecuræ de confeſſione ritè facta, nunquàm enim haberi poſſet certitudo, quòd attritio fuerit vera, & ſempèr remaneret formido de ſufficientia attritionis, & cõſequentèr de obligatione iterandi confeſſiones præteritas, ergò attritio putata ſufficit interueniente bona fide ad valorem huius Sacramenti, licèt non ad conſequendum effectum. Diana. Filliuc.

Reſpondeo primò, primam opinionem eſſe quidèm probabiliorem, quia ſoli-

diori nititur fundamento, & firmioribus rationibus.

Reſpondeo ſecundò, ſecundam eſſe etiàm ſatis probabilem, tùm ob auctoritatem plurium DD. tùm etiam ob eam præcipuam rationem, quia non eſt veriſimile cum fragili homine Chriſtum voluiſſe adeo rigorosè procedere, vt veram contritionem quoad valorem Sacramenti sempèr exigeret, cum tamèn nunquam homini conſtare poſſit de hac vera attritione; & prætereà ex hac opinione pax & ſecuritas conſcientię cōſeruari poteſt, quæ pax & ſecuritas conſcientiæ videtur
Matth.11. propria legis Euangelicę, in qua expreſsè dicit Chriſtus, *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue*. Iuxta verò primam ſententiam maxima quandoquè perturbatio oriri poteſt, & ſcrupulorum occaſio pręcipuè conſcientijs timoratis. inhærendo ergò huic ſecundæ ſentētiæ ſuſtineri probabilitèr dicimus in propoſito caſu non eſſe iterandas confeſſiones.

Supereſt vt reſpondeamus argumentis primæ opinionis, vt magis appareat probabilitas huius ſecundæ ſententiæ.

Ad primum argumentum deſumptum ex

ex Concilio dici poteſt Concilium loqui ſolũ de dolore neceſſario requiſito ad remiſſionem peccatorum per Sacramentum pęnitentiæ; de dolore verò ſufficienti ad valorem huius Sacramẽti nihil loqui: quare, id quod certũ erat, definiuit expreſsè; id verò, quod erat ſub opinione, nequè affirmauit, neq; negauit; ſicut etiàm circumſtantias mutãtes ſpeciem ſeſſ. 14. cap. 5. definiuit eſſe manifeſtandas in cõfeſſione, de circũſtantijs verò aggrauantibus nihil definiuit, de quib. sũt varię opiniones.

Ad ſecundum patet ex fundamento ſecundæ opinionis.

Ad tertium negandum eſt ſufficere ad valorem huius Sacramenti attritionem non veram, & cognitam talem; nam qui ſic accedit ad confeſſionem committit peccatum ſacrilegij accedendo ad hoc Sacramentum, quod per ſe ordinatur ad remittendum peccatum, cum impedimento cognito recipiendi ſententiam verè remiſſiuam peccatorum. Adde, quòd ſententia continet intolerabilem dolorem, quæ abſoluit hominem à peccato actu mortalitèr peccantem, & expreſsè repugnare videtur inſtitutioni huius Sacramenti; quod

quod ordinatur per ſe, vt dixi, ad remittendum peccatum.

Aduerte primò ſtando in prima ſententia confeſſiones bona fide factas, poſteà etiam durante bona fide non eſſe iterandas, quia licèt fuiſſent inualidæ iuxta dictam ſententiam, per ſubſequentem tamèn confeſſionem ritè peractam, indirectè illa peccata priora remitterentur. Quarè quotiès homo probabilitèr iudicare poteſt ſe habuiſſe veram attritionẽ, quandò confeſſus eſt, licèt poſteà propter aliquas rationes exiſtimet etiam probabilitèr non habuiſſe veram attritionem, ſed tantùm exiſtimatam veram inculpabilitèr, non tenetur iterare huiuſmodi confeſſionem, quia ſequi poteſt iudicium probabile dictans veram interfuiſſe attritionem, & ſic deponere practicum dubium.

Aduerte ſecundò in caſibus propoſitis quæſito 47. & 48. & præſenti, ſi agatur cum pęnitente non ſcrupuloſo, & tempus opportunum adſit, nec graue aliquod incommodum, ex quo infirmitas augeatur, aut dolor exacerbetur, conſulendum eſſe pænitenti, vt per confeſſionem generalem ſuam expurget conſcientiam; ſic enim maiori

iori animi quiete fruetur, & ad vberiora gratiæ auxilia diſponetur,& hoc maximè quandò morti proximus eſt, quo tempore nihil videtur prætermittendum pro maiori æternæ ſalutis ſecuritate.

Qvaeritvr quadrageſimononò, vtrũ infirmus,vel etiam ſanus, qui probabilitèr iudicat aliquotiès nõ præuio examine ſufficienti ad Sacramentem Pœnitentiæ acceſſiſſe, quia plura, & plura peccata ei in mentem veniunt non manifeſtata per obliuionem in præcedentibus confeſſionibus, teneatur huiuſmodi confeſſiones iterare.

Non deſunt auctores, qui exiſtimant ex defectu integritatis dari poſſe Sacramentum Pœnitentiæ informe, ſed validum, inter quos eſt Nugnus, & Ledeſma, quos citat,& ſequitur Diana tract. 17. & 3. in miſcellaneo reſolut. 31. qui affert huiuſmodi caſum. *Quandò pœnitens habet ſufficientem dolorem, & confitetur omnia peccata, quæ occurrunt memoriæ, ad quod fecit aliqualem diligentiam, ſed non ita totam, quanta neceſſaria erat, ſed pœnitens ex illa ignorantia mortalitèr culpabili iudicauit talem diligentiam ſufficientem eſſe.*

Nugnus. Ledeſma. Diana.

Licèt

Licèt igitùr hæc confeſsio ſit ſacrilega, quia ſcilicèt in illa peccat pænitens mortalitèr, tamèn valida eſt quantum ad ſubſtantiam, ita vt non ſit iteranda, & non teneatur pę-nitens illa peccata iterùm confiteri. Hæc ſententia mihi nullo modo placet, quia exiſtimo confeſſionem ſempèr eſſe nullam, quotiès pænitens eo modo confitetur, vt in ipſa confeſſione mortalitèr peccet; tùnc enim non ſolum deeſt propoſitùm peccandi, ſed etiam actus peccandi durat etiam eo tempore, quo profertur forma abſolutionis: quarè nec etiam poteſt homo integrè illud confiteri, nõ enim poteſt verè dicere ſe cõmiſiſſe, quod actu committit, & ſine interpellatione commiſſurus eſt. Adde quòd ad valorem Sacramenti pænitentiæ, vt etiam ipſum nomen indicat, aliqua peccati retractatio requiritur. militant demùm hìc quæ dixi in ſolutione tertij argumenti adducti in pręcedenti quæſito pro prima ſententia ibi allata. quarè

Reſpondeo propoſito caſui cum diſtinctione, vel huiuſmodi pænitens ex ignorantia, ſeu inaduertentia mortalitèr inculpabili putauit ſuffeciſſe tũc illud examen, quod

quod pro integrè confitendo præmiſit, & tunc dico confeſſionem huiuſmodi fuiſſe validam, & formatam, ſi nihil aliud obſtitit: vel culpabilitèr mortalitèr defecit in debito examine inſtituendo, & tùnc dico confeſſionem ob tale peccatum in ipſa confeſsione continuò admiſſum non eſſe validam, vt patet ex ſupra dictis. Porrò ad eliciendum iudicium probabile de ſufficienti examine non eſt idoneus regularitèr loquendo pænitens, maximè tempore periculoſæ infirmitatis, ſed hoc prudenti Confeſſariò, propoſitis rationibus dubitãdi, an fuerit ſufficiens examen, iudicandum relinquatur.

Dixi *regularitèr loquendo*, nam ſi pænitens ſit vir doctus, nec ſcrupuloſus, nec morbi grauitate notabilitèr perturbatus, poterit & ipſe ferre iudicium de illo examine. Et regula generalis ſit, quotiès probabilitèr iudicatur fuiſſe ſufficiens examen, acquieſcendum eſſe, etiam ſi occurrant rationes, propter quas etiam probabilitèr iudicetur contrarium, nam hac etiam in re ſufficit ſequi iudicium probabile.

Sed contra hanc regulam generalem obij-

obijcies non licere ſequi opinionem probabilem relictâ tutiori in recipiendis, vel adminiſtrandis Sacramentis, quia tanta eſt dignitas Sacramentorum ex communi ſenſu Patrum, & Eccleſiæ, vt non ſolùm euitare debeamus eorum certam deprauitatem, & nullitatem, ſed quantùm poſſumus, periculum etiam probabile illa non validè conficiendi, vel ſuſcipiendi; longè enim maiorem diligentiam adhibere tenemur in negotijs grauioris momenti, quàm in ordinarijs actionibus: non poterit igitur quis ſine cauſa ſufficienti exponere ſe periculo efficiendi, ſeu ſuſcipiendi Sacramentum nullum, vel informe, cum poſsit validè, & formatum efficere, vel recipere.

Hæc obiectio facilè diluitur, quia quamuis magna ſit dignitas Sacramentorum ex communi ſenſu Patrum, & Eccleſiæ, tamen ipſius etiam Dei dignitas, & maieſtas ſummoperè coli debet ab omnibus, neque propterea cenſetur peccatum irreuerentiæ in alijs rebus exponere ſe periculo faciendi aliquid, quod à præpotenti Deo ſit prohibitum, quandò contrariæ ſunt opiniones de ipſius voluntate,

dummodò iuxta opinionem probabilem homo operetur. Quarè apparet vera prędicta regula generalis à nobis aſsignata; nulla enim irrogatur Sacramento pęnitentiæ irreuerentia, dum quis ſequitur iudicium probabile de præuio examine ſufficienti, etiam ſi à parte rei verè non fuiſſet ſufficiens, & ob id in ſubſequenti confeſsione non iterùm manifeſtat illa peccata, quæ cum tali examine putato ſufficienti aliàs confeſſus eſt. Secùs autèm dicendum eſſet, ſi ageretur de obligatione caritatis erga nos & proximum in efficiendo, vel ſuſcipiendo aliquò Sacramento neceſſariò, tùnc enim peccaret quis contra charitatem & miſericordiam, cum poſſet ſibi indigenti, vel proximo adhibere remediũ certum ſalutis, hoc omitteret, & adhiberet remediũ dubium cũ periculo grauiſsimi damni; v.g. cũ poſſet efficere vel ſuſcipere Sacramentum indubitantèr validum, & neceſſarium ſaluti, vel propriæ, vel proximi, hoc omitteret, & vellet efficere, vel ſuſcipere Sacramẽtum, de cuius valore dubitatur ob applicationẽ materiæ, vel formæ dubiæ. Sed in caſu noſtro qui ſequitur iudicium probabile

de

Digitized by Google

de ſufficienti examine præmiſſo,non peccat contra charitatẽ propriam,quia ſtante illa probabilitate certum eſt, quòd per ſubſequentem confeſſionem ritè peractam, (eſtò quòd à parte rei illud iudicium non eſſet verum, & tales confeſsiones bona fide factæ, ſed ſine neceſſariò examine eſſent inualidæ,) reciperetur gratia, & indirectè priora illa peccata in confeſsionibus præcedentibus inualidè manifeſtata remitterentur. Fauent nobis Vaſquez 1. 2. diſp.23. Sanchez lib. 3.de matrim. diſp.20. num. 4. & Salon.2.2. q. 63. a. 4. citatus ibidem.

***

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

In quo reſoluuntur aliqui caſus circa reſtitutionem, ad quam aliquando tenetur infirmus, vel morti proximus.

QVONIAM reſtitutio ſępè inſtigante dæmone vſquè ad vitæ extremum ab aliquibus differtur, ideò operæ pretiũ duxi aliquos caſus de obligatione reſtitutionis proponere, qui cum frequentiùs accidere poſſint, eorum parata breuis reſolutio plurimùm conducere poterit Sacerdoti, qui non ſatis in Theologia morali ſit verſatus, vt in promptu valeat conſcientiam infirmi, vel moribundi benè dirigere, quandò deeſſet tempus viros doctos conſulendi.

QVAERITVR primò, Vtrùm infirmus, de cuius vita actum eſt iuxta medicorum iudicium, teneatur, antequàm moriatur, reſtituere famam, licèt ex tali reſtitutione ſit ſubiturus periculum amittendi vitam, ſi fortè ſuperuiuet.

Pro parte affimante videtur eſſe, quòd cùm talis infirmus ſit breui moriturus, nec illo exiguo tempore vitæ, quod illi ſupereſt, periculo ſubiaceat amittendi vitam ob illam reſtitutionem, vt ſuppono, ceſſat regula illa, quæ excuſat à reſtitutione famæ, quandò adeſt periculum vitę.

Pro parte verò negante eſt, quòd prædicta regula etiam in hoc caſu videtur militare, nàm re vera hic reſtituendo famam, periculum amittendi vitam ſubit, vt ſupponitur, quod periculum terrorem incuterè ſolet; quarè ad illud obligare infirmum magnis anguſtijs affectum nimis durum videtur. Accedit, quòd prętermedicorum opinionem poteſt etiam recuperare ſalutem, vt aliquotiès accidit; poteſt etiam diuinitùs ſanari ob Beatæ Virginis, vel aliorum Sanctorum interceſſionem.

Reſpondeo poſſe in prædicto caſu famę reſtitutionẽ fieri tali adhibita cautela, vt periculum amittendi vitam ex tali reſtitutione tollatur, ſi nimirùm hic infirmus famam reſtituat ſcripto propria manu obſignato, non niſi ſecuta ipſius morte manifeſtando, & ſi ipſe nequeat, vel neſciat ſcribere, curet ſimile ſcriptum vt con-

conficiatur prædicto modo manifeſtandum ab aliquo viro probo, & fide digno.

QVAERITVR ſecundò, An infirmus morti proximus etiam cum maiori propriæ famæ detrimento teneatur reſtituere famam.

Reſpondeo eum, qui non poſſet reſtituere famam niſi cum iactura propriæ famæ quæ ſit longè maioris momenti, non teneri cum tanto damno reſtituere. e. g. ſi vir primarius infamauit plebeium, non tenetur cū magna ſui nominis nota ſe retractare. Ita multi DD. quos citat, & ſequitur Leſſius lib. 2. cap. 9. dub. 26. Ratio eſt, quià æquitas poſtulat, vt vir infimæ conditionis pluris faciat famam viri primarij, quàm propriam, & conſequentèr, vt non exigat reſtitutionem propriæ famæ, quandò hæc fieri nequit ſine magno detrimento famæ maioris momenti. *Leſſius.*

Conſulendum tamèn eſſet infirmo, & præcipuè morti proximo in prædicto caſu, vt curaret ſibi ab infamato condonari obligationem, quam facilè muneribus, vel pecunijs impetrabit. Fauet Leſſius cit. *Idem.*

QVAERITVR tertiò, Vtrùm morti proximus, ſi non poſſit famam reſtituere,

Digitized by Google

teneatur pecunia compenſare.

Communior opinio docet, ſi reuocatione dictorum fama nequeat ſarciri, nullam eſſe obligationem ex iuſtitia compenſandi pecunia damnum famæ illatum. Ratio eſt, quia iuſtitia commutatiua tantùm exigit, vt reſtituatur quod ablatum eſt, vel quod communi prudentum exiſtimatione cenſetur æquiualens; quòd ſi neutrum fieri poſſit, obligatio ceſſat, ſed pecunia nunquàm æquiualet famæ iuxta prudentum iudicium, ergò &c.

Reſpondeo, quidquid ſit de rigore iuſtitiæ, ſaltèm ex æquitate, vel charitate aliquandò teneri infamatorem pecunia compenſare damnum famæ proximi illatum. v. g. ſi infamator ſit valdè diues, & infamatus valdè pauper, & hic tali ſatisfactione ſit contentus, nec alitèr ab animi mærore, quo vehementèr torquetur ob acceptam famæ læſionem, videatur liberandus; quod maximè affirmandum eſt de infamatore in mortis periculo conſtituto, quia ſine dubio tunc tenetur homo peculiari modo ex lege charitatis omnem ſcandali occaſionem amouere, & proximum ædificare, atquè ita tenetur etiàm quan-

quantum poteſt ſatisfactionem exhibere perſonę, cuius famam læſit.

QVAERITVR quartò, An qui patefaciendo crimen occultum alicuius impediuit illum à conſecutione alicuius emolumenti, vel fuit cauſa, vt priuaretur aliquo officio, vel beneficio, teneatur ad integram reſtitutionẽ damnorum, perindè ac ille, qui impoſuit falſum.

Reſpondeo ſi, qui patefecit tale crimen occultum, peccauit mortalitèr contra iuſtitiam, quia ſciebat iniuſtè per talem manifeſtationem violandum eſſe Ius, quod habet patrator criminis occulti, quoad poſſeſſionem ſuæ famę, dum delictum latet, teneri ad integram damnorum reſtitutionem. Ita Nau. cap. 18. num. 5. quem ſequitur Leſſius lib. 2. cap. 11. dub. 19. nu. 104. & alij, qui docent in genere infamatorem teneri ad reſtitutionem omnium damnorum, nec diſtinguunt inter crimen falſum, & verum. Ratio eſt, quia talis fuit iniuſta cauſa moralitèr influens in omnia illa damna, ergò ex regula generali in materia iuſtitię tenetur illa reſarcire. *Nauar.* *Leſſ.*

Dixi, *Si peccauit mortalitèr contra iuſtitiam*, quia ſi ex ignorãtia excuſabili quis

putaret licere manifeſtare crimen verum occultum,cum tùnc illa manifeſtatio non eſſet mortalitèr peccaminoſa,ceſſaret obligatio reſtitutionis iuxta ea, quæ dicam infra quæſito 11.

QVAERITVR quintò, Vtrùm is,qui crimen alicuius bona fide,putãs illud eſſe verum,& publicum,narrauit vni,vel pluribus,ad famæ reſtitutionem teneatur.

Reſpondeo cognito errore teneri, dum modò ſine notabili detrimento famę, vel bonorum fortunæ poſſit famã proximi reſarcire. Prima pars huius reſponſi patet, quia ſempèr iuſtitia obligat ad reddendum vnicuiq; Ius ſuum, ergò iuſtitia obligat eum, qui bona fide infamauit, detecta veritate ad reſarciendam famam infamati, vt illi reddatur Ius, quod habet ad ſuã famam. Secunda pars à Leſſio dicto cap. 11.dub. 22. num. 116. probatur, quia ſi deprehendas equum, vel librum apud te ſine tua culpa, non teneris remittere magnis tuis expenſis, ita qui ſine culpa læſit famam proximi non tenetur cum ſuo graui damno eam reſtituere. Si verò ageretur de modico damno, ſi non iuſtitia, charitas ſaltèm obligare poſſet, vt ipſemet

Leſſ.

Leſſius

Leſſius num. 227. citatæ dubitationis aduertit. *Leſsius.*

QVAERITVR ſextò, Titius iniuſtè infamauit Caium, & ob infamiam Caius eſt in euidenti periculo mortis, à quo non poteſt eripi, niſi par periculum vitę ſubeat Titius ſe retractando, an teneatur ſe retractare.

Rerſpondeo affirmatiuè cum communi ſententia. Probatur, quia in pari damno melior cenſeri debet conditio innocentis, atquè ita qui damnum alteri iniquè parauit, tenetur illud auertere, etiàm cum pari damno ſuo. Sed

QVAERITVR ſeptimò, An Confeſſarius in prædicto caſu teneatur admonere Titium de tali obligatione, ſi animaduertat eũ ex ignorantia inuincibili exiſtimare non teneri ad ſe retractandum cum vitæ periculo, & probabilitèr iudicet etiã admonitum ſe non eſſe retractaturum.

Pro hac parte ſunt Io: Medina, Ledeſma, Hẽriquez, Corduba, Cano, quos citat & ſequitur Sanch. lib. 2. de matrim. diſp. 28. num. 10. Suar. tom. 4. in 3. partem diſput. 32 ſect. 4. num. 4. qui auctores vniuerſalitèr docent, quandò Confeſſarius *Io Med. Ledeſma Henriq. Corduba Cano Sanch. Suar.*

probabilitèr exiſtimat non profuturam ſuam monitionem, poſſe illam prætermittere, & abſoluere pęnitentem inuincibilitèr ignorantem aliquam obligationem, licèt non adimpletio illius obligationis ſit in detrimentum proximi. Probatur, quia cum hic ex ignorantia inuincibili ſit excuſatus, & de cætero ſit ſufficientèr diſpoſitus ad recipiendam abſolutionem, Confeſſarius ex vi officij debet illum abſoluere, nec charitas obligat, quia hæc non obligat, niſi cum ſperatur fructus ex admonitione. Vndè celeberrimũ, & veriſſimum eſt dictum Auguſtini, quod refertur cap. *Si quis autem de pœnit.* diſt. 7. *Si ſcirem tibi non prodeſſe, non te admonerem, non te terrerem.* Probatur ſecundò, quia charitas obligat, ne alicui laqueum inijciamus, & fauet cap. *de viduis* 2.27. quęſt. 1. ſed admonere in prædicto, vel alio ſimili caſu nihil aliud eſſet, quàm offendiculum opponere, nam pęnitens, qui eſt in bona fide, & in ſufficienti diſpoſitione, Confeſſarij admonitione cõſtitueretur in malo ſtatu, & periculoſo, ergò &c.

D. Aug.

Ex hac doctrina colligere poteſt quilibet Sacerdos, quomodò ſe gerere debeat

beat in ſimilibus caſibus, maximè quandò excipit confeſſionem alicuius grauitèr ægrotantis. e. g. ſi infirmus teneatur ad aliquid adeò difficile, vt Confeſſarius credat illum tùnc æquo animo minimè recepturum admonitionem ob moleſtias ægritudinis, vel ob aliam cauſam, poterit tùnc Confeſſarius tacere, & huiuſmodi pęnitentem abſoluere, quia inuincibilitèr ignorat obligationem ſuam, & in aliud tempus opportunius differre admonitionem.

Aduerte, quòd quamuis licitè poſſit Confeſſarius, & quandoquè etiam teneatur ratione charitatis non admonere pęnitentem in prædictis caſibus, vel differre admonitionem, non tamèn poteſt falſum dicere, quod eſt intrinſecè malum, aut confirmare poſitiuè pęnitentem in errore: quarè ſi pęnitens proponat dubium, vel indicia dubij interrogando Confeſſarium, tùnc hic tenetur aperire veritatem, vt benè notat Suar. cit. ſect. 4. num. 2. *Suar.*

QVAERITVR octauò, An in reſtitutione famæ aliquandò poſſit fieri compenſatio, v. g. Titius iniuſtè infamauit Caium, à quo ipſe antè fuerat iniuſtè in-

famatus,

Digitized by Google

famatus, modò Caius recuſat reſtituere famam Titio, an hic ſimilitèr licitè poſſit non reſtituere famam Caio.

Reſpondeo affirmatiuè, quia inſtar pignoris Titius tùnc poteſt retinere famam Caij, vt illum compellat ad ſibi reſtituendam famam. Fauet Leſſius lib. 2. cap. 11. dub. 25. num. 134.

Leſſ.

QVAERITVR nonò, prætèr indicatas cauſas excuſantes à reſtitutione famę, an ſint etiàm aliæ.

Reſpondeo ceſſare obligationem reſtiſtituendę famę. Primò, ſi illam condonauit is, cuius infamia non redũdat in alios. Secundò, ſi fama alia ratione ſit recuperata. Tertiò, ſi prudẽter exiſtimatur abijſſe in obliuionem. Quartò, ſi crimen occultum, quod aliquis propalauit, alia ratione fiat publicum.

QVAERITVR decimò, Vtrùm dubitans an res ſit aliena, poſsit eam retinere, vel alienare.

Reſpondeo primò, quòd quandò quis dubitat de proprietate rei, quam nouit ſe bona fide incepiſſe poſſidere, ſi poſt ſufficientem inquiſitionem de rei proprietate dubitat adhùc an res ſit aliena, iuſtè

Digitized by Google

iuſtè poteſt retinere rem, eamquè conſumere, & alienare. Probatur primò auctoritate multorum DD. & præcipuè Io:Medinę Cod. de reſtitut. quæſt. 12. Couar. in reg. poſſeſſ. 2. parte §. 7. Molin. tom. 1. de iuſt. cap. 7. diſp. 102. Vaſquez in 1. 2. diſp. 66. num. 38. Probatur ſecundò ratione, quia qui præſtantior eſt in Iure, ſiuè qui plus habet Iuris, ex iuſtitia pręferendus eſt in retentione rei, vel in poteſtate diſponendi de illa, ſed habẽs poſſeſſionem fidei in caſu prædicto, ſiquidèm habet bonę fidei poſſeſſionem, quæ eſt quoddam Ius, quod non habet alter, de quo dubitatur, vtrùm habeat rei proprietatem, quam tamèn rem non poſſidet, ergò &c. *Io. Med. Couar. Molin. Vaſq.*

Confirmatur ex regula Iuris in ſexto, vbi dicitur, *In pari cauſa melior eſt conditio poſsidentis*, & hoc etiàm eſt verum, licèt pro altero, qui non poſſidet rem, fortiores videantur eſſe rationes, & coniecturę circa Ius proprietatis, ſi tamèn non ſint adeò efficaces, vt poſſint generare aſſenſum determinatum illius partis, ſed rem adhùc dubiàm relinquant. Ita Sanch. in Decal. tom. 1. lib. 1. c. 10. num. 9. *Reg. Iuris* *Sanch.*

Re-

Reſpondeo ſecundò, cum quis mala fide rem accepit ab alio dubitans eam eſſe alienam, ſi poſt ſufficientem inquiſitionem adhùc de proprietate rei dubitat, rem tùnc eſſe diuidendam pro ratione dubij. Fauent Vaſquez in opuſculis moral. tract. de reſtitut. cap. 65. §. 3. num. 82. Sanchez in Decal. lib. 2. cap. 22. num. 177. Leſs. lib. 2. cap. 14. num. 25. & alij. Ratio eſt, quia cum quis dubitat de proprietate rei, nec habet poſſeſſionem bonę fidei, nulla poteſt eſſe ratio, ob quam poſſit habere totam rem, potiùs quàm alter, ergò tùnc pro ratione dubij diuidenda eſt inter eos, quorum eſſe dubitatur.

Vaſquez. Sanch. Leſs.

QVAERITVR vndecimò, Vtrùm obligatio reſtituendi proueniat ex iniuſta acceptione, ſeu damnificatione, quę non ſit peccatum mortale.

Reſpondeo ſententiam negantem eſſe probabiliſſimam; nimirùm nullam eſſe obligationem reſtituendi ſub mortali ex iniuſta acceptione, quæ ſit tantùm peccatum veniale. Eſt contra multos, ſed nobis fauent Sotus lib. 4. de Iuſt. q. 7. art. 2. in fine, Azor. 3. parte lib. 4. cap. 8. §. Dicendum igitur. Henriq. tract. de irreg. cap.

Sotus. Azor. Henriq.

cap.13.Sanch lib.2. in Decal. cap.23.nu. 160.Malder.cap 20.de reſtitut.cap.vnico, dub. 5. & licèt prædicti auctores loquantur de obligatione reſtituendi in genere,re vera tamèn loquuntur de obligatione reſtituendi ſub mortali, cùm loquantur de obligatione reſtituendi abſolutè,& ſimpliciter,cuiuſmodi eſt ſola obligatio reſtituendi ſub mortali. Sanch. Malder.

Probatur primò, quandò iniuſta acceptio eſt tantùm peccatum veniale ratione imperfectæ deliberationis, quia actus moralis imperfectus non poteſt eſſe cauſa obligationis moralis perfectæ,& grauis, ſed iniuſta acceptio venialitèr tãtùm mala ratione imperfectæ deliberationis eſt actus moralis imperfectus,vt de ſe patet, ergò hæc non poteſt eſſe cauſa obligationis moralis perfectæ, & grauis, qualis eſt obligatio reſtituendi ſub mortali; maior probatur, quia cauſa, & effectus debent eſſe proportionata ad inuicèm, actus autèm moralis, & imperfectus, & obligatio perfecta, & moralis nõ ſunt proportionata inter ſe. Prætereà nequè actus moralis promiſſionis factæ homini, nequè actus moralis promiſſionis

factæ Deo imperfectè deliberatus inducit obligationem ſub mortali, immò nec ſub veniali, vt benè docet ex multis alijs Sanch in Decal.cap.1.nu.8.& Suar.tom. 2.de Relig.lib.1.de eſſentia voti cap 6.

Sanch. Suar.

Confirmatur,quia non minor libertas requiritur ad obligandum ſub mortali, quàm ad tranſgrediendam obligationem cum peccato mortali, ſed ad hoc requiritur perfecta deliberatio, ergò & ad illud, & pro hac parte ſunt auctores citati, & Leſſ.lib.2.cap.7.num.27.& 28.

Leſſ.

Probatur ſecundò Concluſio,quandò iniuſta acceptio eſt tantùm peccatum veniale ratione paruitatis materiæ formalitèr ſumptæ, non materialitèr, vel realitèr, dummodò talis iniuſta acceptio non ſit multiplicata, probatur inquàm, quia obligatio reſtituēdi materiam notabilem proueniens ex iniuſta acceptione non oritur niſi ex iniuſta acceptione materiæ notabilis, ſed iniuſta acceptio, quæ eſt peccatum veniale ratione paruitatis materiæ tantùm formalitèr ſumptæ non eſt iniuſta acceptio materiæ notabilis, ergò ex hoc non poteſt oriri obligatio reſtituendi materiam notabilem, ſiuè, quod idem

eſt,

eſt, reſtituendi ſub mortali. Confirmatur, quia iniuſta acceptio imperfectè deliberata rei grauis non trahit ſecum obligationem rem grauem reſtituendi, ſiuè ſub mortali, quia eſt imperfectè deliberata acceptio rei grauis, ergò à fortiori iniuſta acceptio, quæ eſt omninò deliberata acceptio rei grauis, nullo modo trahit ſecum obligationem reſtituendi rem grauem, vel obligationem reſtituendi ſub mortali.

Dixi, *ſi talis iniuſta acceptio non ſit multiplicata*, quia fieri poteſt, vt ex ea multiplicata oriatur obligatio reſtituendi ſub mortali, vt patet quandò quis plura minuta furta ſucceſſiuè, & modico interuallo diſtantia fecit, & immemor præteritorum deniquè furatur aliquid modicum, ita vt perueniat ad quantitatem grauem, is, ſi totam illam materiam, antequàm recordetur furtorum præteritorum, conſumpſerit, nec ex tali conſumatione factus eſt ditior, tenetur adhùc ſub mortali reſtituere illam quantitatem, ſiuè eius partem, qua reſtituta deſinit eſſe notabilis quantitas, quæ detinetur.

QVAERITVR duodecimò, Vtrùm

meretrix, vel femina, quæ putatur honeſta, ſi accepit exceſſiuum pretium pro turpi corporis ſui vſu, teneatur illum exceſſum reſtituere. 3

Reſpondeo negatiuè. Ita Vaſquez in opuſcul. moral. tract. de reſtitut. cap. 7. n. 9. & 10. & alij apud ipſum. Ratio eſt, quia tribuens meretrici ob turpem cauſam nō inuitò, ſed merè liberè donat, quia cum ipſe tribuens potiùs debeat abſtinere à dando in tali caſu, nec in eam conſentire etiam ob vitandum mortis periculum, ne ſit cauſa peccati futuri, nòn dicitur à meretrice cogi quantumuis exceſſiuum ſit, quod pro vſu ſui corporis exigit. *Vaſquez.*

QVAERITVR decimotertiò, Vtrùm meretrix teneatur reſtituere munera, quæ accepit vltra ſtipendium ab aliquo, eo quod finxit illum perditè amare.

Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt, quia tales fictiones huiuſmodi mulierculàrum neminem latent, vndè cenſentur ſpontè data illa munera. Fauent huic parti DD. qui docent blanditias non efficere inuoluntarium mixtum, quos citat & ſequitur Sanchez de matrim. lib. 4. diſp. 11. & ſic etiam ſentit in prædicto caſu. Teneretur *Sanch.*

tamèn

tamèn meretrix ad reſtituendum quidquid plus iuſto ſtipendio fraudibus extorſit, vt ſi finxit ſe virginem, vel ſemel ab aliquo primario tantùm cognitam, vel nulli præter eum, à quo munera extorſit, ſui corporis vſum concedere aſſeruit, cum tamèn alijs etiàm concederet. Huic parti ſuffragatur idem Sanchez, & plures auctores, quos affert. *Sanch.*

QVAERITVR decimoquartò, Vtrùm periculosè ægrotans, qui poteſt ſtatim ſine magno incommodo ſatisfacere creditoribus, ſeu reſtituere id, quod debet, poſſit licitè differre, & reſtitutionem executioni mandandam heredibus imponere.

Reſpondeo negatiuè, ſed debet ipſe reſtituere ſine mora. Conueniunt communitèr DD. Salon. 2. 2. q. 78. a. 2. controu 8. Azor. 3. parte lib. 4. cap. 34. q. 4. & alij quos citat, & ſequitur Bonac. de contract. & reſtit. diſp. 1. q. 6. puncto vnico num. 15. *Salon.* *Azor.* *Bonac.*

Ratio eſt clara, quia qui non reſtituit, aut non ſoluit, quod debet alteri, cum poſſit ſatis commodè, eſt iniquus detentor rei alienæ, vel alteri debitæ, atque

ita lædit continentèr proximum, ipſum impediens à poſſeſſione, & vſu rei ſuæ, vel debitæ, quæ læſio eſt peccaminoſa, & contra iuſtitiam, ergò eſt obligatio illam remouendi ſtatim, ſi nulla rationabilis cauſa differendi reſtitutionem adeſt.

Adde, quòd tranſmittere ad heredes reſtituendi onus, ſæpè fieri nequit ſine periculo, & incommodo graui creditorum, pauci enim reperiuntur heredes, qui ſolliciti ſint in ſoluendo, vel reſtituẽdo, quæ ſoluere, & reſtituere tenebatur teſtator, & quod peius eſt; aliquandò renuunt reſtituere, vel ſoluere.

QVAERITVR decimoquintò, Vtrùm conſtitutus in periculo, vel articulo mortis ſit excuſatus à reſtitutione, eo quòd, ſi reſtituit, quæ tenet, notabile periculum adeſt, ne filij ſe dedant latrocinijs, aut vxor, vel filiæ vendant pudicitiam.

Rebell. *Nauar.* *Leſſ.* Reſpondeo affirmatiuè. Fauent Rebellus lib. 2. q. 12. ſect. 4. nu. 27. Nauar. cap. 17. num. 5. Leſſ. lib. 2. cap. 16. num. 21. Probatur ratione, nullus tenetur reſtituere bona fortunæ cum damno bonorum ſuperioris ordinis, ſcilicèt famæ, vitæ, vel rerum ad ſalutem animę ſpectãtium,

ergò

ergò nec pater, nec vir tenetur reſtituere bona fortunæ, cum ſimilia damna bonorum ſuperiorum imminent filijs, aut vxori, pater enim, & filij cenſentur vnum quid, & fama vxoris ſpectat ad honorem viri. Antecedens communitèr admittitur ab omnibus, quia tùnc creditor non eſt rationabilitèr inuitus de reſtitutionis omiſſione, & patet ex cap. *9. de pœnit. & remiſsionibus*, vbi Pontifex reſpondet non eſſe denegandam pęnitentiam feminæ non manifeſtanti crimen adulterij, vel partus ſuppoſititij, per quem hereditas adimitur vero heredi, ſi propter criminis manifeſtationem incurrat damnum infamiæ, vel vitæ.

QVAERITVR decimoſextò, Vtrùm infirmus morti proximus teneatur imminuere dotem filiarum, cum non poſſit alitèr reſtituere, quæ tenetur.

Reſpondeo negatiuè, ſi talis imminutio dotis ſit ita notabilis, vt iudicio prudentis per illam cenſeatur mutatus ſtatus proprius iuſtè acquiſitus dicti infirmi, & ſuarum filiarum. Fauet communis opinio, quæ docet debitorem non teneri reſtituere, cui adeò anguſtæ ſunt diuitiæ,

vt non poſſit reſtituere niſi cadat à proprio ſtatu; & iuſtè acquiſito. Nauar. cap. 17. num. 63. Syluest. V. reſtitutio quæſ. 1. 3. & 4. Leſſ. lib. 2. cap. 16. num. 26. & alij apud Sylueſtrum loc. cit.

Nauar. Sylueſt. Leſſ.

Dixi *ſi imminutio ſit notabilis*, nam aliquid ſubtrahere debet debitor de victu, & veſtitu proprio, & familiæ, & conſequentèr etiam de dote filiarum, vt aliqua in parte reſtituat, & ſic creditor tantum damni non patiatur.

Dixi, *ſi ſtatus proprius iuſtè acquiſitus cenſeatur mutatus*, quia ſi ſtatus iniuſtè acquiſitus eſt, reſtitutio non eſt omittenda ob mutationem ſtatus, quia tunc reſtituendo debitor non cadit à ſtatu; ſed redit ad ſtatum priſtinum. Ita Leſs. cit. loco num. 29. & alij; intellige tamèn in prædicto caſu eſſe obligationem reſtituendi, dummodò filiabus amittendi pudicitiam periculum non immineat ex priuatione dotis; ſi enim immineret tale periculum, tùnc militaret ratio vniuerſalis, nimirùm bona inferioris ordinis non eſſe reſtituenda cum periculo amittendi bona ſuperioris ordinis.

Non rarò accidit, vt bona eius, qui eſt

in periculo, vel articulo mortis non ſuffi-ciant in ſolutionem omnibus creditori-bus, ideò breuitèr aliqua communiora circa ordinem ſeruandum in reſtitutione dilucidabo.

QVAERITVR decimoſeptimò, Quis ordo ſit ſeruandus in ſoluendis debitis.

Reſpondeo, Primò reſtituenda eſſe ea, quorum dominium non fuit translatum in debitorem. Ratio eſt, quia quandò res alteri eſt obligata, nec eſt ſub dominio debitoris, reliqui creditores nullum ius habent, vt ex illa re ipſis ſatisfiat, etiam ſi creditor, cuius eſt res, omninò ignoretur, & ideò pauperibus, vel alteri piæ cauſæ reſtituenda eſt.

Secundo loco, Reſtituēda eſſe pro mo-deratis expenſis funeris debitoris, vt pa-tet ex L. penultima ff. de Relig. & ſum-ptibus funeris. Ad hæc reducuntur neceſ-ſaria ad conſcribendum teſtamentum, ad faciendum inuentarium, ad ſupellectilis cuſtodiam; ſub his etiam expenſis intelli-gitur quidquid in veſtes lugubres vxoris, & familiæ inſumitur, ſimilitèr in officia, & Miſſarum numerum conuenientem ha-bita ratione conditionis defuncti, æqui-

tas enim, cui prædicta lex innititur, itá poſtulat: quarè poſſet etiam adhuc viuus debitor ſoluere prædictas futuras expenſas ex rebus debitis. Vide Socin. conſ. 134. num. 39. libr. 1. Rippam in L. Priuileg. nu. 62. ff. de Priuilegijs creditorum. Nota quòd hæc impenſa funeris facta à quocunque pro Titia vxore, ſolui debet ex dote, etiam ſi qui dotauit Titiam, hoc pactum appoſuit, quòd mortua Titia dos integra eſſet reſtituenda, nàm hæc impenſa funeris eſt onus dotale. Vide Alex. conſ. 233. ſuper quæſitis num. 7. V. Si quis lib. 5.

Socin. *Ripp.* *Alex.*

Tertio loco, Reſtituendum eſſe creditoribus habentibus hypothecam, quamuis tẽpore ſint poſteriores creditoribus perſonalibus. Ratio eſt, quia realis, & perſonalis obligatio maior eſt, quàm ſola perſonalis, habens autèm hypothecam habet obligationem realem, & perſonalem, habens enim hypothecam dicitur habere ius in re l. pignore cod. de pignoribus. Facit pro hac re expreſsè L. eos, Cod. qui potiores in pignore.

Quartò, Inter creditores habentes hypothecas eiuſdem rationis, priùs eſſe reſtituendum prioribus tempore, nonnullis

caſibus

caſibus in Iure exceptis, quos infra indicabo. Ita cõmunitèr DD. & patet ex natura iuſtitiæ. An verò tacita hypotheca prior præferatur poſteriori expreſsę, dicam infrà.

Dixi *eiuſdem rationis*, nàm ſpecialis hypotheca, ſecundum aliquos plus confert, quàm generalis aliquandò, quia mãcipia, quæ obligata ſunt in ſpecie, non poſſunt manumitti à domino, ſecus verò ſi per hypothecam generalẽ inquit Card. Tuſcus littera H. concl. 112. ſed quandò hypotheca eſt vniuerſalis omniũ, & ſingulorum bonorum, ſecũdum aliquos Iuris peritos, quia complectitur ea, & ſingula, habet vim ſpecialis hypothecæ. Vide Crau. conſ. 381. num. 3. & 4. & conſ. 485. col. 2. verſ. 2. *Card. Tuſc.* *Crauet.*

Quintò, Reſtituenda eſſe debita priuilegiata, vt eſt dos vxoris, & quæ fiſco debentur. Ita Syluest. Verbo reſtitutio 6. quæſ. 5. & alij. *Syluest.*

Sextò, Debita ex titulo onerofo, ſiuè ex delicto, ſiuè ex contractu priùs eſſe ſoluenda, quàm debita titulo gratioſo. Probatur quia ſi promiſſio, ex qua oritur debitum titulo gratioſo, ſit facta antè im-

potentiã ſoluendi omnibus creditoribus, non poteſt obligare ad illa, quæ ex vi ipſius debentur, ſoluenda antè debita titulo oneroſo, quia in promiſſione includitur generalis illa conditio niſi rerum ſtatus mutetur, per impotentiam autèm ſoluendi cenſetur mutari rerum ſtatus: Si verò promiſsio facta ſit poſt impotentiam ſoluendi, nequè tũc poteſt obligare, quia nihil poteſt promitti in præiudicium tertij. Sylueſt. V. reſtitutio 6. quæſ. 6. Nau. cap. 17. num. 52. Medina cod. de reſtitutione q. 2. dub. 5. & alij.

Sylueſt.
Nauar.
Medina.

Septimò, Reſtituendum eſſe creditoribus perſonalibus certis nullam rem habentibus ſibi obligatam immediatè in genere, vel in ſpecie.

Dixi, *certis*, nàm priùs his ſoluendum eſt, quàm incertis, quandò res non extat in ſpecie, & adhuc ſit ſub dominio creditoris incerti, tùnc enim, vt diximus, reſtituenda eſt pauperibus, vel loco pio. Ratio autèm, cur ſimplicitèr loquendo ſit ſoluendũm priùs debitum certũ, & quidèm integrè, quàm quodcunque debitum incertum, eſt, quia ſi debita incerta non reſtituãtur, nulli propriè fit iniuria, vt probat

bat Vaſquez de reſtitut.cap. 11. num. 10. ſicut fit, ſi non reſtituantur bona certa alteri debita, ſiquidèm debita incerta nulli reſtituenda ſunt, vt vero creditori, ſed tâtùm iure poſitiuo in pia opera, vel pauperes diſtribuenda ſunt, ergò priùs reſtituenda ſunt debita certa, quàm incerta. Huic parti adhærent. Valent. tom. 3. diſp. 5. q. 6. punct. 10. Sayr. in Claui Regia lib. 10. trac. 5. cap. 10. Leſſ. lib. 2. cap. 15. dub. 1. num. 5. & alij communitèr. hæc vera ſunt, niſi aliundè peculiares eſſent leges, vel rationabiles conſuetudines circa ordinem reſtituendi, quæ ſeruandæ erunt. *Vaſquez.* *Valent.* *Sayr.* *Leſſ.*

QVAERITVR decimo octauò, Vtrùm priùs ſoluendum ſit creditoribus perſonalibus qui ex cõtractu oneroſo ſunt creditores, quàm ijs, qui ex delicto ſunt creditores.

Aliqui volunt ſoluenda eſſe priùs debita perſonalia ex delicto, quàm ex contractu licito. Ità Michael Salon. ad finem art. 8. q. 62. in ſecundam ſecundæ Medina, q. 2. de reſtit. dub. 5. Rebell. lib. 2. de reſtit. q. 19. *Salon.* *Medina.* *Rebel.*

Alij tenent debita perſonalia ex contractu oneroſo licito non eſſe ſoluenda

ante debita contracta ex delicto, neque è contra. Ita Molina tom. 3. diſp. 760. Leſſ. lib. 2. cap. 15. num. 16. Vaſquez de reſtit. cap. 11. à num. 39. & alij.

Molin.
Leſſ.
Vaſq.

Reſpondeo hanc poſtremam ſententiam eſſe probabiliorem Ratio eſt, quià in Iure, vbi nihil eſt cautum de priuilegio prælationis, ſtandum eſt naturali iuſtitię, quæ dictat æqualitèr læſis æqualitèr reſtituendum eſſe, ſed Ius prærogatiuam prælationis non tribuit huiuſmodi debitis ex delicto, nequè è contra debitis ex contractu, ergò talia debita cenſentur paria.

QVAERITVR decimonono, An tacita hypotheca prior præferatur poſteriori expreſſæ.

Reſpondeo affirmatiuè. Eſt contra aliquos putantes expreſſam præferri tacitæ, eſt tamen communis aliorum. Cini l. ſi fundus C. qui potiores in pignore, Neguſan. de Pignore in 3. parte princip. num. 18, Alex conſ. 58, nu. 5. lib. 7. Leſſ. lib. 2. cap. 15. dub. 4. num. 23. Probatur L. Hac edictali, in qua tacita bonorum hypotheca prioris mariti præfertur expreſſis aliorum. Probatur ſecundò argumento

Cin.
Neguſan.
Alex.
Leſſ.

mento L. vnicæ, Cod. rē alienam gerens, vbi tutor habens bona tacitè hypothecata, ſi illa alienet, vel expreſſam ſuper illa conſtituat hypothecam, non præiudicat tacitæ hypothecæ priori, quoniàm res ſemper cum ſuo onere tranſit.

Collige ex hoc reſponſo, ſi prior hypotheca tacita erit generalis, habere locum, quod diximus nō ſolum in bonis tempore hypothecæ acquiſitis, ſed etiam poſt hypothecā. Fauet nobis Signorellus cōſ. 64. per totum. *Signorel.*

QVAERITVR vigeſimò, In quibus caſibus oriatur tacita hypotheca.

Reſpondeo plures in Iure reperiri caſus, in quibus tacita gignitur hypotheca. Primò, cum mulièr, vel aliquis pro illa marito dotem promittit, tunc habet in bonis promittentis maritus tacitam hypothecam vi legis, & è contra vxor habet in bonis viri pro dote ſoluta l. 1. C. de rei vxoriç acceſſ. & ſimilitèr hoc extenditur, vt bona ſcilicèt mariti tacitè hypothecata vxori cenſeantur pro fructibus, & bonis paraſernalibus à die adminiſtrationis mariti. Socin. conſ. 82. in cauſa vertente in 4. & 5. colum. lib. 2, Similiter dos ſpiritualis *Socin.*

habet

Io. Ant. de Imola. habet tacitam hypothecã. Ita Io. Ant. de Imola.

Secundò, Habet tacitã hypothecam Fiſcus in bonis eorum, qui Cameræ aliquid nomine contractus, vel tributi debent L. 2. de pœnis fiſci. Vide Neguſan. de pi- *Neguſan.*
gnoribus parte 2. mem. 4. num. 108.

Tertiò, Habet minor in bonis tutoris & curatoris L. pro officio C. de adminiſtratione tutoris. Vide Fulgoſan. conſ. 178. *Fulgoſ.*
& idem eſſe verum affirmant multi DD. de bonis Prælatorum, & eorum, qui bona Eccleſiaſtica adminiſtrãt, eo quòd Eccleſia gaudeat priuilegio minorum.

Quartò, Habẽt filij in bonis patris pro adminiſtratione bonorum aduentitiorũ, quorum vſusfructus ad patrem pertinẽt, eſt autem hypotheca in tali caſu, non pro adminiſtratione, ſed pro pretio bonorũ, ſi ea fuerunt alienata, vel culpa patris *Syluest.* deteriora facta. Vide Sylueſt. verbo Pi- *Molin.* gnus quæſito 1. Molin. diſp. 136. Deducitur ex l. cũ oportet C. de bonis &c. Tertia, & quarta hypotheca ſuperius dicta incipit à die ſuſceptæ adminiſtrationis.

Quintò, Filij in bonis matris trãſeuntis ad ſecundas nuptias pro ijs, quæ gra-

tuitò

tuitò à priori marito, vel eius intuitu obtinuit, L. Hac edictali C. de ſecundis nuptijs.

Sextò, Penſionarius habet hypothecatos fructus beneficij, ſuper quibus eſt pēſio reſeruata. Card. Tuſcus cum alijs littera H. concl. 118. nu. 4. & maximè quādo eſt reſeruata cum clauſula, vt commodiùs ſuſtentare valeat, quia tùnc eſt loco alimentorum, vt notat cit. Card. Tuſcus num. 42. *Card. Tuſc.* *Idem.*

Septimò, Ea quæ delata ſunt, & repeₑriuntur in prædio ruſtico ſciente Domino, & eo animo, vt durante locatione eſſent ibi permanſura, remanent hypothecata tacitè. Vidè Neguſan. de pignoribus in 2. parte principij 4. mem. à nu. 126. vſque ad 155. vbi varias limitationes, & ampliationes ponit, apud quem nu. 141. vide quomodo bona inducta & illata in domo, ſint pro penſione domus obligata, de qua re vide etiam Bart. in l. Inter num. 2. in verſ. nota etiam ff. Qui prior in pignore. *Neguſan.* *Bart.*

Octauò, Res empta pecunia pupilli remanet pupillo hypothecata, ita vt in re illa præferatur etiā alijs priorib⁹ creditoribus.

Pariſienſ. *Negusan.* bus. Vide Pariſienſem conſ.80.num.17. & 18. lib.1. Negusan.citatum num.173.

Nonò, Decimæ, quæ ſoluuntur Eccleſiæ, habent tacitam hypothecam. Negusan.vbi ſupra num.526.verſ.11. apud quem in citato 4.mem. 2. partis viginti tres caſus numerantur, in quibus reſultat tacita hypotheca. Vide etiam Sylueſt. *Silueſt.* *Molin.* & Molin.citata diſp.136.

QVAERITVR vigeſimoprimò, Vtrū debitor licitè poſſit reddere creditori petenti?

Reſpondeo primò, ſi debitor omiſſo creditore habente priorem hypothecam, vel generalem, ſoluat alteri creditori etiam priùs petenti, ſciens id eſſe cum damno præcedentis creditoris, huiuſmodi debitorem peccare, & teneri ad compenſationem damni. Ratio eſt, quia res ideò traditur pignori, vel hypothecæ, vt creditor in omni euentu poſſit curare ex ea ſibi ſatisfieri, ergò ſi debitor alteri licèt petenti reſtituat, facit contra ius illius priuilegiati creditoris, & per conſequens ad reſtitutionem tenetur: immò creditor damnificatus poteſt à creditore recuperare quod ei ſolutum fuerit, vt cō-

ſtat

ſtat ex lege 22. §. Etſi præfatam C. de Iure deliberandi. Leſſ. lib. 2, cap. 15. nu. 38. & alij. *Leſſ.*

Reſpondeo ſecundò, ſi plures ſint creditores non habentes Ius prælationis, & aliquis ex eis priùs exegerit ſolutionem ſiuè in iudicio, ſiuè extrà, poſſe & teneri debitorem ei integrè ſoluere, etiamſi idem ſit tempore poſterior. Colligitur ex L. Pupillus ff. Quæ in fraudē creditorum, in qua dicitur, ſed ſi vigilaui, meliorem meam conditionem feci, quia Ius ciuile vigilantibus ſcriptum eſt, ideoquè non reuocatùr id quod percepi, & hanc legem habere locum in foro conſcientiæ docent Sylueſt. verbo Reſtitutio 6. quæſito 8. *Sylueſt.* Nauar. cap. 17. num. 52. Leſſ. lib. 2. cap. 15. *Nauar.* dub. 1. num. 39. Molin. diſp. 136. in fine *Leſſ.* citans etiam alia Iura in fauorem, eſt ta- *Molin.* men prędictum noſtrum reſponſum contra Vaſquez de reſtit. cap. 11. à num. 108. *Vaſquez.* vbi negat debitorem poſſe prædicto creditori prius extra iudicium petenti ſatisfacere.

QVAERITVR vigeſimoſecundò, An ſi creditor poſterior bona fide recepit ſolutionem à debitore ſiuè bonam, ſiuè malam

lam

ſiam fidem habente, in conſcientia poſſit illam retinere.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, quia non tenetur reſtituere ratione iniuſtę acceptionis, quia non peccauit accipiendo; neque ratione rei acceptę, quia non accepit rem alteri obligatam, vt ſupponimus, neque ratione contractus, quia non ſe obligauit ad recipiendam ſolutionē ante priores creditores. Syluest. verbo reſtitutio 6. quæſito 8. Rebell. lib. 2. de reſtit. q. 19. num. 15. Molin. diſp. 536. Leſſ. lib. 2. cap. 15. num 40.

Syluest. Reb. l. Mol. Leſſ.

Addendum probabile eſſe etiam, quod modò diximus, verificari, etiam ſi alij creditores habeant priuilegium perſonale prælationis abſque hypotheca. Colligitur ex L. 6. ff. Quæ in fraudem creditorum. Idem docent Molina loco cit. & Leſſ. dicto cap. 15. num. 41.

Mol. Leſſ.

QVAERITVR vigeſimotertiò, Vtrū probabile ſit, ſi debitor proprio motu integrè ſatisfęcerit vni creditori cognoſcenti debitorem non poſſe integrè omnibus ſatisfacere, eūdem creditorem licitè poſſe retinere totam ſolutionem.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, quia ſicut

ſicut poſſet totam eam petere, & petens recipere, ita ſi eam receperit licêt non petens, & ſciens debitorem eſſe impotentem ad ſoluendum omnibus, poterit retinere. Ita Molina diſp. 536. §. Hoc loco eſt obſeruandum, & §. Cæterum interrogabis in fine. Leſſ. lib. 2. cap. 15. num. 41. vbi id colligit ex L. 6. ff. Quæ in fraudem creditorum. *Molin.* *Leſſ.*

Dixi, *probabile*, quia contraria ſententia eſt probabilior, quam docet Syluest. Verbo Reſtitutio 6. quæſito 8. Azorius 3. parte lib. 4. cap. 36. q. 8. Rebell. lib. 2. de reſtit. q. 19. num. 15. & ratio eſt, quia accipiendo facit contra Ius reliquorum creditorum, & cooperatur eorum damnificationi, & ideò ad reſtitutionem tenetur. *Syluest.* *Azor.* *Rebel.*

QVAERITVR vigeſimoquartò, Vtrùm debitor habens plures creditores carentes titulo prælationis, poſſit alicui ex illis titulo paupertatis ſatisfacere, prius quàm reliquis.

Reſpondeo ex S. Tho. opuſ. 83. cap. 14. Rebel. lib. 2. de reſtit. q. 19. num. 13. Medina C. de reſtit. q. 2. dub. 5. Sayro in Claui Regia lib. 10. tract. 5. cap. 10. num. 3. & alijs pluribus apud ipſum, eſſe licitum *D. Thom.* *Rebel.* *Med.* *Sayr.*

reſtituere potiùs vni creditorum titulo paupertatis, ſi videlicèt ipſe creditor ſit verè pauper, vel notabilitèr pauperior cæteris. Ratio eſt, quia pauper plus læditur retentione ſuorum, & magis indiget.

QVAERITVR vigeſimoquintò, Vtrùm inter creditores perſonales carentes omni priuilegio prælationis habeat locum regula Iuris, *Qui prior in tempore, potior in iure.*

Communis opinio, quæ eſt probabilior, negat. Fundamentum eſt, quia Iura multa, præcipuè ſub C. Qui potiores in pignore, tantùm prædictam regulam admittunt inter creditores habentes rem eandem hypothecatam.

Reſpondeo ſententiam etiam affirmãtem eſſe probabilem, quam habent Michael Salon. 2. 2. q. 62. a. 8. in fine, & alij, quos citat Leſſ. lib. 2. cap. 15. dub. 6. qui etiam hanc eandem opinionem probabilem putat, licèt contrariam veriorem iudicet. Probabilitas huius opinionis fundatur in naturali æquitate, & confirmatur, quia ſicut ſe habet creditor hypothecarius æqualis iuris ad alium hypothecarium creditorem, ita ſpectata iuſtitia creditor

Salon.
Leſſ.

ditor perſonalis ad alium creditorẽ perſonalem, ſed prædicta regula facit meliorem conditionem creditoris hypothecarij reſpectu alterius hypothecarij eiuſdem rationis, ergò idem affirmari poterit de creditore perſonali reſpectu alterius, & confirmari rursùs poteſt ex gloſſa dictæ regulæ, quæ extendit regulam; *Qui prior &c.* ad multos alios caſus. Hæc, vt ita dicam, cursìm, & raptìm indicaſſe ſufficiat, nam exactior, & integer tractatus de reſtitutione non eſt præſentis inſtituti, & ingens volumen requireret.

*_*_*

CAPVT TERTIVM.

In quo reſoluuntur aliqua quæſita circa Teſtamentum, quod ſæpè ſolent grauiter ægrotantes condere.

HOmines, qui rectè ſapiunt, dum optima vtuntur valetudine, de rebus ſuis diſponunt, cōdendo iuſtum, ęquū, & pium teſtamentum, quià tùnc maturiori conſilio procedunt, nec expectant tempus ægrotationis, aut imminentis mortis, vt tùnc ea moleſtia, ac tædio liberentur, ac periculum præcaueant non benè diſponendi de rebus ſuis, quandò mens anguſtijs, varijſquè ſollicitudinibus turbatur, & tempus illud inter omnia tempora maximè pretioſum, quo homo ad animæ ſuę conſulendum indiget, non inſumatur in condendo teſtamento. Verùm non deſunt multi, qui de vitæ extremo parùm cogitant, atquè ita differunt condere teſtamentum vſquè ad tempus, quo periculosè ægrotant. Quarè tùnc ſæpè ij directione indigent, vt ab ipſis

reſtituantur, quæ reſtitui debent, ſeruato ordine iuſtitiæ, & inſtituantur heredes iuxta ordinem charitatis, & pia legata, ſeu eleemoſynæ in teſtamento, aut codicillo relinquantur, ſi præter ea, quæ creditoribus, vel heredibus debentur, ſuppetit facultas. Ad quam directionem plurimùm conducere poſſunt ea, quæ in præced. cap. huius ſecundi libri de reſtitutione diximus, & aliqua, quæ hìc ſubijciam de teſtamentis.

Sed quamuis opus ſit maximę pietatis ſic dirigere infirmum, vt benè de rebus ſuis diſponat, Religioſi tamèn noſtri Inſtituti profeſſores condendis teſtamentis intereſſe non debent, vt ſic earum ſuſpicionum, quas facilè poſſunt concipere homines, quòd Noſtri tali euentu propria quærant emolumenta, occaſionem auferant. Hoc etiam facit ad pacem cum omnibus, quantùm fieri poteſt, ſeruandā; ſępè enim multi, qui vel hereditatem, vel legata ſperabant, ſi à teſtatore priuentur, ęgrè id ferentes exiſtimare facilè poſſunt Patrem ſpiritualem ita ſuaſiſſe, maximè quandò conſtat illum interfuiſſe, dum teſtamentum conderetur, & ſic

quodquè ita iuramento confirmauit, vt iureiurando promiſerit ſe non reuocaturum, poſſit abſquè periurij reatu prædictum teſtamentum reuocare, vt meliùs de rebus ſuis diſponat.

Certùm eſt primò, ſecluſo iuramento eam eſſe teſtamenti naturam, vt pro arbitrio teſtatoris poſſit immutari, & reuocari. L. 4. ff. de adimenda legitima.

Certum eſt etiam ſecũdò, ſi teſtamentum iuramento ſit confirmatum, & contineat diſpoſitionem cõtra Ius diuinum, aut humanum, poſſe ſine culpa periurij reuocari, quia iuramentum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis.

Reſpondeo non poſſe teſtatorem abſquè peccato periurij reuocare teſtamentum, quod ſe non reuocaturum iurauit. Eſt contra aliquos Iuriſperitos, quos citat Couar. in Rubrica de teſtamentis parte 2. num. 15. Sed eſt communis aliorum eiuſdem Couar. citata parte 2. num. 15. Iulij Clari 3. lib. Sententiarum §. Teſtamentum, quæſito 49. Lud. Mol. diſp. 151. §. Contrariam ſententiam, Leſſ. lib. 2. cap. 29. dub. 8. num. 95. Probatur, quia cum non reuocare dictum teſtamentum nihil

Couar.
Iul. Clari
Mol.
Leſſ.

mali

mali contineat, vt ſupponimus, iuramentum de non reuocãdo ſuperadditum abſquè ſalutis præiudicio ſeruari poteſt, ergò eſt implendum, vt cõſtat ex cap. Quãuis pactum de pactis in ſexto.

QVAERITVR tertiò, An, ſi reuocetur teſtamentum iureiurando firmatum, vt diximus, & aliud nouum cõdatur, ſit validum hoc poſtremum.

Couar. loco citato num. 46. cum plurimis Iuriſperitis affirmat ſecundum teſtamentum præferendum eſſe priori, ac proindè prius eſſe irritum, etiam ſi id cõditum eſſet ad pias cauſas. Fũdamentum præcipuum eſt, quia tale iuramentum nõ aufert poteſtatem ad teſtandum, quam Ius gentium, & ciuile concedit, ſed ſolùm facit, vt ſine periurio non poſſit aliud teſtamentum condi. *Couar.*

Reſpondeo, ſi is, in cuius fauorem fuit primum teſtamentum conditum iuramẽto confirmatum non reuocandi, ſciuit, & acceptauit huiuſmodi promiſſionem ità iuramento confirmatam, inualidum eſſe ſecundum teſtamẽtum. Fauet nobis Molina dicta diſp. 152. §. Saluo autèm meliori iudicio, & Leſſ. lib. 2. cap. 19. num. 100. *Mol.* *Leſſ.*

Ra-

Ratio eſt, quia ex promiſſione iureiurando confirmata oritur vera obligatio realis, & ob illam datur actio, tàm de iure ciuili, quàm canonico, non ſolùm aduersùs promiſſionem, ſed etiam aduersùs heredes illius.

Dixi, *ſi is, in cuius fauorem &c. ſciuit, & acceptauit*, ſi enim neſciuit, ex tali iuramento nõ eſt orta obligatio realis, quæ ad heredes tranſeat, ſed perſonalis tantũ, quæ manſit in ſolo teſtatore, vt benè notat Leſſ. citatus num. 100.

Leſſ.

QVAERITVR quartò, Vtrùm validũ ſit teſtamentum, ad quòd cõdendum quis inductus fuit blanditijs, vel precibus.

Reſpondeo, dummodò preces non ſint importunæ, & blanditiæ ſine fraude, & dolo, validum eſſe. Probatur ex L. vltima, ff. Si quis aliquem teſtari prohibuerit. Menoch. de arbitrarijs lib. 2. centuria 4. caſu 395. num. 41. & alij communitèr aſſerunt non vitiari teſtamentum, quod vir vxoris blanditijs ductus in ipſius fauorem confecit: hinc infertur, quòd ſi quis velit teſtamento relinquere alteri hereditatem ob gratitudinem, tu verò precibus mutes eius voluntatem, vt tibi

Menoch.

relin-

relinquat, non teneris reſtituere, quia precibus non importunis ſine vi, & fraude mutare liberam voluntatem alterius in tali caſu non eſt vlli iniurioſum, ac proindè nec trahit obligationem reſtituendi.

Dixi primò, *dummodò preces non ſint importunæ*, nam ſollicitare ægrotum per importunas preces, vt alio modo diſponat de rebus ſuis, hoc eſſet cōtra iuſtitiā, quia preces importunæ tempore ægritudinis maximè æquiualent violentiæ. Fauet nobis Gutierez quæſt. canon lib. 1. cap. 37. num. 20. quem ſequitur Sanchez lib. 4. de matrim. diſp. 10. num. 8. Molina autèm tom. 1. tract. 2. diſp. 135. ſub §. Si tamèn, aduertit in prædicto caſu, vt diſpoſitio ſit nulla, conſurgatquè obligatio reſtituendi, non ſufficere preces importunas, ſed neceſſarium eſſe, vt teſtator ſit in ea quaſi habituali diſpoſitione, quòd ſi interrogaretur ſecretò ab aliquo extraneo, reſponderet ſe velle, vt nihil impediente illa ſua diſpoſitione, ad quam faciendam precibus importunis fuit inductus, aliud fieret de ſuis bonis: ſi verò (ſubdit idem Molina) poſito quòd ita diſponat, in ea ſit quaſi habituali diſpoſitione,

Gutierez. *Sanch.* *Molin.*

Idem.

tione, vt velit validam nihilominùs illam eſſe (quod ſæpè accidet) peccauit quidèm contra charitatem, immò & contra iuſtitiam aduerſùs teſtatorem, qui iniuriam illius moleſtiæ illi intulit, ſed non tenetur bona reſtituere, ſibi eo pacto relicta, eo quòd tandèm plenè, & ſimplicitèr voluit, vt eſſent illius. Ego verò cùm de expreſſa volũtate teſtatoris non conſtat, puto eſſe diligentèr conſiderandas coniecturas, vt prudens iudicium eliciatur, quænam fuerit vltima voluntas teſtatoris.

Infertur à fortiori idem dicendum eſſe de metu reuerentiali, quod de precibus importunis dictum fuit; vt notat citatus Molina. *Molin.*

Dixi secũdò, *ſi blanditiæ ſint ſine fraude, & dolo*, quia per vim, vel fraudem, aut deceptionẽ, ſiue mendacium impedire quẽpiam à conſecutione boni ſperati, licèt non debiti ex iuſtitia, inducit obligationem reſtituendi, ſiuè vis, vel fraus, aut deceptio exerceatur in ipſum ſperantem, ſiue in illum, à quo ſperatur. Ratio eſt, quia licèt nemo habeat ius in re, vel ad rem ſibi non debitam ex iuſtitia, habet tamèn

ius

ius ad hoc, vt non per vim, vel fraudem impediatur à conſecutione eiuſdem rei. Quarè, ſi quis mutat animum teſtatoris narrando ei aliquid falſi, cui teſtator hereditatem relinquere, vel aliquid legare decreuerat, tenetur ad reſtitutionem; ſimilitèr & qui per vim, vel fraudem, aut deceptionem impedit aliquem, ne faciat teſtamentum, vel ne mutet iam factum, prohibendo v.g. ne teſtes, vel Notarij accedant, aut alia ratione, teneri ad reſtituẽdum damnificatis, vt benè notat Salon. 2. 2. q. 62. art. 2. Molina tom. 1. diſp. 135. ad finem, qui etiam adnotat modo prædicto impedientes, ne teſtator teſtamentum cõdat, aut mutet, in exteriori foro priuari omni emolumento bonorum talis defuncti, adiudicariquè fiſco id, quod eſtò teſtari nõ prohibuiſſent, ex bonis illius defuncti illis erat obuenturum, vt filius legitima ſua portione, in qua à patre neceſſariò heres erat inſtituendus. Ità habetur l. 1. & 2. ff. ſi quis aliquem teſtari prohibuerit, l. 2. cod. eodem titulo, l. teſtamenti, cod. de inofficioſo teſtamento. *Salon. Mol.*

QVAERITVR quintò, Quotuplex ſit teſtamentum, & quæ ſolemnitates de iu-

re ciuili requirantur in teſtamentis.

Reſpondeo primò, duplex eſſe teſtamentum, alterum in ſcriptis, quod clauſum appellari vulgò ſolet, quia tabellionem, & teſtes, quid in eo contineatur, latet, & idcircò ſolum in ſcriptis fieri poteſt; alterum nuncupatiuum, quia quid in eo diſponatur, voce nuncupatur, ac declaratur, & hoc vulgò apertum teſtamentum dicitur.

Reſpondeo ſecundò, in teſtamento in ſcriptis de iure communi hanc, quam modò ſubijciam, ſolemnitatem eſſe neceſſariam poſt confectam, & clauſam ſcripturam, in qua voluntas teſtatoris contineatur; adhiberi debent ſeptem teſtes maſculi, liberi, aut qui liberi reputentur, puberes, ac proindè qui 14. annum compleuerint, ac rogati, hoc eſt ad id vocati, ſeu inuitati, coram quibus teſtator vno, eodemquè tempore dicat, ac manifeſtet illud eſſe ſuum teſtamentum, illudquè propria manu ſubſcribat, ſin minùs adhibendus eſt octauus teſtis, qui loco illius id ſubſcribat, deindè ſubſcribere debent illud vno, eodemq; tempore ſeptem illi teſtes, ſinguliquè debet illud ſignare ſiuè ſuo proprio

prio anulo, aut ſigillo, ſiuè alieno, ſufficitquè, vt omnes illud ſigillent eodem anulo. Ità habetur l. Hac conſultiſſima, Cod.de teſtamẽtis, vbi ſubiungitur, ſi aliquid horum deficiat, tale teſtamentum pro infecto haberi conuenit; idem diſponitur Inſtituta de teſtamentis, §.ſed cum paulatim,& in alijs Iuribus.

Reſpondeo tertiò, ſeptem teſtes eſſe neceſſarios de iure communi in teſtamẽto nuncupatiuo, qui teſtes paritèr debent eſſe maſculi, liberi, aut liberi reputati, puberes, rogati, qui conueniant, & audiant, ac intelligant teſtatoris voluntatem, vel ſcriptam, vel voce tenus prolatam, ſi voce tenus teſtamentum ſine vlla ſcriptura cõdatur, nec eſſe neceſſariam ſubſcriptionem, aut ſigillum. Ità habetur l. Hac conſultiſſima, §. per nuncupationem, cod. de teſtamentis. Inſtituta de teſtamentis, §. vltimo, & l. heredes palam, ff. eodem titulo.

Cæcus non poteſt niſi nuncupatiuè teſtari, & de iure communi teſtari debet coràm ſeptem teſtibus, & tabellione, quòd ſi hic non poſſit intereſſe, adhibendus eſt octauus teſtis, qui locum tabellionis ſubeat.

CAPVT TERTIVM.

In quo reſoluuntur aliqua quæſita circa Teſtamentum, quod ſæpè ſolent grauiter ægrotantes condere.

Homines, qui rectè ſapiunt, dum optima vtuntur valetudine, de rebus ſuis diſponunt, cōdendo iuſtum, ęquū, & pium teſtamentum, quià tùnc maturiori conſilio procedunt, nec expectant tempus ægrotationis, aut imminentis mortis, vt tùnc ea moleſtia, ac tædio liberentur, ac periculum præcaueant non benè diſponendi de rebus ſuis, quandò mens anguſtijs, varijſquè ſollicitudinibus turbatur, & tempus illud inter omnia tempora maximè pretioſum, quo homo ad animæ ſuę conſulendum indiget, non inſumatur in condendo teſtamento. Verùm non deſunt multi, qui de vitæ extremo parùm cogitant, atquè ita differunt condere teſtamentum vſquè ad tempus, quo periculosè ægrotant. Quarè tùnc ſæpè ij directione indigent, vt ab ipſis

reſti-

reſtituantur, quæ reſtitui debent, ſeruato ordine iuſtitiæ, & inſtituantur heredes iuxta ordinem charitatis, & pia legata, ſeu eleemoſynæ in teſtamento, aut codicillo relinquantur, ſi præter ea, quæ creditoribus, vel heredibus debentur, ſuppetit facultas. Ad quam directionem plurimùm conducere poſſunt ea, quæ in præced. cap. huius ſecundi libri de reſtitutione diximus, & aliqua, quæ hìc ſubijciam de teſtamentis.

Sed quamuis opus ſit maximę pietatis ſic dirigere infirmum, vt benè de rebus ſuis diſponat, Religioſi tamèn noſtri Inſtituti profeſſores condendis teſtamentis intereſſe non debent, vt ſic earum ſuſpicionum, quas facilè poſſunt concipere homines, quòd Noſtri tali euentu propria quærant emolumenta, occaſionem auferant. Hoc etiam facit ad pacem cum omnibus, quantùm fieri poteſt, ſeruandā; ſępè enim multi, qui vel hereditatem, vel legata ſperabant, ſi à teſtatore priuentur, ęgrè id ferentes exiſtimare facilè poſſunt Patrem ſpiritualem ita ſuaſiſſe, maximè quandò conſtat illum interfuiſſe, dum teſtamentum conderetur, & ſic

CAPVT TERTIVM.

In quo reſoluuntur aliqua quæſita circa Teſtamentum, quod ſæpè ſolent grauiter ægrotantes condere.

HOmines, qui rectè ſapiunt, dum optima vtuntur valetudine, de rebus ſuis diſponunt, cōdendo iuſtum, ęquū, & pium teſtamentum, quià tùnc maturiori conſilio procedunt, nec expectant tempus ægrotationis, aut imminentis mortis, vt tùnc ea moleſtia, ac tædio liberentur, ac periculum præcaueant non benè diſponendi de rebus ſuis, quandò mens anguſtijs, varijſquè ſollicitudinibus turbatur, & tempus illud inter omnia tempora maximè pretioſum, quo homo ad animæ ſuę conſulendum indiget, non inſumatur in condendo teſtamento. Verùm non deſunt multi, qui de vitæ extremo parùm cogitant, atquè ita differunt condere teſtamentum vſquè ad tempus, quo periculosè ægrotant. Quarè tùnc ſæpè ij directione indigent, vt ab ipſis

teſti-

reſtituantur, quæ reſtitui debent, ſeruato ordine iuſtitiæ, & inſtituantur heredes iuxta ordinem charitatis, & pia legata, ſeu eleemoſynæ in teſtamento, aut codicillo relinquantur, ſi præter ea, quæ creditoribus, vel heredibus debentur, ſuppetit facultas. Ad quam directionem plurimùm conducere poſſunt ea, quæ in præced. cap. huius ſecundi libri de reſtitutione diximus, & aliqua, quæ hìc ſubijciam de teſtamentis.

Sed quamuis opus ſit maximę pietatis ſic dirigere infirmum, vt benè de rebus ſuis diſponat, Religioſi tamèn noſtri Inſtituti profeſſores condendis teſtamentis intereſſe non debent, vt ſic earum ſuſpicionum, quas facilè poſſunt concipere homines, quòd Noſtri tali euentu propria quærant emolumenta, occaſionem auferant. Hoc etiam facit ad pacem cum omnibus, quantùm fieri poteſt, ſeruandã; ſępè enim multi, qui vel hereditatem, vel legata ſperabant, ſi à teſtatore priuentur, ęgrè id ferentes exiſtimare facilè poſſunt Patrem ſpiritualem ita ſuaſiſſe, maximè quandò conſtat illum interfuiſſe, dum teſtamentum conderetur, & ſic

eundem indignationis affectu proſequũtur. Præcipuè autem ſeruare debent Noſtri, quod à Gregorio XIV. in Bulla incipiente, *Illius qui pro gregis dominici &c.* edita pro erectione noſtræ Religionis iniungitur, ſcilicet Noſtri non ſint auctores ægrotis, vt aliquid nobis donent, aut relinquant, cuius verba hæc ſunt. *Quinimmò, vt noſtrarum vtilitatũ ratio omnis prætermittatur, nec quiſquam proprio emolumento ſtudeat, neutiquam Noſtri ægrotis auctores ſint, neque conſilium dent, aut hortentur, vt aliquid erogent eleemoſynæ, aut teſtamentum faciant, aut legata relinquant in rem, aut vtilitatem noſtram.* Quarè, ſi teſtator conſilium ab aliquo è Noſtris petat, antequàm teſtamentum condat, opera pietatis in genere proponat, & ſi aliqua ratio vrgeat, vt ad aliqua particularia deſcendat, ea ſuggerat, quę maiorem Dei gloriam reſpicere, & ad proximos magis iuuandos opportuniora eſſe iudicabuntur. Sed vt inſtitutum proſequamur.

In Bulla Gregorij XIV.

QVAERITVR primò, An habens bona, & cui permiſſum eſt de illis diſponere, teneatur, cum periculosè ęgrotat, con-

dere teſtamentum, ſi anteà illud non condiderit.

Reſpondeo ſæpè teneri infirmum in graui periculo mortis conſtitutum teſtari, quotiès nimirùm id exigit iuſtitia, vel charitas. Iuſtitia obligat, ſi ſint debita, quæ niſi exprimantur teſtamẽto, vel codicillo, eorumquè ſolutio iniungatur ſtricto modo heredibus, creditores damnũ paterentur. Charitas verò obligat, quotiès probabilitèr timentur diſſidia, lites, & odia, ſi res per teſtamentum, aut codicillum non diſponantur. Si verò nullum damnum ex iuſtitia reparandum, nec ſcãdalũ, aut odium, aut diſſidium immineat ex omiſſione teſtamenti; tùnc nulla erit culpa, ſi quis inteſtatus velit decedere. Ita *Molin.* Molina diſp. 135. qui optimè monet rectam rationem, aliorumquè exemplum poſtulare, vt pro quantitate ſuorum bonorum, ſpectatis circumſtantijs omnibus concurrentibus, qui morti eſt proximus, aliqua diſponat pro anima ſua; quandò non conſtat certò heredem, aut heredes id ſufficientèr non præſtaturos.

QVAERITVR ſecundò, An periculosè ægrotans, qui teſtamentum condidit,

quodquè ita iuramento confirmauit, vt iureiurando promiſerit ſe non reuocaturum, poſſit abſquè periurij reatu prædictum teſtamentum reuocare, vt meliùs de rebus ſuis diſponat.

Certùm eſt primò, ſecluſo iuramento, eam eſſe teſtamenti naturam, vt pro arbitrio teſtatoris poſſit immutari, & reuocari. L. 4. ff. de adimenda legitima.

Certum eſt etiam ſecūdò, ſi teſtamentum iuramento ſit confirmatum, & contineat diſpoſitionem cōtra Ius diuinum, aut humanum, poſſe ſine culpa periurij reuocari, quia iuramentum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis.

Reſpondeo non poſſe teſtatorem abſquè peccato periurij reuocare teſtamentum, quod ſe non reuocaturum iurauit. Eſt contra aliquos Iuriſperitos, quos citat Couar. in Rubrica de teſtamentis parte 2. num. 15. Sed eſt communis aliorum eiuſdem Couar. citata parte 2. num. 15. Iulij Clari 3. lib. Sententiarum §. Teſtamentum, quæſito 49. Lud. Mol. diſp. 151. §. Contrariam ſententiam, Leſſ. lib. 2. cap. 19. dub. 8. num. 95. Probatur, quia cum non reuocare dictum teſtamentum nihil

Couar.
Iul. Clari
Mol.
Leſſ.

mali contineat, vt ſupponimus, iuramentum de non reuocãdo ſuperadditum abſquè ſalutis præiudicio ſeruari poteſt, ergò eſt implendum, vt cõſtat ex cap. Quãuis pactum de pactis in ſexto.

QVAERITVR tertiò, An, ſi reuocetur teſtamentum iureiurando firmatum, vt diximus, & aliud nouum cõdatur, ſit validum hoc poſtremum.

Couar. loco citato num. 46. cum plurimis Iuriſperitis affirmat ſecundum teſtamentum præferendum eſſe priori, ac proindè prius eſſe irritum, etiam ſi id cõditum eſſet ad pias cauſas. Fũdamentum præcipuum eſt, quia tale iuramentum nõ aufert poteſtatem ad teſtandum, quam Ius gentium, & ciuile concedit, ſed ſolùm facit, vt ſine periurio non poſſit aliud teſtamentum condi. *Couar.*

Reſpondeo, ſi is, in cuius fauorem fuit primum teſtamentum conditum iuramẽto confirmatum non reuocandi, ſciuit, & acceptauit huiuſmodi promiſſionem ità iuramento confirmatam, inualidum eſſe ſecundum teſtamẽtum. Fauet nobis Molina dicta diſp. 152. §. Saluo autèm meliori iudicio, & Leſſ. lib. 2. cap. 19. num. 100. *Mol.* *Leſſ.*

Ra-

Ratio eſt, quia ex promiſſione iureiurando confirmata oritur vera obligatio realis, & ob illam datur actio, tàm de iure ciuili, quàm canonico, non ſolùm aduersùs promiſſionem, ſed etiam aduersùs heredes illius.

Dixi, *ſi is, in cuius fauorem &c. ſciuit, & acceptauit*, ſi enim neſciuit, ex tali iuramento nō eſt orta obligatio realis, quæ ad heredes tranſeat, ſed perſonalis tantū, quæ manſit in ſolo teſtatore, vt benè notat Leſſ. citatus num. 100.

Leſſ.

QVAERITVR quartò, Vtrùm validū ſit teſtamentum, ad quòd cōdendum quis inductus fuit blanditijs, vel precibus.

Reſpondeo, dummodò preces non ſint importunæ, & blanditiæ ſine fraude, & dolo, validum eſſe. Probatur ex L. vltima, ff. Si quis aliquem teſtari prohibuerit. Menoch. de arbitrarijs lib. 2. centuria 4. caſu 395. num. 41. & alij communitèr aſſerunt non vitiari teſtamentum, quod vir vxoris blanditijs ductus in ipſius fauorem confecit: hinc infertur, quòd ſi quis velit teſtamento relinquere alteri hereditatem ob gratitudinem, tu verò precibus mutes eius voluntatem, vt tibi relin-

Menoch.

relinquat, non teneris restituere, quia precibus non importunis ſine vi, & fraude mutare liberam voluntatem alterius in tali caſu non eſt vlli iniurioſum, ac proindè nec trahit obligationem reſtituendi.

Dixi primò, *dummodò preces non ſint importunæ*, nam ſollicitare ægrotum per importunas preces, vt alio modo diſponat de rebus ſuis, hoc eſſet cōtra iuſtitiā, quia preces importunæ tempore ægritudinis maximè æquiualent violentiæ. Fauet nobis Gutierez quæſt. canon lib. 1. cap.37.num.20. quem ſequitur Sanchez lib.4.de matrim.diſp.10.num.8. Molina autèm tom.1.tract.2.diſp.175. ſub §. Si tamèn, aduertit in prædicto caſu, vt diſpoſitio ſit nulla, conſurgatquè obligatio reſtituendi, non ſufficere preces importunas, ſed neceſſarium eſſe, vt teſtator ſit in ea quaſi habituali diſpoſitione, quòd ſi interrogaretur ſecretò ab aliquo extraneo, reſponderet ſe velle, vt nihil impediente illa ſua diſpoſitione, ad quam faciendam precibus importunis fuit inductus, aliud fieret de ſuis bonis: ſi verò (ſubdit idem Molina) poſito quòd ità diſponat, in ea ſit quaſi habituali diſpoſitione,

Gutierez. Sanch. Molin.

Idem.

tione, vt velit validam nihilominùs illam eſſe (quod ſæpè accidet) peccauit quidèm contra charitatem, immò & contra iuſtitiam aduerſùs teſtatorem, qui iniuriam illius moleſtiæ illi intulit, ſed non tenetur bona reſtituere, ſibi eo pacto relicta, eo quòd tandèm plenè, & ſimplicitèr voluit, vt eſſent illius. Ego verò cùm de expreſſa volūtate teſtatoris non conſtat, puto eſſe diligentèr conſiderandas coniecturas, vt prudens iudicium eliciatur, quænam fuerit vltima voluntas teſtatoris.

Infertur à fortiori idem dicendum eſſe de metu reuerentiali, quod de precibus importunis dictum fuit; vt notat citatus Molina. Molin.

Dixi secūdò, *ſi blanditiæ ſint ſine fraude, & dolo*, quia per vim, vel fraudem, aut deceptionē, ſiue mendacium impedire quēpiam à conſecutione boni ſperati, licèt non debiti ex iuſtitia, inducit obligationem reſtituendi, ſiuè vis, vel fraus, aut deceptio exerceatur in ipſum ſperantem, ſiue in illum, à quo ſperatur. Ratio eſt, quia licèt nemo habeat ius in re, vel ad rem ſibi non debitam ex iuſtitia, habet tamèn

ius ad hoc, vt non per vim, vel fraudem impediatur à conſecutione eiuſdem rei. Quarè, ſi quis mutat animum teſtatoris narrando ei aliquid falſi, cui teſtator hereditatem relinquere, vel aliquid legare decreuerat, tenetur ad reſtitutionem; ſimilitèr & qui per vim, vel fraudem, aut deceptionem impedit aliquem, ne faciat teſtamentum, vel ne mutet iam factum, prohibendo v.g. ne teſtes, vel Notarij accedant, aut alia ratione, teneri ad reſtituẽdum damnificatis, vt benè notat Salon. 2. 2. q. 62. art. 2. Molina tom. 1. diſp. 135. ad finem, qui etiam adnotat modo prædicto impedientes, ne teſtator teſtamentum cõdat, aut mutet, in exteriori foro priuari omni emolumento bonorum talis defuncti, adiudicarique fiſco id, quod eſtò teſtari nõ prohibuiſſent, ex bonis illius defuncti illis erat obuenturum, vt filius legitima ſua portione, in qua à patre neceſſariò heres erat inſtituendus. Ità habetur l. 1. & 2. ff. ſi quis aliquem teſtari prohibuerit, l. 2. cod. eodem titulo, l. teſtamenti, cod. de inofficioſo teſtamento. *Salon.* *Mol.*

QVAERITVR quintò, Quotuplex ſit teſtamentum, & quæ ſolemnitates de iu-

re ciuili requirantur in teſtamentis.

Reſpondeo primò, duplex eſſe teſtamentum, alterum in ſcriptis, quod clauſum appellari vulgò ſolet, quia tabellionem, & teſtes, quid in eo contineatur, latet, & idcircò ſolum in ſcriptis fieri poteſt; alterum nuncupatiuum, quia quid in eo diſponatur, voce nuncupatur, ac declaratur, & hoc vulgò apertum teſtamentum dicitur.

Reſpondeo ſecundò, in teſtamento in ſcriptis de iure communi hanc, quam modò ſubijciam, ſolemnitatem eſſe neceſſariam poſt confectam, & clauſam ſcripturam, in qua voluntas teſtatoris contineatur; adhiberi debent ſeptem teſtes maſculi, liberi, aut qui liberi reputentur, puberes, ac proindè qui 14. annum compleuerint, ac rogati, hoc eſt ad id vocati, ſeu inuitati, coram quibus teſtator vno, eodemquè tempore dicat, ac manifeſtet illud eſſe ſuum teſtamentum; illudquè propria manu ſubſcribat, ſin minùs adhibendus eſt octauus teſtis, qui loco illius id ſubſcribat, deindè ſubſcribere debent illud vno, eodemq; tempore ſeptem illi teſtes, ſinguliquè debet illud ſignare ſiuè ſuo proprio

prio anulo, aut ſigillo, ſiuè alieno, ſufficitquè, vt omnes illud ſigillent eodem anulo. Ità habetur l. Hac conſultiſſima, Cod. de teſtamẽtis, vbi ſubiungitur, ſi aliquid horum deficiat, tale teſtamentum pro infecto haberi conuenit; idem diſponitur Inſtituta de teſtamentis, §. ſed cum paulatim, & in alijs Iuribus.

Reſpondeo tertiò, ſeptem teſtes eſſe neceſſarios de iure communi in teſtamẽto nuncupatiuo, qui teſtes paritèr debent eſſe maſculi, liberi, aut liberi reputati, puberes, rogati, qui conueniant, & audiant, ac intelligant teſtatoris voluntatem, vel ſcriptam, vel voce tenus prolatam, ſi voce tenus teſtamentum ſine vlla ſcriptura cõdatur, nec eſſe neceſſariam ſubſcriptionem, aut ſigillum. Ità habetur l. Hac conſultiſſima, §. per nuncupationem, cod. de teſtamentis. Inſtituta de teſtamentis, §. vltimo, & l. heredes palam, ff. eodem titulo.

Cæcus non poteſt niſi nuncupatiuè teſtari, & de iure communi teſtari debet coràm ſeptem teſtibus, & tabellione, quòd ſi hic non poſſit intereſſe, adhibendus eſt octauus teſtis, qui locum tabellionis ſubeat.

beat. Aliæ ſolemnitates ſeruandæ in teſtamento cæci habentur in citata l. Hac conſultiſſima.

QVAERITVR ſextò, An teſtamentum factum ad pias cauſas, ſi deſint prędictæ ſolemnitates, ſit validum.

Dicitur teſtamentũ ad pias cauſas conditum, quandò heres inſtituitur Eccleſia, Monaſterium, vel pauperes, vel aliquis locus, qui oblatas, vel collectas eleemoſynas in opera pietatis inſumit.

Reſpondeo primò, etiam in foro exteriori ad valorem teſtamenti conditi ad pias cauſas ſufficere, ſi adſint duo teſtes ſiuè maſculi, ſiuè feminæ. Colligitur apertè ex cap. relatum 1. de teſtamentis, & communitèr DD. quos citat, & ſequitur Leſſ. lib. 2. cap. 19. dub. 2. num. 4. Molina to. 1. diſp. 134. §. In diſpoſitionibus.

Reſpondeo ſecundò, in foro conſcientiæ ſufficere ad valorem teſtamenti facti ad pias cauſas poteſtatem in diſponente, capacitatem in eo, in cuius fauorem diſponitur, & libertas in diſpoſitione, quæ omnia iure naturali requiruntur. Ità Leſſ. cit. nu. 7. & Molina loco cit. §. Quin cum eodem Couar. & ratio eſt, quia ſolemni-

tas,

tás, quæ requiritur in cit.cap. relatum ad valorem teſtamenti ad piam cauſam, non ità requiritur, vt illa deficiente non ſubſiſtat teſtamentum,ſed ſolùm, vt probari poſſit in foro externo.

QVAERITVR ſeptimò, Si grauitèr ægrotans habebat animum condendi teſtamentum ad piam cauſam, & ad id fortè habebat paratam inſtructionem manu propria ſcriptam, dùm verò aduocatur tabellio,morte præuenitur,an pius locus qui erat inſtituendus heres, poſſit in foro conſcientiæ prætendere dictam hereditatem.

Reſpondeo cum communi ſententia negatiuè,quia hęc non eſt diſpoſitio ſimplicitèr,cum re vera nihil diſpoſuerit.

QVAERITVR octauò, An valida ſit diſpoſitio,ſi grauitèr ægrotãs,teſtamẽtum, aut codicillũ verbo,aut ſcripto iã incepit ad piam cauſam,& quędam in eo iam abſolutè diſpoſuit,ſed morte præuentus nõ potuit abſoluere.

Reſpondeo quoad ea,quę iam abſolutè diſpoſuit,validam eſſe diſpoſitionem. Ità cum Bart. Panormit. & alijs Couar. de teſtam.cap.cum tibi,num.10.& Moli- *Bart.* *Panormit.* *Couar.* *Mol.*

Ii na

na tom.1.diſp.134.in fine, qui hoc benè probat, quia ſtando in ſolo iure naturæ ſecluſa iuris ciuilis diſpoſitione ſunt valida illa, vt potè iam diſpoſita, ſed vt diſpoſitio ſit valida ad piam cauſam, ſolùm requiruntur ea, quæ de iure naturali exiguntur, ergò &c.

QVAERITVR nonò, An ſit validum in foro conſcientiæ teſtamentum factum non ad piam cauſam, ſi ei deſint ſolemnitates à iure ciuili requiſitæ, quas retulimus ſupra quæſito 5.

Reſpondeo validum eſſe in foro conſcientiæ. Eſt contra Couar.cap.10.de teſtam. num. 12. & aliquos alios, ſed eam tenent communitèr cæteri DD. quos affert,& ſequitur Leſſius lib.2.cap.19.dub. 3.num.14. Plures rationes ad hanc partē comprobandam afferuntur, inter quas hæc mihi ſatis efficax videtur, ſcilicèt nihil eſſe adeò conueniens naturali ęquitati, quàm voluntatem domini volentis rem ſuam in alium transferri, ratum haberi, vt traditur Inſtituta de rerum diuiſione, §.per traditionem, ergò non eſt cōueniens, vt omiſſio talium ſolemnitatum impediat hominis voluntatem, ne maximè

Couar.

Leſsius.

mè in vitæ extremo poſſit de ſuis bonis diſponere. Vndè meritò Iulius Clarus §. *Iul. Clar.* Teſtamentum q. 90. num. 1. & alij docent teſtamento minùs ſolemni oriri obligationem naturalem, quod idem eſt, ac dicere, teſtamentum huiuſmodi validum eſſe in foro conſcientiæ. hinc

Infertur primò, licitè retineri, quod ex tali teſtamento poſſidetur, ſiue titulo, hereditatis, ſiue legati.

Infertur ſecundò, ſi heres ab inteſtato retineat hereditatem, & legata, poſſunt illi quibus per tale teſtamentum aliquid eſt relictum, vti occulta compenſatione.

QVAERITVR decimò, Vtrùm filiuſfamilias poſſit teſtari de bonis caſtrenſibus, ſeu quaſi caſtrenſibus, ſine conſenſu patris.

Reſpondeo affirmatiuè, ſi ſit pubes. Ità habetur l. nemo. cod. qui teſtamenta, & cap. licèt de ſepulturis in 6. Conueniunt DD. Bona autem caſtrenſia dicũtur, quæ occaſione militię acquiruntur. conſtat ex l. caſtrenſe, ff. de caſtrenſi peculio. Inter hæc numerantur primò mobilia, quæ à parentibus, vel à quocumque donantur proficiſcenti ad bellum, vt arma, equi, pe-

cuniæ pro ſumptibus militiæ, res itèm ea pecunia comparatæ, l. ſi mulier, ff. de caſtrenſi; id, quod acquirunt milites maris in bello nauali. Immobilia quæ quis occaſione militiæ acceperit ab extraneo, vt ſi heres inſtituatur à commilitone aut ab alio, cui occaſione militiæ notus fuit; at ſi immobile donatum ſit à patre, vel à matre, ad caſtrenſe non pertinet, ſed benè ſi immobile ſit emptum ex pecunia ab ijſdē profecta, vt habetur l. 1. cod. de caſtr. milit. Ea, quę in Palatio Regis acquiruntur, vel donatione Regis, vel proprio labore; ea, quæ cæteri officiales lucrantur comitantes exercitum, vt tabelliones, & quæ cuſtodes caſtri, aut alterius loci lucrantur etiàm tempore pacis.

Bona verò quaſi caſtrenſia ſunt, primò, quæ filius acquirit ex officio publico, vt Aduocati, Medici, Iudicis, Tabellionis, aut profeſſione alicuius ex ſeptē artibus liberalibus, aut Theologiæ, Iuris Cæſarei, aut Pontificij, vt conſtat ex l. finali, cod. de inofficioſo teſtamento. Secundò ea, quæ Regis, Principis, vel Reipublicæ donatione acquiruntur, ſiue mobilia ſint, ſiue immobilia. L. cum multa, cod. de bo-

nis, quę liberis &c. Tertiò ea, quæ Clericis ex officio, aut beneficio Eccleſiaſtico donātur; immò quidquid acquiritur poſt Clericatum, etiam ſi aliàs eſſet aduentitium, vt expreſsè habetur Authēntica Preſbyteros, cod. de Epiſcopis, & Clericis. Demùm ea, quæ dantur filiofamilias hac conditione, vt pater non habeat vſumfructum.

QVAERITVR vndecimò, Vtrùm filiusfamilias expleto pubertatis anno, ſcilicèt decimoquarto, poſſit de licentia patris teſtari de bonis aduentitijs.

Reſpondeo primò, ad cauſas non pias non poſſe. Ità Iulius Clarus §. Teſtamentum q. 18. ex communi D D. ſententia; quia eſt contra aperta iura L. qui in poteſtate, ff. qui teſtamenta, et l. nemo, cod eodem titulo. Addit Molina tom. 1. diſp. 138. de patris conſenſu poſſe filiumfamilias donare cauſa mortis de bonis aduentitijs. *Iul. Clar.* *Mol.*

Reſpondeo ſecundò, poſſe filiumfamilias puberem teſtari de bonis aduentitijs ad cauſas pias, cum patris conſenſu. Patet ex cap. licet de ſepulturis in ſexto. & eſt communis D D. ſententia; vt docet cit.

Clar. Clarus §. Teſtam. queſt. 5. num. 7.

Sine patris verò conſenſu, quidquid dicant alij, non poteſt. Patet ex Iure Canonico, nam Bonifacius VIII. cit. cap. licet, abſquè vlla reſtrictione aſſerit filium familias teſtari non poſſe abſquè patris conſenſu pro anima ſua, niſi habeat peculium caſtrenſe, aut quaſi caſtrenſe.

Bonif. 8.

Bona verò aduentitia ſunt, quæ cum nequè caſtrenſia ſint, nequè quaſi caſtrenſia, aliundè adueniunt, quàm à patre, vel eius intuitu, & ſic dicuntur reſpectu patris, aut aliundè adueniunt quàm à matre, vel eius intuitu, & hæc dicuntur aduentitia reſpectu matris, nàm reſpectu eius parẽtis, à quo, vel cuius intuitu adueniũt, dicuntur profectitia, & ea, quæ reſpectu vnius profectitia ſunt, reſpectu alterius parentis ſunt aduentitia; non tamèn è conuerſo.

QVAERITVR duodecimò, Vtrùm vxor ſine conſenſu mariti poſſit de aliquibus bonis diſponere teſtamento, vel codicillo.

Reſpondeo poſſe de paraphernis, ſcilicèt de bonis, quæ accepit vxor à parentibus, vel cognatis, vel alijs præter dotem

in

Digitized by Google

in ſuos vſus, ſic etiam de bonis, quæ vxor ſua induſtria, & opera, aut donatione alterius acquiſiuit. Ratio eſt, quia ius commune, dominium, & adminiſtrationem prędictorum bonorum concedit vxori, & conueniunt Doctores.

Dixi, *ius commune*, nàm ſi in aliquo loco eſſet ſtatutum, vel conſuetudo recepta, vt etiam predictorum bonorum adminiſtratio ſpectaret ad virum, ſtandum eſſet tali ſtatuto, vel conſuetudini.

QVAERITVR decimotertiò, Vtrùm Clerici poſſint de aliquibus bonis teſtari.

Reſpondeo primò, quemlibet Clericũ non regularem poſſe teſtamento, vel codicillo diſponere de patrimonio, & de alijs, quæ ſuo labore, & induſtria acquiſiuit, & de ijs, quæ per parſimoniam ex prouẽtibus beneficiorum ſubtraxit congruẽti ſuſtẽtationi. De poſtremis his bonis diſſentiunt quidam Canoniſtæ, ſed communis Theologorum ſententia affirmat. Ratio, quia hæc pars eſt iuſta merces eorum, qui Eccleſię ſeruiunt, ergò ſi Clericus aliquid ex hac parte per parſimoniam ſubtrahet, poterit de illa pro libito diſponere. Vide Couar. in cap. cum in *Couar.*

 officijs

Nauar. Sotus. officijs de teſtamentis num. 2. Nauar. de redditibus qu. 1. monito 30. Sotum lib. 10.q.4.art.3.concl.6.

Reſpondeo ſecundò, Clericum non regularem ad pias cauſas ex conſuetudine recept n aliquibus locis poſſe teſtari de bonis, quæ ex beneficiorum prouentibus congruenti ſuſtentationi ſuperſunt. Ità Couar.in cit.cap.cum in officijs,num.23. Couar. Leſſ. quē ſequitur Leſſ.lib.2.c.19.dub.4.n.43.

Dixi, *ex conſuetudine*, nam plura Iura Pontificia prohibent Clericis, ne de prædictis bonis teſtentur. Cap. quia nos, & cap.relatum 2. & cap. cũ in officijs de teſtamentis, ſed hæc Iura conſuetudine abrogata in multis locis cenſentur.

Reſpondeo tertiò, peccare mortalitèr Clericum beneficiarium, qui de prædicta parte prouentuum, quæ congruenti ſuſtẽtationi ſupereſt, teſtamento, vel codicillo diſponit ad cauſas non pias, relinquẽdo verbi gratia eam conſanguineis diuitibus; idem dic, ſi ſpontè ſinat eos ſuccedere ab inteſtato. Ita Leſſ. loco cit.nu. Leſſ. 44.cum communi DD.ſententia, & colligitur apertè ex Trid. ſeſſ. 25. cap. 1. de Trid. reformatione.

An

An verò ſit valida talis diſpoſitio, affirmat cit. Leſſius, & fauent Franciſcus Sermiento de redditibus parte 2.cap.1.& 2.Molina diſp.144. Si verò Clericus relinqueret prædictam portionem conſanguineis pauperibus, vel ſpectato eorum ſtatu valdè indigẽtibus, dici poſſet, quòd talis diſpoſitio eſſet ad piam cauſam.

Leſſ.
Sermiente.
Molin.

QVAERITVR decimoquartò, Vtrùm pater in periculo, vel articulo mortis cõſtitutus poſſit aliquando tuta conſcientia priuare filium, quem ex legitimo matrimonio genuit, hereditate, ſeù legitima portione.

Reſpondeo in Authentica Vt cum de appell.cognoſc.§.cauſas, quatuordecim cauſas legitimas recenſeri, ob quas liceat parentibus ab hereditate, & à legitima filium repellere.

Prima eſt, Si filius in parentem manus iniecerit, quod intelligendum eſt, cum filius in eo lethalitèr peccat; ſi enim ad ſui defenſionem patrem repelleret vi adhibita, vel illum inaduertentèr percuteret, non eſſet priuandus.

Secunda, Cum filius graui, & turpi, ac fœda contumelia parentes afficit ſuos.

Ter-

Tertia, Si filius itidèm parentes grauioris alicuius criminis accuſauerit, niſi patris crimen eſſet contra communem patriæ, & Principis ſalutem, tùnc enim filius bona patris nequaquàm amitteret.

Quarta, Quandò filius ſe maleficis hominibus coniungit, & vnà cum eis ſtudet maleficijs.

Quinta, Quandò vitæ parentum veneno, aut alia quauis arte, & modo inſidiari conatur.

Sexta, Si patris concubinæ, aut vxori, hoc eſt nouercæ ſuæ, filius ſe immiſcuerit.

Septima, Si à filio parentes in iudicium delati, mali aliquid, quod ſit alicuius ponderis, & momenti, ſuſtinuerint.

Octaua, Si alterutrum de parentibus incluſum eſſe contigerit, & liberi requiſiti ab eo, vel vnus ex eis in ſua eum noluerit fideiuſſione ſuſcipere, vel pro perſona, vel pro debito, in quantùm qui petitur, probatur eſſe idoneus, hoc tamèn ad maſculos tantummodò liberos volumus pertinere, ſic ibi.

Nona, Si liberorum aliquis prohibuerit aliquem ſuorum parentum condere teſta-

ſtamentum, & poſteà parens fecerit teſtamentum, Iure poteſt filium illum exheredare.

Decima, Si contra voluntatem parentum inter arenarios, vel mimos ſeſe filius aſſociauerit, & in hac profeſſione permāſerit, niſi quandò parentes eiuſdem profeſſionis eſſent.

Vndecima, Si alicui ex parentibus volenti ſuæ filiæ, vel nepti maritum dare, & dotem ſecundùm facultates ſuas præſtare, illa non conſenſerit, ſed luxurioſam vitam elegerit.

Duodecima, Si alteruter parens furioſus fuerit, & filius eius curam neglexerit.

Decimatertia, Si filius patrem, aut matrem captiuam non redemerit.

Decimaquarta, Si cũ Catholici ſint parentes, filij à fide, & religione Catholica defecerint.

Aduerte tamē primò, quòd quandò parentes ob prædictas cauſas exheredant filios, debent apponere cauſam expreſſam, ob quam priuant filios, alioquin cenſetur teſtamentum inofficioſum. Authentica citata in ſecundo, §. vt cum de appellatione cognoſcitur.

Ad-

Aduerte ſecundò, quòd ſi probabiliтèr iudicetur filius ob aliquam ex prædictis cauſis priuandus, ſi de facto priuetur, quòd in deſperationem incidet, vel latrocinijs ſe tradet, vel filia pudicitiam vēdet, ex charitate ſaltèm ad hæc pericula præcauenda teneri patrem abſtinere ab illa punitione, quam iuxta leges poſſet exercere. Adde, quòd patri in extremo vitæ conſtituto conſulēdum eſt, vt ignoſcat filijs, à quibus iniuriam perpeſſus eſt, & quotiès prudentèr Confeſſarius exiſtimabit, quòd filius, ſi non priuabitur hereditate, aut legitima vitā bonis moribus inſtituet, hortari poterit patrē, vt illū ab hereditate, vel legitima non repellat.

QVAERITVR decimoquintò, Vtrùm quandò parentes ob aliquam ex prædictis cauſis prolem legitimam, & naturalem exheredant, poſſint etiàm alimentis illam priuare.

Reſpondeo affirmatiuè, ſi filius aliundè habet bona, ex quibus ali, & ſuſtentari poſſit, aut quandò arte, ingenio, induſtria, viribus, aut alio modo vitam traducere poteſt. Si verò nullo ex prædictis modis valet ſe ſuſtentare, non ſunt

ei deneganda à patre alimenta ob prædictas cauſas, quàmuis iure ciuili approbatas; iure enim naturali debita alimenta filio non valenti ſe aliundè ſuſtentare, grande nefas eſſet denegare, & idem, ac ſi extrema neceſſitate laboranti alimenta vitæ neceſſaria ſubtraherentur.

QVAERITVR decimoſextò, An ob prædictas cauſas liceat paritèr filio non ſubminiſtrare alimenta parentibus.

Reſpondeo, quæ diximus de parentibus reſpectu filiorum, vice verſa procedere etiam de filijs reſpectu parentum. L. vltima, C. de alendis liberis, L. ſi quis à liberis, §. Idem Iudex. ff. de liberis agnoſcēdis, & Gloſ. ibidem.

QVAERITVR decimoſeptimò, Quotuplex ſit portio legitima, quæ heredibus iure debetur.

Reſpondeo eſſe triplicem, quarum vna communitèr dicitur legitima, altera Falcidia, quia de ea lege tulit Falcidius tribunus plebis, tertia Trebellianica, eò quòd lege lata eam inſtituit Senatus Romanus Trebellio maximo, & Anneo Seneca Coſſ. Legitima debetur filijs, qui ſine cauſa ab hereditate excludi nequeunt,

qui-

quibus mortuis debetur nepotibus ex eis legitimè natis, & hæc nec per legata, nec per fideicommiſſa adimi poteſt, detrahiturquè ex bonis parentum, deducto ære alieno, & funeris impenſa, vt habetur in l. Papinianus, §. 4. ff. de inofficioſo teſtamento. Falcidia debetur heredi iure inſtitutionis, & eſt quarta pars totius hereditatis, quam inſtitutus heres detrahit, & retinet ſibi ex ſingulis legatis, niſi ad pias cauſas relicta ſint. Authentica ſimilitèr, C. ad legem Falcidiam. Trebellianica eſt quarta pars totius hereditatis, quam ſibi retinet inſtitutus heres ea conditione, vt ſi decedat ſine liberis, alteri eam hereditatem reſtituat. Inſtituta de fideicom. hered §. ſed quia.

QVAERITVR decimooctauò, Quãta ſit hac noſtra tempeſtate legitima portio, quam parentes filijs dare iure communi tenentur.

Reſpondeo, ſi quatuor, aut pauciores filij ſint, eis deberi tanquam legitimam portionem tertiam partem hereditatis ex æquo in filijs diuidendam: ſi quinque, aut plures filij ſint, dimidiam partem bonorum inter eos ex æquo facta diuiſione. L.

nouiſs. & L. ſi pater, C. de inofficioſo teſtamento. Authentica de triente, & ſemiſſe, §. hæc nos.

Dixi, *iure communi*, nam in quibuſdam prouincijs iuxta varia ſtatuta maior, minorue legitima filijs decernitur.

QVAERITVR decimonono, An pater poſſit inſtituere heredem filium illegitimum, & naturalem.

Per filium illegitimum & naturalem intelligitur, qui natus eſt ex parentibus, inter quos tempore conceptionis & natiuitatis nullum erat impedimentum dirimens, vt docet Couar. de matrim. parte 2. cap. 8. §. 4. num. 4. & hoc non ſolum eſt verum in Iure Canonico, ſed etiam conſuetudine receptum eſt in foro ciuili, vt notat Panormit. in cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi. *Couar.* *Panorm.*

Reſpondeo, ſi parentes legitima prole careant, poſſe ab eis inſtitui heredem vniuerſalem filium illegitimum naturalem. Patet ex L. licet, C. de filijs naturalibus.

Nota tamen, quod in Iure Cæſareo, ſi parentes non habeant prolem legitimam, ſed non careant aſcendentibus, ijs deberi portionem legitimam, ideſt tertiam partem

tem hereditatis, vt patet Authentica de hered. ab inteſt. nouella 118. Couar. §. 4. num. 20.

Couar.

Dixi, *Iure Cæſareo*, nam in quibuſdam prouincijs, & Ciuitatibus per peculiaria ſtatuta aliud decernitur.

QVAERITVR vigeſimò, Quantùm filijs illegitimis, & naturalibus, & ipſorum matri relinquere poteſt ex teſtamento pater habens filios legitimos.

Reſpondeo, ſi pater habet filios legitimos, Iure non poteſt donare, aut relinquere ex teſtamento filijs illegitimis & naturalibus, & ipſorum matri, niſi vnam Vnciam, hoc eſt, duodecimam partem hereditatis; quòd ſi mater filiorum naturalium ſuperſtes ſit mortuis filijs, poteſt pater relinquere illi ſemiunciam, ideſt vigeſimam quartam partem hereditatis: ſi verò mortua fuerit, & filij naturales ſuperſtites ſint, & poſt mortem ſuperuixerint, poteſt eis integram Vnciam ex teſtamento relinquere. Authentica quibus modis natur. efficiantur ſui, §. ne igitur. L. 2. C. de naturalibus liberis. Vide Couar. in epitome parte 2. cap. 8. § 4. num. 11.

Couar.

QVARITVR vigeſimoprimò, An, ſi filij

filij legitimi conſentiant, poſſit pater aliquid vltra id, quod de iure communi decretum eſt, relinquere filio naturali.

Reſpõdeo affirmatiuè cum cit. Couar. & alijs apud ipſum, dummodò conſenſus ſit expreſſus; non enim ſufficeret tacitus, & nulla vi, aut dolo, aut timore reuerentiali ſit extortus. *Couar.*

QVAERITVR vigeſimoſecundò, Vtrùm pater filio ſpurio teneatur alimẽta relinquere?

Filius ſpurius accipitur hìc, qui natus eſt à parentibus, inter quos tempore cõceptionis erat impedimentum dirimens. Vide Couar. de matrim. cap. 8. §. 5. *Idem.*

Reſpondeo affirmatiuè, ſi ſpurius non poſſit ſe aliundè ſuſtentare, & ratio eſt euidens, quia parens iure naturali tenetur alere prolem, ſi poſſit. Facit expreſsè caput Cum haberet, de eo, qui duxit in matrimonio, & licèt Ius ciuile prohibuerit, ne proles ex damnato concubitu à patre aleretur, vt habetur in L. ex complexu, C. de inceſt. nuptijs, Ius tamèn canonicum illud ſuſtulit, tanquàm minùs naturali pietati congruum, & hoc etiam ſeruatur in foro ſæculari.

Infertur ex hoc reſponſo, quòd filiæ ſpuriæ pater debet relinquere dotē, quia hæc ſuccedit in locum alimentorum, etiā
Nauar. ſi parens eſſet Sacerdos, vt docet Nauar. in cap. non liceat §. 19. nu. 11. & in tract. de ſpolijs Clericorum §. vltimo nu. 9. & ſeq. vbi ſuſtinet, quòd Presbyter ex beneficij Eccleſiaſtici redditibus tuta conſciētia filijs ſpurijs alimenta poteſt relinquere, quæ ipſi patres debent præbere iure naturæ, & licet extet Pontificia Conſtitu-
Conſt. Pij V tio edita à Pio V. anno 1570. quæ præcipit, ne filijs ſpurijs ex fructibus, & bonis Eccleſiæ aliquid relinquatur; & alia etiā, quam edidit idem Pontifex, incipiens, *Ad Romanum ſpectat*, vbi eadem continentur, declaratquè prædictam Conſtitutionem etiam intelligi de quibuſcunquè bonis patrimonialibus immobilibus, mobilibus, & ſe mouentibus, nihilominùs ſententia Nauarri quoad alimēta ſimplicitèr neceſſaria vera eſt. Quarè prædicta Conſtitutio Pij V. ſic explicatur à multis, vt tantùm abroget omnia priuilegia, & indulta faciendi teſtamenta, & alias quaſcunquè diſpoſitiones cauſa illegitimorum etiam extraneorum con-

ceſſa iure ſpeciali, non autèm iure communi Canonico, quod concedit, vt ſpurio filio alimenta præbeantur, & fauet expreſsè Deciſ. Rotæ 505. 1. parte.

QVAERITVR vigeſimotertiò, An poſſit pater teſtamento, vel codicillo aliquid relinquere filio ſpurio vltra alimenta.

Reſpondeo communem ſententiam in pluribus Iuribus fundatam negare, & pręcipuè facit lex Licet, C. de naturalibus liberis, & quod de patre dicitur reſpectu filij ſpurij, idem intelligitur de matre reſpectu ſpurij, vt notat Molina diſp. 167. *Molin.* quia illegitimus, qui non poteſt ſuccedere patri, non poteſt etiam ſuccedere matri, niſi aliquo iure ſit de hoc exceptio, vt colligitur ex L. Licet citata, ſed nulla de ſucceſſione ſpurij in bonis maternis extat in Iure exceptio, ſicut de alijs illegitimis, vt patet Inſtituta ad S. Con. Orficianum, § Nouiſſime.

QVAERITVR vigeſimoquartò, An pater filio ſpurio de ſe optimè merito poſſit remunerandi beneficij gratia aliquid relinquere vltra alimenta.

Reſpondeo affirmatiuè, quia Ius ciuile

prohibens patri ne relinquat aliquid filio ſpurio, non eſt adeò ſtrictè accipiendum, vt impediat congruentem remunerationem, quam gratitudo, & natura rationalis dictat. Fauet Tiraquellus in L. vnquam, C. de reuocat donat. num. 21.

Tiraquel.

QVAERITVR vigeſimoquintò, An codicillus factus antè teſtamentum cenſeatur abrogatus, etiamſi non confirmetur teſtamento, quod poſteà fiat.

Molina.

Reſpondeo cum Molina tom. 1. diſp. 131. negatiuè, modò tamèn ex teſtamēto poſt codicillum condito non conſtet de contraria teſtatoris voluntate. Colligitur ex §. 1. Inſtituta de codicillis, & L. ſi quis cum teſtamentum, ff. de iure codicillorum, & licèt plura teſtamenta non poſſint ſimul ſubſiſtere, poſſunt tamèn plures codicilli, ſi vnus alteri non repugnet; in quo repugnantiæ caſu poſterior præualeret, vt notat citatus Molina, apud quem vide plura quoad ſolemnitatem codicilli.

Idem.

QVAERITVR vigeſimoſextò, Vtrū quilibet, dum viuit, poſſit ſibi eligere ſepulturam extra ſuam parœciam, & extra locum, vbi ius ſepulturæ familiare, vel here-

hereditarium locum habet.

Reſpondeo affirmatiuè. Patet ex cap. 1. per totum de ſepulturis, & cap. cum quis §. vltimo de ſepulturis in 6. & ſicut vir eligere ſibi poteſt ſepulturam, ita & vxor C. de vxore de ſepult. Hac occaſione operæ pretium exiſtimo referre, quam ſtrictè in Iure Canonico ſit prohibitum Religioſis & Clericis inducere voto, vel iuramēto aliquem, vt eligat ſepulturam in eorum Eccleſijs. In capite 1. de ſepulturis in 6. hæc habentur.

Animarum periculis, & ſcandalis, quæ frequentèr ex his proueniunt, obuiare volentes, Vniuerſis Religioſis, & ſæcularibus Clericis cuiuſcunquè ſtatus, vel conditionis exiſtant, in virtute ſanctæ obedientæ, ac ſub interminatione maledictionis æternæ diſtrictiſſimè prohibemus, ne aliquos ad vouendum, iurandum, vel fide interpoſita, ſeu aliàs promittendum inducant, vt apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel iam electam vlteriùs non immutent. Nos enim, ſi ſecùs actum fuerit, electionem talem decernimus nullius penitùs exiſtere firmitatis, ſtatuentes vt ij. qui ſic elegerint, nec apud ſic electas Eccleſias vllatenùs ſepeliri,

nec alibi (ne contra votum, iuramentum, aut promiſſum huiuſmodi à ſe factum materiam habeant veniendi) poſsint eligere ſepulturam, ſed contradictione quacunque ceſſante ſepeliantur omninò apud illas Eccleſias, apud quas ſepeliendi de iure fuiſſent, ſi aliàs ſepultura non electa forſitàn deceſſiſſent. Si verò ijdem Religioſi, vel Clerici prædictos in ſuis Eccleſijs, vel Cœmeterijs præſumpſerint ſepelire, ad restitutionem tàm ſepultorum corporum (ſi petantur) quàm etiam omnium, quæ occaſione ſepulturæ illorum peruenerint quomodolibèt ad eoſdem, intra decennium integralitèr faciẽdam ipſos obligatos eſſe cenſemus, quam niſi fecerint, Eccleſiæ ipſæ, apud quas ſepulti fuerint, nec non & cæmeteria earundem ex tunc eo ipſo ſint, & tamdiù maneãt Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, donèc ab eis facta fuerit reſtitutio plenaria omnium prædictorum. Demùm huius Decreti violatores in Clementina Cupientes de pœnis, §. Sanè temerarios, pæna excomunicationis ipſo facto incurrenda, & Papæ reſeruata puniuntur.

CA-

CAPVT QVARTVM.

In quo reſoluuntur caſus quidam circa Sacramentum Euchariſtiæ ab infirmis ſumendum.

QVAERITVR primò, Vtrùm præceptum diuinum, vel eccleſiaſticum obliget hominem in articulo, vel periculo mortis ad ſumendam Euchariſtiam.

Aliqui dicunt, ſi homo ſemèl in vita fuit refectus Sacramento Euchariſtico, ex pręcepto diuino nō teneri in articulo mortis ſuſcipere communionis Viaticum. Ita Caiet. & alij apud Suar. tom. 3. in 3. partem diſp. 69. ſect. 3. quibus adde Rodriq. in ſumma cap. 64. de communione nu. 3. Chamerotam de Euchariſtia cap. 10. dub. 1. Graffium 1. parte lib. 2. cap. 38. nu. 23. Nauar. in conſil. 16. de pęnit. & remiſſ. Fundamentum præcipuum eſt, quia nullum poteſt aſſignari ius diuinum, in quo ſpecialitèr præcipiatur communio in articulo mortis, etiam ſi priùs facta fuerit, &, ſi tale pręceptum adeſſet, ſanè non poſ- Caiet. Suar. Rodriq. Chamerot. Graff. Nauar.

ſet Eccleſia contra tale præceptum priuare hominem in illo articulo communionis Viatico, & tamèn conſtat ſæpè Ec-

Innocent. I cleſiam hoc feciſſe, vt refert Innocen-

Conc. Elib. tius I. epiſt. 3. & conſtat ex Concil. Elibertino per plures Canones, & Concil.

Conc. Sard. Sardicenſi cap. 2. Confirmatur nonnullorum locorum conſuetudine non dandi Euchariſtiam vltimo ſupplicio afficiẽdis, quæ multo tempore viguit apud Hiſpanos, & Gallos, & eam non fuiſſe irratio-

Nauar. nabilem defendit Nauar. in ſumma cap. 25. num. 23. Hanc opinionem non vide-

Suar. tur improbare Suarez loco citato, nam contrariam piam, & probabilem tantùm vocat, ſubdens non eſſe adeò receptam inter Theologos.

Alij affirmant, vrgẽte periculo mortis, eſſe præceptum diuinum ſumendæ Eu-

Valent. chariſtiæ. Ita Valentia tom. 4. diſp. 6. q.

Coninch. 8. puncto 4. Coninch. q. 80. a. 11. dub. 3.

Filliuc. num. 94. Filliucius tom. 1. tract. 4. cap. 8.

Bonac. num. 238. Bonac. de Sacramentis diſp. 4. q. 7. puncto 1. propoſit. 1. & alij multi, & præcipuè recentiores.

Nonnulli ſumptionem Euchariſtię vrgente mortis periculo non ad diuinum,

ſed

ſed ad Eccleſiaſticum præceptum referũt. D.Tho.in 4.diſt.9.q.1.a.1. ad quæſtiunculam 2.D.Bonauent.in 4.diſt.12.a.2.q. 1.à num.75.vſque ad 81.Alex.Alenſis in 4.parte,q.11.memb.2.a.4.§.1.in ea queſtione, quæ incipit, *Conſequenter quæritur*, & alij apud Suarium citatum; & Victoria in ſumma Sacram.q.86.de Euchariſtia ait eum, qui ſemèl in anno ſumpſit Euchariſtiam, ſi illam ex negligẽtia quadam omittat in articulo mortis, non peccare mortalitèr, citatquè Syluest in Verbo Euchariſtia 3. Idem habet Nauar in conſil.16.citato, Eman.Sà verbo Euchariſtia num.1. *D.Tho.* *D.Bon.* *Alex.Alẽſ.* *Suar.* *Victoria.* *Syluest.* *Nau.* *Em Sà.*

Reſpondeo primò, omninò certum eſſe ſaltem conſuetudinem Eccleſiaſticam habentem vim præcepti obligare quemlibet Chriſtianum adultũ in articulo, vel periculo mortis ad recipiendam Euchariſtiam, ſi decentèr poteſt, ex Conc. Carthaginen.4 cap. 77. & 78. & optimè addit Suarez citatus ex huius conſuetudinis antiquitate vlteriùs colligi poſſe, eam vt minimùm eſſe traditionẽ Apoſtolicam. Plura alia Concilia, quæ huic parti fauẽt, afferuntur ab eodem Suarez, & expreſsè *Conc. Carth.* *Suar.*

hoc

Trid. hoc videtur colligi ex Trid. ſeſſ. 13. cap. 6. vbi habetur eſſe antiquiſſimum morem communicandi in articulo mortis.

Reſpondeo ſecũdò, probabilius eſſe, in periculo, vel articulo mortis præceptum diuinum communicandi obligare. Probatur, quia cum præceptum diuinum ſit ſumendæ Euchariſtiæ, vt patet ex illis Io. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* & ſit affirmatiuum, maximè obligat pro eo tempore, quo illius adimpletio neceſſaria eſt ad conſequendum finem, propter quem fuit inſtitutum, ergò debet obligare maximè in periculo, vel articulo mortis, quo tempore homo magis indiget corroboratione virium ſpiritualiũ, & auxilijs ſpecialibus ad perſeuerandum in gratia, quæ datur per hoc Sacramentũ, & ſic diſponatur ad gloriam conſequendam, cuius pignus eſt hoc Sacramentum.

Suar. Confirmatur, quia ſatis ſolidum argumentum ſuadet, vt benè notat Suar. loco citato, illam antiquam conſuetudinem communicandi in articulo, ſeu periculo mortis, eò quòd ſemper perſeuerauerit in Eccleſia, fundatam eſſe in præcepto Chriſti.

Plu-

Plura in confirmationem huius vide apud Io: de Lugo de Euch. Sacramento diſp.16.ſect 2.num.34.& 35. *Io: de Lugo.*

QVAERITVR ſecũdò, Vtrũ periculoſè ægrotans, qui paucis antè diebus, quã in morbũ incideret, Euchariſtia refectus eſt, teneatur ex vi pręcepti diuini, aut Eccleſiaſtici iterùm ſumere Euchariſtiam.

Affirmat Vaſquez tom.3.in 3. partem diſp.214.cap.2. Ratio eſt, quia eo tempore, quo præceptum aliquod obligat ponendi rem præceptam, debet poni, vt pręceptum adimpleatur, nec ſufficit poſitio præcedens, vt ſi quis hodiè audiat Miſſam, non ſatisfacit præcepto audiendi craſtina die. *Vaſquez.*

Communis opinio DD. negat, ſi homo, poſtquàm Euchariſtiam recepit, intra paucos dies, v. g. ſex, vel octo, vel etiam decem, incurrat in mortis periculum. Ratio eſt, quia finis præcepti obligantis hominem in periculo mortis ad ſumendam Euchariſtiam, eſt, vt per eam ſe præparet ad tranſitum huius vitæ, quem finem ſatis aſſecutus eſt, qui paucis antè diebus, vt dictum eſt, communicauit, licèt nõ tali intẽtione expreſſa communicaret; nam

inten-

Digitized by Google

intentio ſatisfaciendi præcepto non eſt neceſſaria, vt quis ſatisfaciat præcepto, ſed ſufficit, vt fiat id, quod præcipitur.

Reſpondeo primò, prædictam opinionem eſſe ſatis probabilem, tùm ob rationem aſſignatam, tùm ob inſignium DD. auctoritatem; eam enim docent Palud. diſt. 9 q. 1. concl. 3. Tab. verbo communicare num. 16. Suar. dicta ſec. 3. ſub §. Rogabis. Coninch. q. 80 art. 11. dub. 3. num. 98. Henriquez lib. 8. cap. 4. & 5. num. 3. & alij, quos citat, & ſequitur Io: de Lugo de Euchariſt. diſp. 16. ſect. 2. qui à num. 37. vſquè ad 44. prout ſempèr ſolet, doctiſſimè diſſerit, & ſententiam Vaſquez refellit.

Palud. *Tab.* *Suar.* *Coninch.* *Henriq.* *Io: de Lugo.*

Reſpondeo ſecundò, quoad praxim conſulendũ eſſe prædicto infirmo, vt iterùm Euchariſtiam ſumat, videtur .n. hoc charitas exigere, qua homo tenetur, quãtum poteſt, proſpicere ſaluti propriæ in illo extremo, & ſe ad cæleſtem gloriam conſequendam diſponere, ſumptio autèm Euchariſtica mirum in modũ ad hoc iuuat: vndè Chryſoſt. lib 6. de Sacerdotio dicit animas eorum, qui hoc Sacramentũ in fine vitæ ſuſcipiũt, ab Angelis propter

D. Chryſoſt.

aſſum-

aſſumptum illud Sacramētum hinc recta in cælum deduci, eorum verò corpora ſatellitum more ſtipātibus Angelis in ęternam vitam cuſtodiri. Adde, quòd hoc etiam ad aliorum ædificationē plurimùm facit. immò ſi non ità notum eſſet, vel notum eſſe poſſet, quòd ille paulò antè communicauerit, teneretur iterùm communicare ad euitandum ſcandalum.

QVAERITVR tertiò, Vtrùm periculosè ægrotans poſt ſumptam Euchariſtiā in eo ſtatu, ſi committat peccatum mortale, teneatur iterùm ex vi præcepti, vel diuini, vel Eccleſiaſtici communicare.

Reſpondeo negatiuè. Ità Armilla v. communio num. 11. Tab. eodem verbo num. 16. Suarez cit. ſect. 3. concl. 4. §. Secundum modum, & alij plures. Ratio eſt, quia hic iam ſatisfecit prędicto pręcepto, nec ex Concilijs colligi poteſt hæc noua obligatio, nec ex conſuetudine Eccleſiæ. *Armil.* *Tab.* *Suar.*

Prætereà peccatum illud per Sacramētalem cōfeſſionem poteſt auferri, quæ eſt per ſe inſtituta ad delenda peccata, Sacramentū autèm Euchariſtiæ non eſt per ſe inſtitutum ad delenda peccata, cum ſit Sacramentum viuorum, atquè adeò non

ſic

ſic vſus Euchariſtię obligat,ſicut vſus Sacramenti pænitentiæ.

QVAERITVR quartò, An teneatur iterũ cõmunicare, qui in periculo mortis Euchariſtiam sũpſit,ſi poſteà ità varietur ſtatus infirmitatis, vt licèt ille non cõualuerit,videatur tamẽ euaſiſſe illud periculũ,ſed paucos poſt dies renouatur periculum mortis.

Reſpondeo partem affirmantem ſatis probabilem eſſe,ſi plures quàm decem dies tranſierunt à prima communione, nam hic cenſetur conſtitutus in nouo periculo mortis,ergò iterùm vrget pręceptum cõmunicandi,& militant adducta in primo, & ſecundo reſponſo primi quæſiti.

QVAERITVR quintò, Vtrùm energumenis in periculo mortis conſtitutis dandum ſit communionis Viaticum.

Reſpondeo affirmatiuè, ſi energumeni ſint baptizati: patet ex Concilio Elibertino in quo cap. 37. hæc habentur, *Qui à ſpiritibus immundis vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti,& fideles fuerint, dandã eis eſſe communionẽ.* Fauet D.Tho. q. 80 art. 9. Intellige tamèn, dummodò nullum ſit irreuerentiæ periculum,& obſeſ-

Conc. Elib.

D.Tho.

ſeſſus à dæmone ſit ſui compos; ſi enim vſu rationis careret, idem cum eo ſeruandum, quod de amentibus, aut phreneſi laborantibus dicam infra. Ita communitèr DD.

QVAERITVR ſextò, Vtrùm extremo ſupplicio plectendi debeant cõmunicare.

Reſpondeo regularitèr loquendo affirmatiuè, atque ita teneri Iudicem ſub mortali concedere tempus communicandi, pridiè ſcilicèt antè mortem. Ratio eſt, tùm quia eſt contra charitatem priuare tanto fructû fideles in periculum animarum; tùm quia præceptum eſt diuinum, vel ſaltèm Eccleſiaſticum ſumendæ Euchariſtiæ, cum homo eſt morti proximus. Faciũt pro hac re cap. Tanta, diſt. 86. cap. quæſitum 13. diſt. 2. & Motus proprius Pij V. editus anno 1569. vt teſtatur Henriquez lib. 8. cap. 5. num. 4. in comm. littera Z. & hæc eſt communis opinio DD. *Mot. Pij V.* *Henriq.*

Dixi, *regularitèr*, nã ſi ob enorme flagitium ſtatim quis ſuſpendendus cenſeretur, vt illius exemplo terreantur alij, tùnc ob bonum commune excuſaretur Iudex, in tali tamèn caſu ſaltèm tantum temporis concedendum eſt reo, vt per Sacramen-

mentalem confeſſionem cõſcientiam expiare poſſit.

QVAERITVR ſeptimò, Vtrùm danda ſit Euchariſtia periculosè ægrotanti, & phreneſi, vel amentia laboranti.

Certum eſt primò apud omnes, amentibus, qui nũquam vſum rationis habuerunt, Sacramentum Euchariſtiæ non eſſe adminiſtrandum, quia illud nec implicitè quidèm cenſentur petijſſe, nec ſunt in neceſſitate ſumendæ Euchariſtiæ.

Certum eſt ſecundò, ijs, qui aliquandò potiti ſunt rationis vſu, & poſteà in phreneſim, vel amentiam inciderunt, non ſtatim Sacramentum Euchariſtiæ eſſe adminiſtrandum: propter reuerentiam tanto Sacramento debitã, &, ſi non vrgeat periculum mortis, expectandum eſse, donec habeant lucida interualla, vel vt aliquãtiſpèr conualeſcant; ità vt ſui fiant compotes. Sola ergò difficultas remanet de prædictis in articulo, vel periculo mortis conſtitutis.

Reſpondeo, ſi conſtet eos ante phreneſim, vel amẽtiam explicitè, vel implicitè Euchariſtiam petijſſe, illam adminiſtrandam eſſe, ſi nõ adſit periculum irreuerentiæ.

tiæ. Colligitur ex cap. qui recedũt 26. q.6.& cap.ijs qui 26.q. 6. cap. quid inde de pæniten. & remiſsionibus quibus decretis ſtatuitur, vt pænitentia non negetur phreneticis,ſi conſtiterit priùs confeſſionem deſideraſſe, & contritionis ſigna præbuiſſe, & conſequenter idem infertur de Euchariſtia. Ratio eſt,quia non ſunt priuandi tanto fructu, quem mediante Euchariſtia poſſunt in illa grauiſsima neceſsitate aſſequi, & vt ſuppono ex dictis iùs ad illam habent. Fauet D.Tho. q.80. art.9 & expreſsè eam docet Suar. tom.3. in 3.partem diſp. 69.q. 2.ſub § Tertium dub. Bonac. de Sacramentis q. 6. puncto 1.à num. 4. & communitèr ſequũtur alij. D. Tho. Suar. Bonac.

Dixi, *ſi non adſit periculum irreuerentiæ*, quia ſi timeretur vomitus,vel expuitio,vel alius inordinatus motus indecens, tùnc dignitas, & reuerentia Sacramenti præferenda eſſet vtilitati amentis, vel phrenetici.

QVAERITVR octauò, An prædicti cenſeantur virtualitèr petijſſe Euchariſtiam,ſi antequam in amẽtiam, vel phreneſim inciderent, vitam Chriſtiano dignam traducebant.

Digitized by Google

Bonac. Reſpondeo affirmatiuè. Ita Bonac. cit. loco nu. 5. & fauet regula illa, quia vnuſquiſque pręſumendus eſt bonus, niſi probetur malus. Et qui Chriſtiano more viuit, præſumitur velle tempore congruo adimplere præcepta diuina, & Eccleſiaſtica, & conſequentèr ſumere Euchariſtiam tempore mortis, quo vrget pręceptum diuinum, vel ſaltèm Eccleſiaſticum.

QVAERITVR nonò, An puer periculosè ęgrotans, cui rationis vſus illuceſcit, teneatur ſeruare illud præceptum diuinũ Io. Io. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis*.

Docent communitèr auctores, non ſtatim, ac homo peruenit ad vſum rationis, teneri Euchariſtiam ſumere, ſed priùs obligari ad confeſſionem, quod eſt verum ſpectato præcepto Eccleſiæ de Communione in Paſchate, vt patet ex cap. omnis de pænit. & remiſſ. in quo abſolutè præcipitur confeſſio, communio autèm dependentèr à conſilio prudentis Confeſſarij; & ratio eſt, quia communio poſtulat maturius iudicium, vt congruenti reuerentia fiat. Aliqui verò ſatis probabilitèr putãt, ſpectata conſueta hominum diſpoſitione

non

non eſſe Eucharistiam dandam puero, qui non peruenit ad decimum annum. Conueniunt autem plures, quòd ob hominum diuerſitatem non poteſt definiri, quænam ſit determinata ætas in pueris, ſed negotium hoc committendum iudicio prudentis.

Reſpondeo cum Suar. tom. 3. in 3. partem diſp. 70. ſect. 1. versùs finem, dandam eſſe Euchariſtiam in periculo, vel articulo mortis habenti vſum rationis ad peccandum, & capaci confeſſionis, & extremæ vnctionis. *Suar.*

Ratio eſt, quia talis eſt etiam capax fidei, & ſufficientis reuerentiæ Sacramenti, & eſt in eo periculo, in quo non expectat commodius tempus ad recipiendum Sacramentum cum meliori diſpoſitione, & de cætero illud præceptum diuinum eſt, *Niſi manducaueritis*, quod videtur vrgere tunc, cum non aliud tempus ſuperſit illud adimplendi. & confirmatur, nam poſita opinione probabiliori, quæ aſſerit præceptum diuinum eſſe ſumendæ Euchariſtiæ in articulo mortis, videtur huic præcepto adſtrictus talis puer, cum ab eo poſſit ſatis benè adimpleri, maximè cum adſit Sa-

Digitized by Google

cerdos, qui eum valeat breuitèr inſtruere de dignitate Sacramenti, de diſpoſitione, ac reuerentia, qua illud ſumendum eſt. Hanc opinionem Suarij ſecuti ſunt plures alij, & præcipuè Reginaldus lib. 29. num. 84 Bonac. de Sacram. diſp. 4. q. 7. punct. 2. num. 4 Taner. in 3 partem diſp. 5. q. 8. dub. 5. num. 116. Salas de legibus tract. 14. ſect. 13. num. 127. Nugnez in partem tertiam q. 80. art. 8. diff. 2. ad 3. argumentum.

Reginald. *Bonac.* *Taner.* *Salaſ* *Nugn.*

QVAERITVR decimò, Vtrùm publicis peccatoribus in periculo, vel articulo mortis conſtitutis danda ſit Euchariſtia.

Reſpondeo non præcedēte ſatisfactione neceſſaria denegandam eſſe publico peccatori Euchariſtiam. Ita communitèr DD. & colligitur ex cap. multi 2. q. 1. Ratio eſt clara, quia exigit ius diuinum, vt non fiat iniuria apertá tanto Sacramento, fieret autèm, ſi daretur publico peccatori, qui non præmiſit neceſſariam ſatisfactionem.

QVAERITVR vndecimò, Quinā cenſeantur publici peccatores.

Reſpondeo breuitèr eos cenſeri publi-

cos peccatores, qui vel conuicti ſunt de aliquo crimine, vel exercent publicam actionem, quam vel ex obiecto, vel modo, quo fit, publicum ſit nō fieri ſine mortali. Huiuſmodi ſunt cōcubinarij, meretrices, vſurarij, & illicitos contractus publicè exercentes; hiſtriones recitantes obſcænas, & turpes comedias; hiſtriones verò recitantes comedias non obſcænas non ſunt iudicandi publici peccatores; hoc autèm in particulari iudicandum iudicio prudentis relinquitur.

QVAERITVR duodecimò. Quæ ſatiſfactio neceſſaria eſt, vt publicus peccator periculosè ægrotans poſſit admitti ad cōmunionem.

Reſpondeo, cum in prędicto caſu communio debeat eſſe publica, publicam etiā pęnitentiam neceſſariam eſſe. Probatur ex cap. ſi peccaueris q. 1. C. Scænicis cum præcedenti de conſ. diſt. 2. Vndè meretrici exiſtenti in lupanari, etiam ſi in periculo, vel articulo mortis ſit conſtituta nō eſt deferenda Eucharistia, ſed priùs extrahenda eſt ab illo ſcandali loco; ſic etiam publico vſurario deneganda eſt communio, niſi præſtita priùs cautione Iuris,

quam pro eo tempore dare poteſt, ſi ſit in articulo mortis. ſed

QVAERITVR decimotertiò, An danda ſit Euchariſtia meretrici verè pænitẽti, quæ ſine periculo accelerandæ mortis non poteſt amoueri à lupanari.

Reſpondeo negatiuè propter reuerentiam Sacramenti, quæ exigit, ne in locum tali turpitudine fœdum, tot peccatis expoſitum deferatur, poterit tamèn dicta meretrix verè pænitens ſacramentalitèr abſolui, vt dixi hoc 2. lib. cap. 1. in reſponſo quæſiti 36. ſi autêm non eſſet in publico lupanari, ſed in priuata domo, quid faciendum ſit, ex his, quæ in ſequenti quæſito ſubijciam, conſtabit.

QVAERITVR decimoquartò, Vtrùm communio ſit deneganda publico peccatori in extremis laboranti, qui pœnitentiam publicam agere nequit, ſed ſola cõtritionis ſigna præbet.

Reſpondeo curandum eſſe à Parocho, qui ex officio adminiſtraturus eſt Euchariſtiam, vt publicetur, quantùm fieri poteſt, conuerſio prædicti publici peccatoris, quo peracto, ſi in loco decenti exiſtet, & remotæ ſint ſcandali, ac peccati

occa-

occaſiones, ei poterit deferri Euchariſtia. Ratio eſt, quia moralitèr cenſetur hęc publica pænitentia, cum alia ratione non poſſit manifeſtior exhiberi.

QVAERITVR decimoquintò, Vtrùm Parochus poſſit Euchariſtiam denegare infirmo occulto peccatori, ſi hic inſtet, & petat communionem.

Aliqui docent Parochum quidèm, vel eius Vicarium teneri occulto peccatori publicè petenti adminiſtrare Euchariſtiam, quia hic ſubditus habet ius petendi à Parocho, vel eius Vicario Sacramenta tempore congruò. Secùs autèm eſt, ſi Sacerdos non ſit Parochus, vel eius Vicarius, qui non habeat obligationem adminiſtrandi. Ita Palud. Durand. Gab. Richar. Adrian. Sylueſt. Nau. apud Io. de Lugo de Sacramentis in communi diſp. 8. ſect. 10. num. 168.

Palud. Durand. Gabr. Richar. Adrian. Sylueſt. Nau. Io. de Lugo.

Communis opinio abſolutè, & ſine diſtinctione affirmat non eſſe denegandā Euchariſtiam occulto peccatori petenti publicè.

Suppono in prædicto caſu teneri primò Parochum ratione proprij muneris diſponere huiuſmodi infirmum ad di-

gnam ſuſceptionem Euchariſtiæ. Secundò, ſi tali diligentia nihil ſe profeciſſe cognoſcat, qua poteſt tergiuerſatione, teneri declinare ab adminiſtratione Euchariſtiæ ſalua fama talis peccatoris occulti. Hoc poſito

Reſpondeo in prædicto caſu Parochum teneri, ſi hic omni adhibita diligētia nihil profecit, & videt non poſſe ſine infamia infirmi eidem denegare Euchariſtiam, quæ ſibi deferendam pluribus adſtantibus petit. Ratio eſt, quia miniſter, cum nullam iniuriam inferat Sacramento Euchariſtiæ illam adminiſtrando peccatori occulto publicè eam petenti, & de cætero teneatur conſeruare famam proximi, ex vi huius præcepti tenetur nō denegare eidem Euchariſtiam, quam petit publicè, ne ex denegatione eius fama amittatur. Hoc tamen intellige, niſi peteret ob finem poſitiuè inhonorandi Sacramentum, vt eſſet, ſi conſtaret Parocho huiuſmodi peccatorem occultum petere Euchariſtiam ad eam conculcandam, vel comburendam, tùnc enim præceptum honorandi Deum præualeret, vt optimè adnotat Io. de Lugo de Sacram. in comm. Io. de Lugo.

cit.ſect. 10. á num. 176. vſquè ad finem ſectionis, apud quem vide ſect. 11. quomodo hic Sacerdos non peccet, quia non cooperatur peccato alieno.

Dices, infirmus occultus peccator, qui petit Eucharistiam ſibi deferri à Parocho, non petit publicè, ergò poteſt ei denegari.

Reſpondeo regularitèr loquendo, cum infirmus petit Euchariſtiam, hoc notum eſſe pluribus, nimirùm conſanguineis, & domeſticis, & alijs, ergò cenſetur publica petitio.

Dixi, *regularitèr*, nam ſi iudicio prudentis eſſet ſecreta petitio, poſſet tùnc tali denegari Euchariſtia.

QVAERITVR decimoſextò, Vtrùm periculosè ægrotans, qui iam confeſſus eſt, & poſteà dubitat, an commiſerit aliquod mortale, verbi gratia an conſenſerit delectationi moroſæ, teneatur tale dubium fateri, prius quàm Euchariſtiam ſumat.

Reſpondeo primò, Dubitantem, & magis propendentem in partem affirmatiuam ſe admiſiſſe peccatum mortale, teneri antè ſumptionem Euchariſtiæ præmitte-

mittere confeſſionem talis dubij. Ita cõmunitèr DD. & patebit ex ratione adducenda in ſequenti reſponſo.

Reſpondeo ſecundò, Eum, qui æqualitèr dubitat, an commiſerit peccatum mortale, teneri tale dubium confiteri. *Coninch.* Eſt contra Coninch. de pœnit. diſp. 7. dub. 8. num. 69. cui nonnulli fauere videntur, noſtrum tamèn reſponſum conſonat cõmuni aliorum ſententiæ, quos referunt, *Suar.* *Sanchez.* & ſequuntur Suar. tom. 4. in 3. partem diſp. 22. ſect. 9. & Tho. Sanchez lib. 2. in decal. cap. 10. num. 6. Præcipuum fundamẽtum eſt, quia conſuetudine receptum eſt in tota Eccleſia, vt fideles ſe accuſent de peccatis dubijs in Sacramentali confeſſione, quarè credendum eſt ab ipſis Apoſtolis promanaſſe, qui vim & obligationem in huius Sacramenti inſtitutione incluſã meliùs potuerunt cognoſcere. Congruẽs autèm huius ratio deſumi poteſt ex Sacramenti pænitentiæ natura, nam ſicut antè legem Euangelicam, qui habuiſſet modo prædicto conſcientiam dubiam, tenebatur recurrere ad Deum per contritionem, ita in lege Euangelica, in qua Chriſtiani pro remiſſione peccatorum recur-

currunt ad Confeſſarios tanquam ad Dei Vicarios; cum peccatis eodem modo dubijs ad eos accedere tenentur.

Hoc autèm poſito patet reſponſio ad propoſitum caſum, ſcilicèt teneri prædi-ctum ægrotum præmittere confeſſionem: & confirmatur, nam de iure diuino eſt, vt homo ſe probet, antequàm ad communionem accedat, qui autèm non poteſt probabilitèr iudicare ſe non eſſe reum peccati mortalis, non eſt ſatis probatus.

Prædicta doctrina extendenda eſt etiã ad caſum, in quo quis ſcit ſe admiſiſſe aliquod peccatum mortale, & æquè dubius eſt, an illud confeſſus fuerit, eſt enim obligatio ſimilitèr confitendi: excipe ſcrupulos, de quibus dixi ſupra lib. 1. cap. 3. adnot. 26.

QVAERITVR decimoſeptimò, An infirmus ſit admittendus ad communionem, qui illa conditione fuit abſolutus, *Si es capax*, quia de eius ſufficicienti diſpoſitione Confeſſarius remanſit dubius, de quo caſu locuti ſumus hoc lib. 2. cap. 1. quæſito 32.

Reſpondeo primò, Ex ſola illa notitia habita in confeſſione non poſſe Parochũ

t ali

tali infirmo ſic ab eo abſoluto, & poſteà petenti communionem, illam denegare. Ratio eſt, quia talis infirmus facilè intelligere poſſet cauſam illius negationis, quam de ſua conſcientia habuit Parochus in confeſſione, & ſic ſcandalum, & ſuſpicio eſſet reuelationis.

Reſpondeo ſecundò, Si talis infirmus non petat communionem, eum non eſſe inducendum à dicto Parocho ad illam, ſuppoſito quòd non poſſit meliùs diſponi ad recipiendam priùs aliam abſolutionem Sacramentalem ſine conditione. Ratio eſt quia ſicut, vt quis dignè ſumat Euchariſtiam, requiritur, vt probabilitèr exiſtimetur ſe eſſe in ſtatu gratiæ, quia Sacramentum Euchariſtiæ eſt Sacramentũ viuorum, ita vt quis dignè admittat aliquem ad ſumendam Euchariſtiam, quandò talis admiſſio pendet à ſolo arbitrio admittentis, requiritur, vt probabilitèr iudicet, quem admittit, eſſe in ſtatu gratię; in prædicto autèm caſu non poteſt Parochus elicere tale iudicium probabile.

Aduerte ſi conſanguinei talis infirmi peterent à Parocho, vt ei Euchariſtiam deferat, tunc Parochum poſſe illam deferre,

ferre, & nullam habere rationem notitiæ habitæ in confeſſione.

QVAERITVR decimooctauò, Si grauitèr ægrotans communicaturus vult fateri aliquod peccatum oblitum in præcedenti confeſſione, an Sacerdos, qui iam manu tenet Sacram hoſtiam & profert illa verba, *Ecce agnus Dei, &c.* debeat talẽ confeſſionem audire.

Pro parte negatiua videtur eſſe, quia poteſt euenire, vt pænitens proponat talem caſum, à quo Confeſſarius non poſſit ſe expedire niſi magna cum difficultate, & adſtantium animi commotione, vndè propter hanc rationem docent multi non expedire, vt Sacerdos ad altare audiat recõciliationem alicuius communicaturi. Ita Tolet. lib. 6. cap. 16. Valent. Em. Sà, & Bartholomæus ab Angelo, quos citat, & ſequitur Bonac. de Sacram. diſp. 4. q. 6. puncto 1. num. 20. Nihilominùs

Tolet. *Valent.* *Em. Sà*, *Bar. ab An.* *Bonac.*

Reſpondeo, in noſtro caſu conſultò agere Sacerdotem, ſi repoſita in pixide hoſtia audiat ægroti communicaturi reconciliationem. Ratio eſt, quia alioquin exponit periculo huiuſmodi ægrotum, ne

con-

Digitized by Google

contra conſcientiam operetur exiſtimando ſe indignè ſumere Euchariſtiam non expurgata per confeſſionem conſcientia ab illo peccato, quod vellet fateri. Quòd ſi caſus talis eſſet, vt multa diſquiſitione egeret, poterit Confeſſarius illi iniungere, vt poſt ſuſceptam Euchariſtiam de hoc commodiùs ſecum agat, & interim illum abſoluere, dum paratum ſe eſſe oſtendit ad ea omnia peragenda, quæ tenebitur, & ſic commotio, & admiratio adſtantium ceſſabit.

QVAERITVR decimononò, Vtrùm adminiſtrari poſſit Euchariſtia infirmo non ieiuno.

Reſpondeo affirmatiuè, ſi non poteſt commodè expectari tempus, quo infirmus à media nocte ieiunus Euchariſtiam ſumat. Patet ex cap. liquido, ex cap. Sacramenta de conſecrat. d. 2.

Dixi, *commodè*, non enim tenetur infirmus ſubire graue incommodum, vt ieiunus ſumat Euchariſtiam, verbi gratia non tenetur differre ſumptionem medicinæ, vel cibi vltra tempus à medico præſcriptum, ſi rationabilitèr timeatur, quòd talis dilatio ſit allatura infirmo detrimētum.

tum. Secùs verò dicendum, ſi de exiguo incommodo agatur, verbi gratia ſi per quadrantem, vel ſemiquadrantem horæ differenda eſſet ſumptio medicinæ, vel cibi, vt infirmus ieiunus communicet, regularitèr enim loquẽdo adeò breuis mora interpoſita non ſolet nocere. Dico *regularitèr*, nam ſi prudens alitèr iudicaret, ſtandum eſſet tali iudicio. Sic etiàm quamuis non teneatur infirmus curare, vt noctu ad ſe deferatur Euchariſtia, vt eam non fracto à media nocte ieiunio ſumat, quia hoc ſine graui incommodo fieri nequit, nec vſu receptum, vt Euchariſtia, quæ magno honore deferenda eſt, intempeſta hora deferatur, vt notant DD. & præcipuè Suarez tom.3.in 3.partem diſp.68.ſect.5. Coninch. q.80.a.8. num.12.Tolet.lib.3.cap.28.num.6.nihilominùs ſi ſummo manè, quandò aurora incipit illuceſcere, fieri poſſet communio cum ieiunio, etiam ſi aliquantulùm incommodi interuenire deberet, hoc ſubeũdum eſſet, vt infirmus ieiunus communicaret. *Suar. Coninch. Tolet.*

2 Aduerte primò, Sacerdotem non debere eſſe ſcrupuloſum in adminiſtranda

Euchariſtia per modum viatici infirmo non ieiuno, & ſic in dubiis ſempèr in fauorem infirmi eligenda eſt tutior pars, ſcilicèt vt potiùs hodiè verbi gratia adminiſtretur illi communionis viaticum, quàm differatur in ſequentem diem, vt caueatur periculum decedendi ſine Euchariſtia.

Io. de Lugo. Aduerte ſecundò cùm Io: de Lugo de Euchar.diſp.15.ſec.3.num.74.in fine, non eſſe reprehendendum vſum aliquorum Parochorum, qui veſpere ſerò ſolent alicubi deferre viaticum, id enim faciunt, tùm propter maiores occupationes, quibus matutino tempore ſolent in templo retineri, tùm etiam vt maiori cum decentia Sacramentum deferatur, concurrentibus tunc facilius laicis & ruſticis ad illam actionem, quàm diurno tempore, quo ſinguli ſuis artibus, & functionibus occupantur. Hæc cit. auctor, quæ intelligenda ſunt, dummodò in dilatione non ſit periculum, ne infirmus fraudetur viatici refectione.

QVAERITVR vigeſimò, Vtrùm infirmus, qui ſemèl non ieiunus ſumpſit Euchariſtiam per modum Viatici, poſſit

iterùm

iterùm eam ſimili modo recipere.

Reſpondeo regularitèr loquendo bis, & ter poſſe infirmum communicare per modum viatici, ſi durante eodem caſu infirmitatis interponantur ſex, vel octo dies, & non poſſit commodè ſeruare à media nocte ieiunium. Ita Tab. Armil. & alij apud Henriquez cap. 50. litt. D. & apud Bonac. de Sacram. diſp. 4. q. 6. puncto 2. num. 23. huic ſententiæ etiam ſubſcribit Filliuc. tract. 4. de Euchar. cap. 9. num. 238. §. Tertiò non tantùm ſemel. Quòd poſſit pluriès dari viaticũ eidem infirmo, probatur, quia priuilegium à Iure Canonico conceſſum infirmis, virtute cuius poſſunt non ieiuni communicare, non reſtringitur ad vnam tantùm vicem; ergò nec nos reſtringere debemus, maximè cum agatur de fauore infirmi, qui non parùm adiuuari poteſt ex iterata Euchariſtici cibi refectione. Si verò ita varietur ſtatus infirmitatis, vt periculum mortis, quod ceſſauerat, renouetur; tùnc intra pauciores dies poterit infirmus iterùm ſumere viaticum. Quòd verò ſex, vel octo dies debeant interponi ab vna ſumptione viatici ad aliam durãte eodem

Tab. Armil. Henriq. Bonac. Filliuc.

ſtatu ægritudinis, ſufficientèr ex communi vſu Eccleſiæ probatur, vt notat Io.
Io. de Lugo. de Lugo de Euchar. diſp. 15. ſec. 3. n. 66.

Dixi, *regulariter*, nam poſſet dari caſus, in quo iuxta prudentis iudicium liceret non expectato ſex, vel octo dierum ſpatio à ſumptione viatici iterùm illud adminiſtrare, ſi nimirùm hoc inſtantèr, & magna deuotione poſtularet infirmus ad ſe communiendum magis contra vehementiſſimas tentationes, à quibus ſe periculosè impugnari ſentit. Huic parti facilè ſubſcriberent Ludouicus de S.
Lud. de S. Io. Ioanne, qui in ſumma Hiſpanicè conſcripta tom. 1. q. 7. a. 10. diff. 4. de Sacram. Euch. cenſet poſſe dari tertia die, & ita ſe facere ſolitum probantibus multis ex magiſtris Complutenſibus teſtatur, &
Layman. Layman, qui lib. 5. Theol. moralis tract. 4. cap. 6. num. 20. tenet poſſe ſequenti proxima die dari ob iuſtam cauſam, vt ſi quis ſolitus frequentèr communicare propter deſiderium, aut deuotionem difficilè abſtineat, & mortis periculum inſtare videatur. Has duorum auctorum
Io. de Lugo. ſententias refert Io. de Lugo cit. ſect. nu. 65. alijs opinionibus diuerſorum antea adductis.

QVAE-

QVAERITVR vigeſimo primò, Vtrùm damnatis ad mortem non ieiunis adminiſtrari poſſit communionis viaticũ.

Reſpondeo affirmatiuè, ſi non poſſint commodè ſumere Euchariſtiam ieiuni. Ita Suar. tom. 3. in 3. partem diſp. 66. ſec. 5. Filliuc. loco citato §. Quartò extenditur, Coninch. q. 80 a. 8. num. 50. & alij, quos citat, & ſequitur Bonac. de Sacram. diſp. 4. q. 6. puncto 2. num. 22. Ratio eſt, quia hi cenſentur in mortis articulo; atquè adeò indigentes auxilio Euchariſticæ refectionis: & confirmari poteſt ſtando in opinione, quam ſupra ſecuti ſumus vt probabiliorem, nempè eſſe præceptũ diuinum communionis ſumendæ in articulo mortis, hoc autèm præualet Eccleſiaſtico de non ſumenda Euchariſtia poſt cibum, vel potum. *Suar.* *Filliuc.* *Coninch.* *Bonac.*

QVAERITVR vigeſimoſecundò, Vtrùm Iudex teneatur ad differendam mortem rei per duos, vel tres dies ob hãc præciſam rationem, vt ſequenti die ille Euchariſtiam ſumat ieiunus.

Suppono certum eſſe non teneri, quãdò ob bonum commune expedit ne differatur, aut ſi reus data opera, vt vita

diuturniore frueretur, ieiunium violauit, ne detur aditus reis peruertendi iuſtitiæ ordinem ad vniuerſam Reipublicę vtilitatem valdè communem. Hoc ſuppoſito

Reſpondeo regularitèr loquendo non teneri. Fauet Io. de Lugo de Sacram. Euchar. diſp. 15. ſec. 3. num. 73. vbi hæc habet. *Addo me non inuenire obligationẽ in Iudice differendi executionem ſententiæ eâ de cauſa, vt ieiunus communicet, qui interficiendus eſt; nam licèt ex charitate debeat non impedire, ſi commodè poſſit, quòd Sacramenta ſuſcipiat, non debet tamen impedire, quòd in eis ſuſcipiendis vtatur diſpenſatione & facultate, qua in caſu neceſſitatis vti poteſt.*

Io. de Lugo.

Dixi, *regularitèr loquendo*, nam ſi in aliqua prouincia morte plectendis non ieiunis dari non ſoleat viaticum, vt Neapoli ex conſtitutione ſynodali Diœceſana cap. 15. tunc teneretur Iudex differre, ſi ex tali dilatione nullum graue damnũ bono communi timeatur.

QVAERITVR vigeſimo tertiò, Vtrùm viaticum dari poſſit non ieiuno, qui eadem die ſumpſit Euchariſtiam.

Certum videtur ægroto, qui eadem

die communicauit, non poſſe iterùm dari Sacramentũ Euchariſtiæ. Difficultas ſola eſſe poteſt de eo, qui manè ex deuotione refectus eſt Euchariſtico cibo, vel miſsã, ſi eſt Sacerdos, celebrauit, & vulnere graui, vel colliſione, vel morbo repentino correptus periculosè decũbit.

Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt, quia praxis, & conſuetudo Eccleſiæ non permittit, à qua in his rebus non eſt recedẽdum. Vide plura pro hac parte apud Io. de Lugo de Sacram. Euchariſt. diſp. 16. ſect. 3. *Io. de Lugo.*

QVAERITVR vigeſimo quartò, Vtrùm deficientibus particulis conſecratis Sacerdos poſſit non ieiunus celebrare, vt conſecret hoſtiam deferendam infirmo in articulo mortis conſtituto.

Affirmat Maior in 4. diſt. 19. q. 3. ad 5. Zanard. direct. conf. parte 1. tract. de Euch. cap: 7. Zambran. in deciſ. caſuum tempore mortis cap. 4. de Euch. dub. 6. nu. 3. Philiarcus de officio Sacerdotis tom. 1. parte 1. lib. 2. cap. 2. Fernandez de Heredia in diſp. mixtis de Sacram. tit. de Euch. diſt. 2. parte 8. dub. 2. num. 8. & hanc ſententiam putant probabilem Suarez *Maior. Zanard. Zambran. Philiarc. Fernandez. Suar.*

Filliuc. tom.3.in 3. partẽ diſp.68.ſect. 1. Filliuc. tract.4.de Euch.cap.8.num.242 quia ieiunium eſt de præcepto Eccleſiaſtico, communio autèm de præcepto diuino, ergò hoc debet præualere. Sic etiam probabilem iudicat ob auctoritatem pluriũ Io. de Lugo. DD. Io. de Lugo de Euch.diſp. 15. ſect. 3.num.67.

Reſpondeo opinionem negantem eſſe probabiliorem, & regulariter tenendã, tùm quia magis communitèr docent auctores, quorum plures referunt, & ſequuntur Bonac. Bonac.de Sacram.diſp.4.q.6. puncto 2. num. 24. Io. de Lugo. Io. de Lugo de Sacram. Euch. diſp.15.ſect. 3. num. 68. tùm quia conſuetudo Eccleſiæ bona interpres eorum, quæ ſeruanda ſunt pro reuerentia Sacramenti, non probat, vt Sacerdos non ieiunus celebret ob prædictum finẽ.

Ad rationem pro prima opinione dico præceptum diuinum præferendum eſſe Eccleſiaſtico, quando diuinum non ceſſat obligare; ſed in caſu noſtro diuinum ceſſat obligare: quia non eſt qui ritè poſſit adminiſtrare communionem.

QVARITVR vigeſimo quintò, Si infirmus ita grauiter ægrotet, vt niſi

Paro-

Digitized by Google

Parochus feſtinantèr currendo ei deferat Sacramentum, probabilitèr iudicetur, quòd ſit moriturus ſine ſumptione Euchariſtiæ, quid faciendum in hoc caſu.

Reſpondeo poſſe quidèm Parochum celeri greſſu aliquantulum properare, vt opportuno tempore adſit infirmo, cui adminiſtraturus eſt Sacramentum Euchariſtiæ: Ratio eſt, quia aliquantulùm accelerare greſſum fieri poteſt ſine indecẽtia, & alioquìn ſi non extrema, ſaltèm grauis neceſſitas proximi tunc vrget: ſecùs dicendùm eſſet, ſi nimis feſtinus curſus eſſet neceſſarius pro adminiſtranda infirmo Euchariſtia, nam hic fieri nequit ſalua reuerentia tanto Sacramento debita, & ſeruato decore miniſtri. Fauet Bonac. de Sacram. diſp. 4. q. 5. puncto 2. num. 9. Bonac.

QVAERITVR vigeſimo ſextò, Vtrùm Parochus carens ſuperpellicco, vel ſtola poſſit deferre Euchariſtiam infirmo.

Reſpondeo teneri Parochum cùm decenti habitu Euchariſtiam deferre infirmo, atquè adeò cum ſuperpelliceo, ſtola,

& lumine præcedente. Patet ex cap. ſanè de celebrat. miſſarum, & conueniunt DD. quarè ſi aliquid deeſſet eorum, quæ requiruntur ad decentem habitum pro tanti Sacramenti adminiſtratione, dignitas illius anteponenda eſſet vtilitati priuatæ infirmi.

QVAERITVR vigeſimo ſeptimò, Vtrùm Sacerdos adminiſtraturus Euchariſtiam infirmo propè morituro timens ne, ſi de more præmitat confeſſionem generalem, & conſuetas orationes, decedat infirmus ſine Euchariſtia, poſſit illis omiſſis ſtatim communionis viaticum dare infirmo dicens, *Accipe frater charisſime &c.*

Reſpondeo affirmatiuè. Ducor, quia prædictæ orationes, etſi ſpectant ad decentem ritum, quo adminiſtranda eſt Euchariſtia, non cenſentur tamèn adeò neceſſariæ, & adeò ſtrictè præceptæ, vt illarum omiſſio ſecluſo ſcandalo, & contemptu ſit culpa mortalis, ſed tantùm venialis ob aliquam irreuerentiam, vt notat Filliuc. tract. 4. de Euch. cap. 9. nu. 270. & idem etiam docet Suar. tom. 3. in 3. partem diſp. 72. ſect. 4. ergò, ne priuetur

Filliuc. Suar.

tur

tur infirmus auxilio tanti Sacramenti, poterunt omitti abſquè culpa veniali, quia rationabilitèr præſumitur, vt tunc pia mater Eccleſia conſentiat tali omiſſioni. Vnde in Rituali Romano de Sacramento Euchariſtiæ hæc habentur. *Quòd ſi mors immineat, & periculum ſit in mora, tunc dicto Miſereatur tui &c. prædictis precibus omnibus, vel ex parte omiſsis ei ſtatim viaticum præbeatur.* Fauet etiam Suar. cit. dum dicit, quòd in omiſſione prędictarum orationum grauis culpa venialis excuſari non poteſt, præſertim ſi voluntariè; & ex ſola animi remiſſione fiat abſquè alia cauſa rationabili; ergò innuere videtur, quòd ſi cauſa rationabilis adſit, vt in caſu noſtro adeſt, culpam venialem abeſſe poſſe. Adde, quòd tunc nulla videtur eſſe irreuerentia Sacramenti, nam adſtantes vident prædictas orationes omitti, vt conſulatur animæ moribundi. *Ritual. Ro.* *Suar.*

QVAERITVR vigeſimo octauò, Vtrùm infirmo laboranti tuſſi communionis viaticum ſit adminiſtrandum.

Reſpondeo negatiuè, ſi nimis frequentèr ſolet tuſsire, quia periculoſum eſt, ne

ſtatim

ſtatim ſumpta hoſtia, vel integra, vel eius fragmentum vi ſuperuenientis conſuetæ tuſsis ex ore emittatur: idem dicendum, quotiès periculum eſt, ne per vomitum, aut expuitionem eijciatur ſumpta hoſtia.

Dixi, *nimis frequentèr*, nam ſi ſoleat infirmus per ſemihoram v. g. quieſcere, tũc diligentèr conſiderata illius natura, & morbi qualitate, ſi prudentèr iudicetur nullum eſſe expuendæ hoſtiæ periculum, poterit hæc dari.

QVAERITVR vigeſimo nonò. Vtrũ liceat Sacerdoti adminiſtrare Euchariſtiã infirmo peſte infecto, mediante aliquo inſtrumento ad id apto.

Reſpondeo reuerentiam Sacramento Euchariſtię debitam exigere, vt ſeruata præſcripta forma, & ritu communi vſu recepto adminiſtretur, atquè adeò propria manu, etiamſi periculum vitæ adſit, infirmis peſte infectis præbeatur. Ita Bonac. de Sacram. diſp. 4. q. 5. puncto 2. nu. 10. vbi etiam refert tanquam probabilem Poſſeuini opinionẽ affirmantis excuſari poſſe à peccato mortali Sacerdotem, qui præciſo ſcandalo, & periculo lapſus Euchariſtię in terram, inſtrumento aptè elabora-

Bonac.

Poſſeu.

borato adminiſtrat Euchariſtiam peſte infectis, quæ opinio maximè habere poteſt locum, ſi graſſante peſte pauci Sacerdotes reperiantur, quod faciliùs contingere poteſt in oppidis, & pagis.

QVAERITVR trigeſimò, Vtrùm in extrema neceſsitate ſi Sacerdos nō adſit, poſsit Laicus alijs adminiſtrare Euchariſtiam.

Aliqui affirmant, quos tacito nomine refert Em. Sà, quorum opinionem nec approbat, nec improbat; & affirmantem partem non improbabilem exiſtimat Valent. tom. 4. diſp. 6. q. 10. puncto 1. & eidem adhæret Diana parte 3. reſol. moral. tract. 4. de Sacram. reſol. 47. *Em Sà.* *Valent.* *Diana.*

Reſpondeo partem negantem cum cōmuni Theologorum ſententia eſſe tenendam, & fundatur in Eccleſiæ conſuetudine ſaltèm noſtra ætate omninò recepta; à qua in re tanti momenti non eſt recedendum, de qua re plura habet Io. de Lugo de Sacram. Euchar. diſp. 18. ſect. 1. num. 22. *Io. de Lugo*

Confirmatur primò, quia diſpenſare Euchariſtiam videtur ſupponere poteſtatem aliquam ſuper corpus Chriſti, qua

Laici

Laici carent, cum tantùm hæc Sacerdotibus, & Diaconis competat.

Confirmatur ſecundò, ſi non licet Sacerdoti ſine ſuperpelliceo, & ſtola Viaticũ deferre infirmo, vt communitèr DD. affirmant, idquè vt honor Sacramento Euchariſtiæ debitus ſeruetur, quomodò poterit licere Laico, cui non competit more Sacerdotum ſtolam geſtare?

QVAERITVR trigeſimo primò, Vtrùm in extrema neceſsitate, ſi Sacerdos non adſit, poſsit Laicus ſibi ipſi adminiſtrare Euchariſtiam.

Valent. *Layman* Affirmant multi. Valent. tom. 4. diſp. 6. q. 10. puncto 1. in fine, Layman in Theol. morali lib. 5. tract. 4. cap. 7. num. *Coninch.* 4. Coninch. de Sacram. q. 82. art. 3. num. *Suar.* 2. Suarez in 3. partem tom. 3. diſp. 72. *Filliuc.* ſect. 3. Filliuc. tom. 1. tract. 4. cap. 9. num. *Reginald.* 284. nec diſſentire videtur Reginaldus lib. 29. num. 93. exiſtimans Laicum in articulo mortis, quandò non adeſt alius, qui ſibi Euchariſtiam adminiſtret, ſeipſum communicare poſſe. Fundatur, quia nec ſcriptum legitur aliquod ius prohibens, nam caput peruenit diſt. 2. de conſecrat. loquitur extra caſum neceſſitatis, nec id repu-

repugnat naturali, & diuino Chriſti præcepto, immò nec conſuetudini; cum vt notat Filliuc. cit. olim ſolerent fideles communicare ſe ipſos; vel in Eccleſia ſumentes proprijs manibus, ad quód feminę vtebantur linteis quibuſdam, quæ Dominicalia vocabātur, vel ad proprias domos deferendo, ibiquè ſe communicando propter imminens periculum tyranni. Et confirmari poteſt eadem opinio exemplo Reginæ Scotiæ, quæ martyrium ſubitura Sacramētum, quod habebat apud ſe, proprijs manibus ſumma omnium laude ſuſcepit. *Filliuc.*

Alij contrarium ſentiunt; quos refert Bonac. de Sacramen. diſp.4.q.5. puncto 1. ſub num. 6. quorum opinionem putat probabiliorem. *Bonac.*

Reſpondeo, quamuis ob auctoritates, & rationes ſupra adductas prima opinio cenſeatur probabilis, nihilominùs quoad praxim his noſtris temporibus ſatis vſu receptam eſſe ſecundam opinionem; cui ſuffragantur ea, quæ in cōfirmatione primo, & ſecundo loco pro reſponſo antecedentis quæſiti dixi. Vide plura pro hac re apud Io. de Lugo de Sacramen. Euch. *Io. de Lugo.*

diſp.

diſp. 18. ſect. 1. à num. 24. vſquè ad 27. & num. 25. reſpōdet exemplo Reginæ Scotiæ allato, dicens illud factum fuiſſe, tùm ex ſpeciali Pontificis licentia, quam illa Regina habebat; tùm etiam quia in illis circumſtantijs id fieri poterat, & debebat ad vitandum periculum irreuerētiæ, cum timeri iure poſſet hæreticos poſt eius mortem Euchariſtiam inuentam irreuerentèr tractaturos tunc enim in tali caſu licet Laicis etiam feminis ſumere Euchariſtiam iuxta dictamen præcepti naturalis de euitanda irreuerentia tanti Sacramenti.

QVAERITVR trigeſimo ſecundò, Vtrùm in neceſſitate poſſit Sacerdos committere Diacono, vt miniſtret Euchariſtiam.

Reſpondeo affirmatiuè, nam ita decernitur in Concil. Carthag. 4. cap. 38. illis verbis. *Vt Diaconus præſente presbytero Euchariſtiam Corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, iuſſus eroget.* quod non eſt reuocatum. *Conc. Carth*

Poteſt etiam Diaconus abſente Parocho deferre viaticum infirmo, ne abſquè communione decedat. Conſtat ex Concil.

cil. Niceno cap. 14. hoc idem dicendum, ſi Parochus nolit ipſe hoc præſtare, nec vices ſuas committere Diacono, vt benè cũ communi ſententia notat Io. de Lugo de Sacram. Euch. diſp. 18. ſect. 1. num. 27. Si autèm adſint Sacerdotes, non poſſet Parochus committere Diacono; vt Euchariſtiam adminiſtret. *Conc. Nic.* *Io: de Lugo.*

QVAERITVR trigeſimo tertiò, An extra miſſam poſſit ſibimet Sacerdos adminiſtrare Euchariſtiam, ſi adſit alius Sacerdos, vel Diaconus.

Reſpõdeo negatiuam partem eſſe probabiliorem, quotiès enim Sacerdos non communicat vt Sacerdos, offerendo, vel perficiendo, vel conſumando ſacrificium priùs à ſe, vel ab alio inceptum, illa communio fieri debet iuxta communem conſuetudinem Eccleſiæ. Suffragatur huic parti Io. de Lugo diſp. 18. de Sacram. Euch. ſect. 1. à num. 30. *Idem.*

Dixi, ***probabiliorem***; nam non deſunt grauiſſimi auctores pro parte affirmatiua, vt Suar. Vaſquez, & alij, quos citat, & ſequitur Diana tom. 1. tract. de celebratione miſſarum reſol. 53. In qua opinione, ſi adſit Diaconus, aliqui docent teneri Sacer- *Suar.* *Vaſquez.* *Diana.*

cer-

cerdotē de manu Diaconi Euchariſtiam accipere:alij verò id negant,quia Diaconus nõ eſt miniſter, niſi in defectũ Sacerdotis, qui tunc deeſt.

QVAERITVR trigeſimo quartò, Vtrùm Sacerdos infirmus poſſit ſibi adminiſtrare Viaticum, ſi non adſit alius Sacerdos.

Reſpondeo affirmatiuè. Colligitur ex *Conc. Nic.* Concil. Niceno cap. 14. in quo conceditur Diacono, vt abſente Sacerdote det alijs, & ſumat ſibi Euchariſtiam, ergò à fortiori hoc etiam prǽſtare poterit Sacerdos, cum & ipſe ſit Diaconus.

QVAERITVR trigeſimoquintò, Vtrùm Parochus teneatur peſte infectis Euchariſtiam adminiſtrare.

Maior *Molfeſ.* Negant aliqui, inter quos eſt Maior in 4.diſt.7.q.vltima,& diſt.23.q.1. Molfeſius in ſumma tom.1.tract.4.cap.3.num. *Tab.* 51.Tab. Verbo Epiſcopus num. 6. concl. *Armil.* 4.& fauet Armilla eodem verbo num. 6. Fundamentum eſt, quia infirmus non extremè indiget ſumptione Euchariſtica,& licèt teneatur ad illam in periculo mortis ex præcepto diuino, vel Eccleſiaſtico, ab eo tamèn poteſt excuſari ratione moralis impo-

impotentiæ, quia miniſter non tenetur cum periculo vitæ Euchariſtiam admi-niſtrare.

Reſpondeo, probabiliſſimum mihi videri, regularitèr loquendo, Parochum teneri in prædicto caſu etiam cum periculo vitæ Euchariſtiam adminiſtrare. Pro hac parte eſt Suar. tom. 4. in 3. partem diſp. 64. ſect. 3 à num. 17. vſque ad 20. Probatur primò, quia in extrema proximi neceſsitate ſpirituali quiuis tenetur ei ſuccurrere etiam cum certo vitæ periculo, ſi ſit probabilis ſpes eum iuuandi, ergò in graui neceſſitate ſpirituali tenebitur paſtor ſubuenire gregi ſuo etiam cum periculo vitæ, ſi ſit ſpes eum iuuandi; conſequētia probatur, nam paſtor ratione muneris proprij ad aliquid amplius tenetur erga oues ſuas, quàm non teneatur alius, antecedēs traditur communitèr à Theologis, vt patet ex Bannez, Caiet. & Maldero 2.2.q.26. artic. 5. Turriano de fide, ſpe, & charitate diſp. 87. dub. 2. concl. 3. Valent. diſp. 3. q. 4. pūcto 2, aſſert. 4. Probatur ſecundò, ex conſuetudine recepta apud timoratos paſtores, qui tempore peſtis ſolent adminiſtrare viaticum. Tertiò,

Suar. *Bannez.* *Caiet.* *Malder.* *Turrian.* *Valent.*

quia Parochus tenetur curare, vt ſubditi ſeruent præcepta diuina,& Eccleſiaſtica, ergò tenetur illis in periculo vitæ conſtitutis adminiſtrare Euchariſtiam, quia tūc tenentur fideles ex præcepto diuino, vel ſaltèm Eccleſiaſtico cōmunicare. Quartò, quia etſi Euchariſtica refectione non extremè indigeat morti proximus, valdè tamèn illa indiget, vt patet ex dictis ſupra in ſecundo reſponſo primi quæſiti, & in ſecundo reſponſo ſecundi quæſiti. Quibus adde, quòd Euchariſtia iuxta opinionem probabiliſſimam aliquandò poteſt cōferre primam gratiam, & remiſſionem peccatorum mortalium, quandò nimirū peccator accedit ad hoc Sacramentū cum attritione ſupernaturali peccatorum, & cum prudenti exiſtimatione, quòd ſit in gratia. Ita docent S. Tho. in cap. 2. Ioannis lect. 6. in fine, Scotus in 4. diſt. 9. q. vnica. Ricardus ibidem art. 2. q. 1. Caiet. in art. primum q. 79. §. Secundus igitur effectus, Adrian. in 4. q. 1. de Euchar. §. Pro reſponſione. Bellarm. lib. 4. de Euchar. cap. 19. Valent. diſp. 6. q. 8. puncto 1. §. Sunt autem & alij effectus. Suar. tom. 3. in 3. partem, diſp. 63. ſect. 2. & alij plures,

D. Tho. Scotus. Ricard. Caiet. Adrian. Bellarm. Valent.

res,

res, quorum aliquos habes apud eundem Suarez. Suar.

Dixi, *regulariter loquendo*, nam vt benè aduertit Suar. cit. diſp. 64. ſect. 3. num. 19. in fine, poſſet aliquandò excuſari Parochus ab obligatione adminiſtrādi Euchariſtiam infirmis contagio laborantibus, v.g. ſi ad audiendas aliorum confeſſiones neceſſarium ſit alios dimittere ſine viatico, vel ſi Parochus ſit ſolus, & nimiùm periclitetur eius vita, ſi vtrumque Sacramentum, ſcilicet pænitentiæ, & Euchariſtiæ velit adminiſtrare, & maximè ſi in eius defectum non facilè poſſit alius ſubſtitui. Ex dictis ſatis refellitur ratio fundamentalis primæ ſententiæ.

Sacerdotes verò noſtræ Religionis, quia peculiari voto ſolemni ad inſeruiēdum infirmis, etiā quos peſtis inceſſerit, adſtringuntur, ſi illis à Superioribus iniungeretur, vt adminiſtrent Sacramenta morbo contagioſo affectis, tenerentur etiam cum euidenti periculo cōtagij. Verùm in adminiſtratione Euchariſtiæ, & extremæ vnctionis etiam tempore peſtis (niſi in caſu particulari extrema aliqua neceſsitas vrgeret, & non adeſſet Paro-

chus, de qua re in ſequenti quæſito) caueant Noſtri, ne ſe ingerant, niſi requirantur ad tale miniſterium ab Ordinario, vel de expreſſa Parochi licentia.

QVAERITVR trigeſimoſextò, Vtrùm deficiēte Parocho, & vrgente mortis periculo poſsint Regulares, vel alij Sacerdotes adminiſtrare Euchariſtiam.

Nauar. *Sylueſt.* Negant Nauar. cap. 27. num. 102. Sylueſt. verbo excommunicatio 7. num. 33. dub. 4. & pauci alij.

Reſpondeo cum communi, & veriſsima ſententia licere Sacerdoti Religioſo, vel alijs etiam Sacerdotibus ſæcularibus ægroto in periculo, vel articulo mortis conſtituto Euchariſtiam adminiſtrare. *Sotus.* Ità Sotus in 4. diſt. 23. q. 2. art. 1. *Angel.* Angelus in Verbo excommunicatio 5. caſu 12. *Tab.* Tab. eodem titulo caſu 5. *Armil.* Armilla verbo *Filliuc.* excommunicatio num. 49. Filliuc. tract. 4. de Euchar. cap. 9. num. 266. & alij plu- *Bonac.* res, quos citat, & ſequitur Bonac. de Sa- *Io. de Lugo.* cram. diſp. 4. q. 5. puncto 1. num. 10. Io: de Lugo de Sacr. Euch. diſp. 18. ſect. 2. num. 53. qui num. 52. optimè vindicat *Suar.* Suarium à cenſura Fagundez, qui immeritò exiſtimauit virùm adeò inſignem

hac

hac in re ſibi contradixiſſe, nam Suarez ſolùm eſt pro hac opinione, vt patet ex tom.3.in 3.partem diſp.22.ſect.2.verſus finem, §.Sed quęres. Ratio eſt, quia rationabilitèr præſumitur voluntas Parochi, vel Epiſcopi, vel Pontificis. Præterea hoc eſt naturali iuri conforme, quo tenemur proximis in ſpiritualibus neceſsitatibus ſubuenire, & licèt neceſsitas huius Sacramenti non ſit extrema, tamèn eſt valdè grauis, quæ etiam iuxta dictamen naturalis iuris adimplenda eſt.

QVAERITVR trigeſimo ſeptimò, Vtrùm tempore interdicti adminiſtrari poſsit grauitèr ægrotanti Euchariſtia.

Reſpondeo quemlibet Sacerdotē, qui non dedit cauſam interdicto, poſſe ægroto periculosè laboranti Viaticum miniſtrare, ſi illi ex officio competit adminiſtrare. Ita Suar.tom.5.in 3. partem diſp. 33.ſect. 1. num. 24. Auila de Cenſ. parte 5. diſp. 4. ſect. 1. dub. 5. concl. 1. Sayr. Theſauri lib.5.cap.7.num.16. vbi plures auctores citat. *Suar.* *Auila* *Sayr.*

Dixi, *periculosè laboranti*, nàm leuitèr infirmis non licèt deferre Euchariſtiam tempore interdicti.

Ex dictis infertur, tempore interdicti miniſtrari poſſe Euchariſtiam morte plectendis, & inchoantibus periculoſam nauigationem, vel intrãtibus prælium, quia hi omnes cẽſentur in periculo mortis. Sic etiam mulieri propinquæ partui, quandò attentis circumſtantijs eſt in probabili mortis periculo, vt quia eſt primus partus, vel quia experta eſt partus difficiles. Ita cum Sylueſt. Couar. & Henriq. Auila citatus, & de muliere etiam in prædicto caſu expreſsè tenet Sayr. lib. 5. cap. 7. num. 18.

Sylueſt. Couar. Henriq. Auila. Sayr.

QVAERITVR trigeſimo octauò, Si in aliquo populo Clerus ſit interdictus, & ſolus ſit vnus Parochus, ad quem ſpectet ex officio Viaticũ miniſtrare, an poſſit hoc munus committere alijs Sacerdotibus generatim interdictis.

Reſpondeo partem affirmantem ſatis probabilem eſſe. Suarez cit. & alij. Ratio eſt, quia nulla ſpecialis prohibitio adeſt, generalis autẽm non ſufficit, in exceptione enim Viatici totum hoc miniſterium includi debet.

Suarez.

QVAERITVR trigeſimo nonò, An tempore interdicti deficiente Sacerdote, cui

cui ex officio competit adminiſtrare Viaticum, poſſint etiam alij Sacerdotes Regulares, vel ſeculares illud adminiſtrare homini conſtituto in periculo mortis?

Reſpondeo plures DD. ſimplicitèr aſſerere abſquè vlla diſtinctione de Parocho, vel alio Sacerdote, licere Sacramentum Euchariſtię infirmis, vel alijs in probabili mortis periculo exiſtentibus adminiſtrare tempore interdicti; quorum plures citat Sayr. theſauri lib. 5. cap. 7. num. 16. & ita etiam vniuerſalitèr ſine vlla reſtrictione loquitur ipſe Sayr. & Auila de Cenſur. parte 5. diſp. 4. ſect. 1. concl. 1. & ſanè videtur in hoc caſu probabilitèr præſumi poſſe facultatem conceſſam eſſe à Parocho, vel Epiſcopo, vel Pontifice, (ſicut dictum eſt in reſponſo quæſiti 36.) cuilibet Sacerdoti, qui non dedit cauſam interdicto, adminiſtrandi viaticum infirmo, deficiente eo, ad quem ſpectat ex officio adminiſtrare.

QVAERITVR quadrageſimò, Vtrùm in caſibus, quibus licitum eſt miniſtrare Sacramentum Euchariſtiæ tempore interdicti, liceat illud adminiſtrare cum ſolemnitate conſueta, & in via dice-

re aliquos Pſalmos, & hymnos, & in reditu ab infirmo liceat Euchariſtiam oſtẽdere populo.

Sylueſt.
Nau.
Henriq.
Armil.

Reſpondeo affirmatiuè. Ita Sylueſt. Nauar. Henriq. Armilla, quos citat, & ſequitur Auila loco præcitato concl. 4. Ratio eſt, quia honor Sacramento Euchariſtiæ debitus ita exigit, nec vllo ſpeciali iure prohibetur.

Auila.

Aduertit autèm benè Auila, quòd in via non poſſunt recitari horæ Canonicæ, nec aliud officium diuinum, quia tempore interdicti non poſſunt publicè dici.

CA-

CAPVT QVINTVM.

In quo reſoluuntur aliqui caſus circa Extremam Vnctionem grauitèr ægrotantibus conferendam.

QVA ratione hortandus ſit infirmus ad Extremæ vnctionis Sacramentum ſuſcipiendum, dixi ſupra lib. 1. cap. 3. adnot. 28. vbi etiam aliqua innui de eius effectu. Hìc autem breuitèr attingemus ſpectantia ad idem Sacramentum.

QVAERITVR primò, An Extrema vnctio ſit Sacramentum diſtinctum à cæteris.

Reſpondeo affirmatiuè, & hoc de fide eſſe conſtat ex traditione Eccleſię, & Concilijs, & præcipuè Florent. in Decretis Eug. & Tridentino ſeſſ. 14. cap. cum veniſſet de Sacra vnctione, ex Innocentio III. & ex ſcriptura Iacobi 5. *Infirmatur quis in vobis &c.* *Conc. Flor.* *Trid.* *Iacob.*

QVAERITVR ſecundò, Vtrùm Sacramentum Extremæ vnctionis fuerit immediatè à Chriſto inſtitutum.

Reſpon-

Reſpondeo affirmatiuè, & hoc paritèr de fide eſſe conſtat ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 1. & ſeſſ. 7. can. 1. & ita communitèr Scholaſtici.

Trid.

QVAERITVR tertiò, Quandò fuit inſtitutum.

Reſpondeo, etſi certò definiri non poſſit, quandò hoc Sacramentum fuerit à Chriſto inſtitutum, probabilitèr tamèn affirmari poſſe, fuiſſe inſtitutum in noɛte cœnæ quoad deſignationem materiæ & formæ, ritumquè in eo obſeruandum: quoad poteſtatem verò illud miniſtrandi, poſt reſurreɛtionem Io. 20. quia Apoſtoli tunc acceperunt poteſtatem ſupra Corpus Chriſti myſticum, de qua re plura videri poſſunt apud Suarez tom. 4. in 3. partem diſp. 39. ſeɛt. 2.

Suar.

QVAERITVR quartò, Quænam ſit materia remota huius Sacramenti.

Reſpondeo materiam remotam huius Sacramenti eſſe oleum oliuarum benediɛtum ab Epiſcopo. Patet ex Florent. & Trident. cit. & conueniunt Scholaſtici.

Conc. Flor.
Trid.

QVAERITVR quintò, Vtrùm de neceſſitate Sacramenti requiratur, vt oleum ſit benediɛtum ab Epiſcopo.

Affir-

Affirmant Victoria, Ledeſma, & alij apud Henriquez lib. 3. cap. 8. in litt G. poſſe ſimplicem Sacerdotem ex diſpenſatione Papæ oleum, & chriſma conſecrare, & hoc etiam probabile putat Bonac. de Sacram. diſp. 7. q. vnica puncto 2. num. 3. *Victoria* *Ledeſm.* *Henriq.* *Bonac.*

Reſpondeo opinionem affirmantem, ad valorem Sacramenti extremæ vnctionis requiri oleum benedictum ab Epiſcopo, eſſe tenendam. Ita plures Theologi, quos citat, & ſequitur Suarez tom. 4. in 3. partem diſp. 49. ſect. 1. num. 3. & Bellarm. tom. 3. lib. 1. de extrema vnctione cap. 7. Fundamentum eſt, quia dum Cōcilia aſſignant materiam huius Sacramēti, dicunt eſſe oleum benedictum ab Epiſcopo, Concilia autem, dum ſimpliciter loquuntur de materia, intelligenda ſunt de materia eſſentiali. *Suar.* *Bellarm.*

QVAERITVR ſextò, Vtrùm ad valorem Sacramenti requiratur, vt oleum ſit benedictum eo anno.

Reſpondeo negatiuè, quia neque ex Concilijs, neque ex traditione poteſt colligi ad validitatem Sacramenti hoc eſſe neceſſarium. Solum ergò eſt de præ-

cepto

cepto, vt colligitur ex C. litteris de conſecrat. diſt. 3. Si verò aliqua neceſſitas vrgeret, non eſſet peccatum mortale vti oleo veteri ex virtute epichiæ. Non deſunt aliqui, qui abſolutè dicunt non eſſe de præcepto, non vti oleo benedicto nouo anno, ita Henriquez lib. 3 cap. 8. Aduerte, poſſe licitè Parochum oleum non conſecratum miſcere conſecrato, quandò timet fore, vt conſecratum ob multiplicitatem infirmorum deficiat, vtrumque enim cenſetur per admixtionem conſecratum, modò quantitas non conſecrati, quæ adiungitur, ſit minor quantitate conſecrati. Ita Bonac. loco cit. num. 8. cum Poſſeuino, meliùs tamen erit ſolo conſecrato vti, ſi haberi poterit ſufficiens illius copia.

Henriq.

Bonac.
Poſſeu.

QVAERITVR ſeptimò, Quænam ſit materia proxima huius Sacramenti.

Reſpondeo vnctionem ex prædicto oleo factam. Ita communitèr DD. patet ex Iacobi 5. *Vngentes eos oleo*, & innuit Trident. ſeſſ. 14. cap. 1. *Nam* (inquit) *vnctio ſapiſſimè gratiam Spiritus Sancti repraſentat*. quibus verbis indicatur ratio concluſionis prædictæ, ſcilicèt per vnctio-

Iacob.
Trid.

ctionem ſignificari gratiam, non autèm per benedictionem olei. Confirmatur, quia Sacramenta, quæ conſiſtunt in vſu, habent pro materia proxima vnctionem, vndè in Baptiſmo materia proxima eſt ablutio, in Confirmatione vnctio &c.

QVAERITVR octauò, Vtrùm vnctio debeat neceſſariò fieri in modum Crucis.

Reſpondeo primò, ad validitatem huius Sacramenti non eſſe neceſſe, vt vnctiones fiant in formam Crucis, quia nequè ex ſcriptura, nequè ex Concilijs, nequè ex traditione hoc colligi poteſt, & ita communitèr ſentiunt Scholaſtici.

Reſpondeo ſecundò, nequè de neceſſitate præcepti hoc eſſe, ſed tantùm ex laudabili conſuetudine, quæ tamèn non eſt introducta cum exiſtimatione, vt obliget ſub mortali. Ita Suar. tom. 4. in 3. partem diſp. 40. ſect. 2. num. 3. & Zambran. de caſibus mortis cap. 5. Filliuc. tom. 1. tract. 3. cap. 4. num. 75. Coninch. de Sacramen. diſp. 19. dub. 2. num. 7. *Suar.* *Zambran.* *Filliuc.* *Coninch.*

Sed noſtrum reſponſum eſt contra alios exiſtimantes eſſe peccatum mortale, quia eſt contra conſuetudinem in re graui. Colli-

Collige, vrgente periculo inſtantis mortis, vel tempore peſtis, poſſe abſquè vlla culpa omitti tale ſignum Crucis, vt velociù vngatur infirmus.

QVAERITVR nonò, Quot vnctiones ſint neceſſariæ in hoc Sacramento.

Reſpondeo primò, de neceſſitate præcepti quinque vnctiones requiri in quinque ſenſibus. Ita cum alijs Suarez loco cit. num.8. hóc probatur ſatis efficacitèr ex vniuerſali Eccleſiæ cōſuetudine; quarè duæ illæ vnctiones in renibus & pedibus, licèt quoad viros fieri ſoleant, tamèn quoad feminas decentiùs omittuntur, & præcipuè illa, quæ fit in renibus. *Sua.*

Reſpondeo ſecundò, communem & probabiliſſimam ſententiam eſſe, non ſolùm de neceſſitate præcepti, ſed etiam de neceſſitate Sacramenti requiri prædictas quinque vnctiones. Valent. tom.4. diſp. 8. q.2. Bellarm. tom. 3. cap. 10. lib. 1. de extrema vnctione, Coninch. diſp. 19. dub.3. Nugnez 3. parte q.32. a.6. & alij. *Valent. Bellarm. Coninch. Nugn.*

Aliqui, quos ſuppreſſo nomine refert Suar. dicta ſect. num.8. & Bellarm. cit. loco, non dubitarunt aſſerere, non eſſe de neceſſitate huius Sacramenti, vt per plu- *Suar. Bellarm.*

res

res vnctiones fiat, neque in determinata parte corporis, ſed vnicam vnctionem factam ſiuè in capite, ſiuè in pectore ſufficere, quantum ſpectat ad valorem Sacramenti. Huic eidem ſententiæ fauet Martinus Beccanus de Sacram. cap. 25. q. 7. num. 6. rationes pro hac parte videantur apud ipſum. Eandem ſententiam putat probabilem Syluius in addit. ad 3. partem q. 32. a. 6. quæſito 2. *Beccan.* *Syluius.*

QVAERITVR decimò, Vtrùm in ſingulis vnctionibus ſufficiat vnicam guttā olei ſtillare.

Pro parte affirmatiua eſt, quòd cum natura olei ſit diffuſiua, & facilè ſe inſinuet, vbi applicatur, videtur quòd ſtillare vel vnam illius guttulam ſuper aliquā partem, ſit eam vngere, neſcit enim illa guttula ſe continere, quin effluat, & ſe diffundat.

Pro parte negante eſt Suar. tom. 4. in 3. partem diſp. 40. ſect. 2. num. 4. quem ſequitur Filliuc. tom. 1. tract. 3. cap. 4. nu. 74. & hæc ratio adducitur, quia iuxta communem modum loquendi ſtillare vnam guttam olei, non eſt vngere. *Suar.* *Filliuc.*

Reſpondeo prædictam opinionē Suar. eſſe

eſſe tenendam, quia ſaltèm dubium eſt, an ſtillare vnam guttam dicatur vngere, quæ autèm dubium reddunt valorem Sacramenti, omninò vitanda ſunt.

QVAERITVR vndecimò, Vtrùm neceſſariò facienda ſit duplex vnctio in ſingulis ſenſibus.

Reſpondeo primò negatiuè, quoad neceſſitatem Sacramenti. Ratio, quia in vna parte ſufficientèr ſignatur vnctio talis ſenſus, nec ex ſcriptura, aut Concilijs colligitur neceſſitas vngendi vtrumque organum ſenſus, & ita communitèr DD.

Reſpondeo ſecundò, ex conſuetudine, quæ vim præcepti habet, vtrumq; organum ſenſus inungendum eſſe. Ita Suar. tom. 4. diſp. 40. ſect. 2. nu. 5. Filliuc. tom. 1. tract. 3. c. 4. num. 79. & alij communitèr.

Suar. *Filliuc.*

Collige, ſi vrgeret neceſſitas, quia nimirùm inſtaret mors, vel adeſſet periculum contagij, tùnc ſine peccato ex virtute epichiæ poſſe adminiſtrari hoc Sacramentum, vnam tantum partem cuiuslibet ex quinque ſenſibus inungendo, & proferendo debitam formam. Fauent nobis Coninch. de Sacram. diſp. 19. dub. 3. num.

Coninch.

3.nu.9.& 12.Suar.cit.loco, & alij communitèr. Vide quæ habet Syluius in 3. partem q.32.a.7. Suar. Syluius.

Aduerte, ſi accidat deeſſe aliquod organum ſenſus, verbi gratia oculos, aures, naſum &c. illam partem vngendam eſſe, in qua talis ſenſus ſolebat reſidere; deficientibus verò manibus vngendam eſſe partem brachij manui proximam, & ſi brachium deſit, partem brachio proximam, & quaſi fundamentum manus.

QVAERITVR duodecimò, Vtrùm ordo aliquis in vnctionibus quinque organorum ſenſus neceſſariò ſit ſeruandus.

Reſpondeo primò, non eſſe ordinem vnctionum de eſſentia Sacramenti. Ita Suar. loco cit.nu.9.Filliuc. tom. 1. tract. 3.cap.4.num.19.& alij communitèr. Ratio eſt, quia materia eſſentialis proxima huius Sacramenti eſt vnctio, ordo autèm in vnctione eſt quid accidentale. Suar. Filliuc.

Reſpōdeo ſecūdò, ex laudabili & præcepta conſuetudine Eccleſiæ ſeruandum eſſe ordinem, vt priùs vngantur oculi, poſtea aures &c. ſic enim eſt conformis ipſi naturæ; quarè talis conſuetudo non ſine aliquo peccato omitti poteſt, inquit Sua- Suar.

rez cit. hoc autèm peccatum ſecluſo contemptu puto non eſſe niſi veniale, eſt enim parua materia talis immutatio ordinis.

Aduerte obitèr Sacerdotes non eſſe vngendos in palma, ſed in ſuperiori verſa parte, quia ſemèl in palma fuerunt vncti, quandò Sacerdotali ordine fuerunt inſigniti.

QVAERITVR decimotertiò, Vtrùm forma huius Sacramenti ſit neceſſariò proferenda modò deprecatiuo.

Reſpondeo affirmatiuè. Patet primò, Conc. Flor. quia forma tradita in Florent. & Trid. eſt Trid. per modum deprecationis. *Per iſtam sãctam vnctionem, & ſuam pijſsimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quid quid deliquiſti per viſum*, quæ replicatur in ſingulis vnctionibus, addendo verbi gratia per auditum, dum inunguntur aures &c. Si quæ autèm aliæ formæ adhibẽtur in particularibus Eccleſijs, quoad ſubſtantialem ſenſum ad hanc reducuntur. Suar. Vide Suarez tom. 4. in 3. partem diſp. 40 ſect. 3. à num. 2. Secundò, quia infirmus eget deprecatione aliorum, vt D.Tho. notat S. Tho. in 4. diſt. 23. q. 1. a. 4. quæſtiun-

Digitized by Google

ſtiuncula 2. Tertiò, quia Chriſtus ſatis hoc indicauit in inſtitutione huius Sacramenti Iacobi 5. *Inducat presbyteros, & orent ſuper eum vngentes &c.* Iacob.

QVAERITVR decimoquartò, An ad eſſentiam huius Sacramenti neceſſaria ſint illa verba, *Per ſuam piiſſimam miſericordiam.*

Reſpódeo prædictis verbis omiſſis, cæteris verò formę verbis prolatis Sacramẽtum ſubſiſtere. Ratio eſt, quia ſine illis eſt completus ſenſus verborum, & in illis, *Indulgeat tibi Deus*, ſatis poſtulatur actus miſericordiæ diuinæ, atquè adeò cauſa principalis, quæ operatur in hoc Sacramento, ſatis ſufficientèr exprimitur. Eſt hæc opinio contra nonnullos, inter quos eſt Nugnus tom. 2. in addit. ad 3. partem q. 29. a. 9. concl. 4. ſed aliorum eſt ferè communis, Suar. tom. 4. in 3. partem diſp. 40. ſect. 3. num. 13. Filliuc. tom. 1. tract. 3. cap. 4. num. 85. Pitigiani in 4. tom. 2. diſt. 23. q. vnica art. 4. dub. 1. Coninch. de Sacram. diſp. 19. dub. 4. nu. 15. Reginaldi in praxi tom. 2. lib. 28. cap. 9. num. 56. Bonac. de Sacram. diſp. 7. q. vnica punc. 3. num. 4. Nugnus. Suar. Filliuc. Pitigian. Coninch. Reginald. Bonac.

Aduerte tamẽ, quòd ſi Sacerdos omitteret prædicta verba, mortalitèr peccaret, quia faceret contra præceptum Ecclesiæ in re graui, vt notat Filliuc. loco citato.

Filliuc.

QVAERITVR decimoquintò, Vtrũ ob aliquã rationabilem cauſam poſſit Sacerdos vngendo celeritèr quinque organa ſenſus hanc vnicam formam adhibere. *Per iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam pijſsimam miſericordiam parcat tibi Deus quidquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum deliquiſti.*

Reſpondeo, ſi vel mors ita proxima immineret, vt rationabilitèr timeatur nõ eſſe tempus proferendi ſingulas partiales formas, vel ſi infirmus peſte eſſet infectus, vt periculum contagij vitetur, licitè poſſe Sacerdotem vti prędicta forma ſub hac conditione mente concepta, *Si validè Sacramentum fieri hoc modo poteſt*. Ratio eſt, quia videntur omnia eſſentialia concurrere, nimirùm vnctiones in ſingulis organis quinque ſenſuum, & forma ęquiualens in ſenſu, & in expreſſa ſignificatione alijs quinque partialibus. Adde, quòd ſic faciendo non fit iniuria Sacra-

men-

mento, dum ponitur conditio, & proximo poteſt eſſe valdè vtile. Fauent Suar.tom.4.in 3.partem diſp. 41. ſect. 3. à num. 6. Filliuc. tom. 1. tract. 3. cap. 5. num. 129. Victorel.de extrema vnctione §.de ſingulis vnctionibus. Zambran. de caſibus tempore mortis cap. 5. num. 9. Coninch. de Sacram. diſp. 19. dub. 3. & alij.

Suar.
Filliuc.
Victord.
Zambran.
Coninch.

Aduerte, ſi infirmus, cui hoc Sacramentum prædicta forma fuit adminiſtratum, & ſub conditione, *ſi valet*, quia timebatur, vt ille antea moreretur, ſi proferendæ fuiſſent omnes partiales formæ, aliquo tempore ſuperuiuat, eum iterùm ſub conditione, ſi nimirùm prædictum Sacramentum non fuit validè collatum, inungendum eſſe, vt hac via tutiori modo conſulatur ſaluti proximi iuxtà doctrinam, quam indicaui hoc lib. cap. 1. in fine quæſiti 50.

QVAERITVR decimoſextò, An Sacramentum extremæ vnctionis dari poſſit infantibus, aut amentibus.

Reſpondeo primò, infantibus vſu rationis carentibus, & perpetuò amentibus non eſſe adminiſtrandum Sacramentum

Digitized by Google

extremæ vnctionis. Eſt communis ſcholaſticorum ſententia, & patet, quia hi non ſunt capaces Sacramenti pænitentiæ, ergò neque huius, quod eſt conſumatiuum Sacramenti pænitentiæ, vt cõſtat ex Tridentino ſeſſ. 14. in principio. *Trid.*

Reſpondeo ſecundò, hoc Sacramentũ conferendum eſſe infantibus capacibus Sacramenti pænitentiæ, & ijs, qui antè lapſum in amentiam, vel phreneſim, deſiderium ſuſcipiendi hoc Sacramentum vel formalitèr indicarunt, illud petendo, vel virtualitèr, aut interpretatiuè, quia præbuerunt ſigna pænitentiæ, vel probabilitèr præſumitur, quòd ſint diſpoſiti; ſempèr autèm ita præſumendum eſt, niſi contrarium conſtet. Ita communitèr DD.

Vndè ſicut peccatori notorio non eſt conferendum hoc Sacramentum, niſi præmiſerit ſigna pænitentiæ, ita non eſt denegandum ei, qui loquelam amiſit, nec vllum ſignum exhibere potuit pænitentiæ, ſi conſtet illum more Chriſtiano vixiſſe, nam ſicut hic vult in Eccleſia Catholica viuere, & mori, ita vult etiam eius ſacramentis tempore debito iuuari;

quam

quam voluntatem Eccleſia præſumit de omnibus, qui ſigna pænitentiæ ſuo tempore exhibuerunt.

Aduerte, quandò adminiſtrandum eſt Sacramentum hoc amentibus, vel phreneticis, ſine periculo irreuerentiæ fieri debere, nam ſemper reuerentia Sacramenti præfertur.

QVAERITVR decimoſeptimò, Vtrũ extremæ vnctionis Sacramentum adminiſtrandum ſit puero grauiter laboranti, quandò dubitatur, an habeat vſum rationis.

Reſpondeo ſub conditione, *ſi eſt capax*, vngendum eſſe. Ratio, quia nullum eſt irreuerentiæ periculum appoſita conditione, & valdè proficuum eſſe poteſt tali puero in extremo vitę. Vide Io. Sancium in ſelectis diſp. 27. nu. 17. Sic etiam in caſu, quo dubitatur, an infirmus ſit viuus, vel mortuus, ei tùnc adminiſtrãdum erit ſub conditione, *ſi viuit*, ne ſacramentum conferat incapaci, qualis eſt qui deceſſit è ſtatu viatoris. *Io. Sanc.*

QVAERITVR decimooctauò, Vtrũ mulieri parturienti conferri poſſit Sacramentum extremæ vnctionis.

Reſpondeo, mulieri in actuali, & periculoſa ægritudine ob difficilem partum exiſtenti poſſe dari, ſecùs autèm dicendum, ſi verè non ægrotet, ſed tantùm conſuetis partus doloribus torqueatur. Ita communitèr DD. & ratio eſt, quia hoc Sacramentum eſt inſtitutum à Chriſto vt extremum, & vltimum remedium pro fidelibus periculosè ægrotantibus, vt conſtat ex Iacobi 5. & communi Eccleſiæ conſuetudine.

Iacob.

QVAERITVR decimononò, Vtrùm ſenio decumbentibus ſit conferendum Sacramentum extremæ vnctionis.

Reſpondeo affirmatiuè, ſi ſenio ingraueſcente periculosè decumbant, nam ſenectus ipſa eſt morbus; addito autèm periculo mortis, ſtatus adeſt, ob quem dari poteſt extrema vnctio. Nauar. cap. 22. num. 14. Suar. diſp. 42. ſect. 2. nù. 11.

Nau. Suar.

QVAERITVR vigeſimò, Vtrùm durante eadem infirmitate poſſit iterari Sacramentum extremæ vnctionis.

Reſpondeo primò negatiuè durante eodem ſtatu periculoſo morbi. Ratio, quia per vnicam collationem dicti Sacramenti ſufficiens medicina applicata eſt

 pro

pro obtinendo opportuno auxilio ſpirituali, & etiam corporis ſanitate, ſi ita expediet. Conueniunt DD.

Reſpondeo ſecundò, poſſe iterari Sacramentum, ſi durante eodem morbo iteratum etiam ſit periculum mortis, v. g. ægrotus de vita periclitans ſuſcepit extremam vnctionem, poſteà verò ita meliùs ſe habet, vt licèt non conualuerit, tamèn extra mortis periculum cenſeatur; rurſùs morbi vis ità intenditur, vt ille iterùm in mortis periculo conſtituatur, dico hunc iterùm poſſe vngi. Ratio eſt, quam ex D. Thoma aſſignat Suar. tom. 4. diſp. 40. ſect. 4. num. 6. in fine, quia hoc Sacramentum non reſpicit infirmitatem vt ſic, ſed infirmitatis ſtatum, & ideò non datur cuilibet infirmo, ſed in periculo mortis conſtituto; quotiès ergò hoc periculum iteratur, eſt ſufficiens cauſa iterandi etiam hoc Sacramentum, etiam ſi infirmitas non fuerit interrupta. Plures pro hac ſententia auctores affert Suar. cit. D. Tho. Suar.

QVAERITVR vigeſimo primò, Vtrũ infirmus grauitèr ægrotans, qui tamèn nullum peccatum actuale commiſit, vngendus ſit.

Satis communis ſententia affirmat hominem,qui nunquàm actualitèr peccauit, ſed potuit peccare, eſſe capacem Sacramenti extremæ vnctionis. Plures DD. pro hac parte affert; & ſequitur Suar. to. 4.diſp.42. ſect.2. cohærent Filliuc. tom. 1.tract.3. cap.5.num. 108. Bonac. de Sacram.diſp.7.q.vnica pun.5.num. 13. Villalobos in ſumma tom 1.tract.10. diff.4. num.7. & alij recentiores. Probatur primò, quia peccatum actuale non eſt materia proxima, aut remota huius Sacramẽti,ergò illo deficiẽte poterit dari. Secundò,quia infirmus in extremo vitę conſtitutus eſt capax gratiæ, quam confert hoc Sacramentum, per eam enim meliùs poteſt diſponi ad ingreſſum gloriæ.

Suar. *Filliuc.* *Bonac.* *Villalobos.*

Reſpondeo negatiuam ſententiam hac in re mihi magis placere, quã docet Nugnus in 3. partem tom. 2. qu. 32. diff. 2. Io. Sancius in Selectis diſp.27. nu. 28. Ducor primò, quia huic, qui nunquàm actualitèr peccauit, non poteſt verè applicari forma, *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti &c.* Ducor ſecundò, quia hoc Sacramentum eſt conſumatiuum Sacramenti pænitentiæ ex Trident. ſeſſ. 14.

Nugnus. *Io. Sanc.* *Trid.*

ergò

ergò ſicut qui nunquàm actualitèr peccauit, non eſt capax Sacramenti pænitentiæ, ità nequè huius. Ducor tertiò, qùia ſi eſt capax huius Sacramenti, qui nunquàm actualitèr peccauit, nulla videtur efficax ratio; cur non etiam ſit capax perpetuò amens, vel infans ante rationis vſum; dicere.n. quòd hi non potuerunt peccare ſicut ille infirmus, in caſu noſtro non ſatisfacit, quia hoc Sacramentum nõ datur ad tollendas reliquias potẽtiæ peccandi, ſed ad tollendas reliquias peccati; ſicut.n. potentia peccandi, quę non eſt reducta ad actum peccandi, non eſt aliquod malum neceſſariò expurgandum ab hoc Sacramento, ita nec aliquid relinquit, quod ab eodem ſit abſtergendum. Vide quid nomine reliquiarum peccati intelligatur apud Bellarm. lib. 1. de extrema vnctione cap. 8. ex his diluuntur rationes pro prima opinione, vt patebit conſideranti. *Bellarm.*

Collige adultum, qui in articulo mortis fuit baptizatus, ſi poſt ſuſceptionem baptiſmi mentis compos perſeuerãs, aliquo etiàm breui tempore ſuperuiuat, vngendum eſſe ſub conditione, ſcilicèt, *ſi peccauit*

cauit poſt baptiſmum;facilè.n.euenire potuit,vt venialitèr peccauerit,ſeptiès enim in die cadit iuſtus, iuxta autèm priorem opinionem, quę eſt probabilis, abſolutè poterit vngi. Puero autèm habenti vſum rationis,etſi aliquandò non poſſit conſtare,ab eo peculiare aliquod peccatū actuale fuiſſe admiſſum,hoc Sacramentum abſolutè conferri poterit, quia ſaltèm præſumitur in genere venialitèr peccaſſe, licèt ignota ſit ſpecies peccati venialis.

QVAERITVR vigeſimo ſecundò, Vtrùm Parochus peccet mortalitèr, ſi ſine rationabili cauſa multùm differat adminiſtrare hoc Sacramentum infirmo de vita periclitanti.

Reſpondeo Parochum,qui ita notabilitèr negligens ſit, vt exponat ſubditum periculo decedendi ex hac vita non munitū hoc Sacramento,peccare mortalitèr. Ratio eſt,quia Parochus ex officio,atquè adeò ex iuſtitia tenetur ſuis ſubditis ordinaria remedia ſalutis,& quę ſunt in ordinario vſu Eccleſiæ, præbere, quandò opportuno tempore requiruntur. *Nau.* Nauar. *Sot.* cap.24.num.131.Sot.diſt.1.q.5.art.6. propoſit.4.& alij, quos citat, & ſequitur

Suar.

Suar.tom.4. in tertiam partem, diſp.44. ſect.2.num.1. *Suar.*

QVAERITVR vigeſimo tertiò, Vtrũ deficiente Parocho, & vrgente periculo quilibet Sacerdos Regularis, aut ſæcularis poſſit adminiſtrare Sacramentum extremæ vnctionis.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, quia tùnc præſumitur adeſſe conſenſus, & licẽtia vel Parochi, vel Epiſcopi, vel ſummi Pontificis; ſicut enim non eſt rationi, & charitati conſentaneum, ita nequè credibile Eccleſiam velle priuare hominem in tanta neceſſitate conſtitutum hoc Sacramento, quo diſponitur homo ad introitum gloriæ, &, vt infra videbimus, aliquandò ex attrito poteſt fieri contritus, atquè adeò ſaluari. Ita multi DD. apud Suar.tom.4.diſp.44.ſect.2.nu.3. & to.5. *Suar.* de Cẽſuris diſp.22.ſect.4.Nauar. cap.17. *Nauar.* num. 101. Filliuc. tom.1. tract.3. cap. *Filliuc.* 5. numer. 90. & alij plures apud Bo- *Bonac.* nacinam de Sacram. diſp. 7. numer. 6. quibus adde Ludou. Mirandam in ſuo *Lud.Mir.* manuali Prælatorum q.49.a.1. Secluſa autèm neceſſitate, ſi regulares Sacerdotes adminiſtrant extremam vnctionem

ſæcu-

ſæcularibus ſine expreſſa proprij Parochi licentia, ipſo facto ſunt excõmunicati, cuius excõmunicationis abſolutio eſt Sedi Apoſtolicæ reſeruata. Ita habetur in Clementina 1. de priuilegijs.

QVAERITVR vigeſimoquartò, Vtrùm Parochus ſubdito ſuo peſte infecto teneatur adminiſtrare extremam vnctionem.

Reſpondeo, ſi talis infirmus fuit confeſſus, & recepit Euchariſtiam, Parochum cum aperto vitæ periculo non teneri eidem extrémam vnctionem adminiſtrare. Ratio, quia non eſt Sacramentum neceſſitatis, & alioqui ſufficientia remedia ſalutis per illa duo pænitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta fuerunt applicata. Pro hac parte eſt Suar.tom.4. diſp. 44.ſect.3.num.20. nihil tamẽn intentatum relinquere debet Parochus, vt illud ſine periculo adminiſtret.

Suar.

Dixi, *Si infirmus peccata per Sacramentalem confeſsionem expiauit, & Euchariſtico cibo fuit refectus*, nam ſi hæc Sacramenta non recepit, nec valeat recipere, quia verbi gratia non eſt mentis compos, nec aliquid deglutire poteſt, aut

ſolet

ſolet euomere, aut expuere, tùnc Parochus tenebitur, quia talis infirmus cenſetur in graui neceſſitate ſpirituali, cui ſubuenire ſpectat ad munus Parochi, poteſt enim eſſe, quòd prædictus infirmus ſit ſolum attritus, & virtute extremæ vnctionis fiat contritus, de qua re infra.

QVAERITVR vigeſimoquintò, Vtrùm liceat Sacerdoti tempore peſtis ad præcauendum contagij periculum nõ proprijs digitis, ſed virga oblonga oleo benedicto intincta infirmum vngere.

Reſpondeo affirmatiuè. Ità Suar. tom. 4. in 3. partem diſp. 44. num. 20. Chapeauilla de Sacramento extremæ vnctionis q. 34. & Franciſcus Syluius in 3. partem q. 32. a. 3. vbi inter alia monita ſeruanda, cum adminiſtratur extrema vnctio ęgroto peſte infecto, hæc habet. *Sacerdos vti poteſt virga oblonga, verè tamèn oleo tincta ſic, vt perficiatur vnctio, peracta autèm vnctione virgam huiuſmodi aut purgabit, ac in ſimilem vſum ſeruabit, ſi aurea vel argentea ſit propter reuerentiam Sacramenti, vel igne comburet, ſi ſit lignea.* hæc cit. Syluius. Placet hic referre, quæ habet Suarez cit. loco, vtpotè quoad *Suar.*

Suar. *Capeauil.* *Syluius.*

praxim

praxim valdè vtilia. *Tenentur Parochi prauenire periculum, ſi commodè poſſunt, & tentare remedia concernentia, vt illud ſine probabili periculo adminiſtrent, partìm anticipando collationem huius Sacramenti ſtatim in principio talis ægritudinis, priuſquàm multùm inficere poſsit, quia cũ hæc ægritudo ſit per ſe lethalis, & aliàs ſit adeò noxia, & contagioſa, non oportet aliquem eius terminum expectare vt hoc Sacramentum detur, ſed ſtatim à principio dari poteſt; partìm procurando vt in loco puro, & libero æger conſtituatur ſine veſtibus quoad fieri poſsit (ſeruata honeſtate) vt minus ſit contagij periculum; partìm vtendo virgula aliqua argentea oblongiori ad vngendum in diſtantiori loco; partìm adhibendo ea, quæ purè eſſentialia ſunt, & breuiſsima mora quoad fieri poteſt; deniquè ſumendo alia antidota, & præſeruatiua, quæ ad hoc conferre poſſunt.* Hæc Suarez.

QVAERITVR vigeſimoſextò, Vtrũ Sacramentum extremæ vnctionis poſsit ſimul à pluribus Sacerdotibus conferri eidem infirmo.

Reſpóndeo vrgente neceſſitate poſſe plures Sacerdotes ſimul vngere in diuerſis

ſis partibus, dummodò vnuſquiſque vngens proferat formam tali vnctioni debitam, v. g. vnus poteſt vngere aures proferendo hanc formam, *Per iſtam ſanctam vnctionem indulgeat tibi Deus quidquid per auditum deliquiſti*, alius poteſt eodem tempore vngere oculos dicendo, *Per iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam pijſſimā miſericordiā indulgeat tibi Deus quidquid per oculos deliquiſti*, & ſic procedendo in alijs organis ſenſuum, & vnctionibus. Ratio eſt, quia non eſt de ſubſtantia huius Sacramenti, vt illæ vnctiones ſucceſſiuè fiant, nec ab eodem miniſtro, cum hoc Sacramentum habeat plures partiales materias, & formas, quarum ſingulæ habent ſuam partialem ſignificationem per ordinem ad ſuum effectum, quamuis à pluribus proferantur. Ita communitèr DD. apud Suar. tom. 4. diſp. 43. ſect. 2. & Nugnum in 3. partem q. 31. a. 3. *Suar.* *Nugn.*

Dixi, *vrgente neceſſitate*, nam hac ſecluſa eſſet peccatum mortale, ſi contra communem praxim, & ritū adminiſtraretur hoc Sacramentum à pluribus Sacerdotibus.

Dixi, *dummodò vnuſquiſque vngens proferat formam tali vnctioni debitam*, nam ſi plures eſſent, & vnus vngat, alter verba proferat, Sacramentum non fieret. Ratio eſt, quia ſenſus verborum formæ, *Per iſtam ſanctam vnctionem*, non cadit ſuper alienam actionem, & ex verbis Iacobi, *Orent eum vngentes*, colligitur identitas perſonæ vngentis & orantis, ſcilicet formam per modum deprecationis proferentis.

Iacob.

Collige, ſi Sacerdos aliquam partem vnxit, & debitam cuilibet parti, & vnctioni formam protulit, morbo autèm, vel morte, vel alio impedimento præuentus non potuit omnes quinque vnctiones perficere, reliquas vngendas eſſe ab alio Sacerdote, qui proferre debet etiam formas correſpondentes.

QVAERITVR vigeſimoſeptimò, Vtrùm hoc Sacramentum aliquandò cóferat primam gratiam.

Reſpondeo Sacramētum extremæ vnctionis aliquandò facere hominem de attrito contritum, & infundere primam gratiam. Colligitur ex illis Iacobi verbis, *Si in peccatis ſit, remittentur ei*; quā-

Idem.

uis

uis enim nomine peccatorum poſſimus intelligere peccata venialia, poſſunt tamèn etiam intelligi peccata mortalia, præſertim cum nomine peccati ſimplicitèr, & abſolutè prolato communitèr peccatum mortale ſignificetur. Præterea idem ſatis apertè colligitur ex verbis formæ ipſius Sacramẽti extremæ vnctionis, *Indulgeat tibi Dominus quidquid peccaſti*, quibus verbis etiam comprehenditur peccatum mortale, vt patet, & cõueniunt DD.

QVAERITVR vigeſimo octauò, Vtrùm adultus mentis compos habens conſcientiam peccati mortalis, ſi ſuſcipiat hoc Sacramentum ſciens ſe ſolum eſſe attritum, & non præmittat Sacramẽtalem confeſſionem, fiat ex attrito contritus.

Affirmant nonnulli, inter quos eſt Filliuc. tom. 1. tract. 3. cap. 5. num. 132, vbi duplex (inquit) modus eſt huiuſmodi diſpoſitionem interpretandi. Primus ferè communis, vt ſcilicet habeatur ſaltèm attritio putata contritio, tunc enim fiet contritus per Sacramentum. Secundus, vt non adſit complacentia peccati, & cõ- *Filliuc.*

ſequentèr ſatis ſit attritio, quæ tamèn aliqua ratione Deum reſpiciat pro obiecto, ſupponitur enim hoc Sacramentum conferre primam gratiam ſæpè in ſubiecto: itèm non eſſe neceſſariam confeſſionem, vndè ſequitur ſatis eſſe, ſi non adſit prædicta complacentia.

Reſpondeo Sacramentum extremæ vnctionis non conferre primam gratiam ei, qui habens conſcientiam peccati mortalis, & cognoſcens ſe ſolum eſſe attritum, illud ſuſcipit. Ita Suar. tom. 4. in 3. partem diſp. 41. ſect. 1. num. 19. & alij, quos citat, & ſequitur Bonac. de Sacram. diſp. 7. q. vnica pun. 5. num. 2. Ratio eſt, quam affert Suar. quia hoc eſt Sacramentum viuorum, ideò ſupponit gratiam, nec ex directa intentione inſtitutum eſt ad conferendam primam gratiam, eſt ergò contra inſtitutionem huius Sacramēti, vt quis ſciens ſe eſſe ſpiritualitèr mortuum, ad illud accedat, quantumuis ſit attritus.

Suar.

Bonac.

Dixi, *cognoſcens ſe ſolum eſſe attritum*, nam ſi ſuſcipiens hoc Sacramentum bona fide putaret ſe eſſe contritum, licèt re vera non eſſet, reciperet primam gratiam

virtu-

virtute huius Sacramenti, ſic etiam qui inuincibilitèr exiſtimaret attritionem eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad dignè recipiendum hoc Sacramentum. Idem etiam dicendum iuxta Bellarm. lib. 1. de extrema vnctione cap. 8. ſi quis poſt confeſſionē, et cōmunionē in peccatū mortale incidit, & inuincibilitèr ignorat ſe eo peccato teneri, vel ſi cōfeſſionē & cōmunionē nō ritè peregit, & hoc inuincibilitèr ignoret. Demùm iuxtà communem ſententiam ex attrito fit contritus homo, qui vſum rationis amiſit in ſtatu, quo erat attritus, ſi ei hoc Sacramentum conferatur. *Bellarm.*

QVAERITVR vigeſimo nonò, Vtrū dari poſſit Sacramentum extremæ vnctionis informe, verbi gratia, ſi quis ſuſcipiens hoc Sacramentum putaret bona fide ſe eſſe contritum, & non eſſet nequè contritus, nequè attritus, quæritur an validum fuerit Sacramentum extremæ vnctionis illi collatum, & licèt non produxerit ſuum effectum tunc, an tamen illum producat recedente fictione per attritionem, vel contritionem.

Reſpondeo cum Suar. dicta diſp. 41. ſect. 1. num. 23. ſatis veriſimile eſſe hoc *Suar.*

Sacramentum aliquandò poſſe eſſe informe, & habere ſuum effectum recedente fictione per contritionem, vel attritionem, quamuis enim (inquit Suar.) hoc Sacramentum non imprimat characterem, nec ſit omninò initerabile, hæc tamẽ neceſſaria non ſunt ad habendum effectũ recedente fictione, vt multi Theologi docent de pænitentia, ſufficit enim vt Sacramentum hoc in eodem morbo, & in eodẽ ſtatu iterari nõ poſſit, vt expediat habere ſuum effectum recedente fictione, maximè ſi contingat Sacramentum hoc ſine attritione recipi, & poſtea durante eadẽ morbi vi contritionem haberi, non enim debet tùnc homo priuari ope huius Sacramenti, alioqui deberet illud iterùm recipere, cur enim priuaretur & Sacramento, & fructu Sacramenti, cum alioqui nullum videatur eſſe eſſentiale impedimentum ad tale Sacramentum iterandum? hæc Suarez, apud quem plura de hac re vide, & præſertim quæ habet num. 24.

Collige, quòd ſi alicui phrenetico fuit hoc Sacramentum collatum, qui quandò in phreneſim incidit, non erat verè attri-

tus,

tus, licèt à miniſtro huius Sacramenti probabilitèr præſumptus fuerit attritus, hic, ſi aliquo breui tempore fiat mentis compos, & eliciat actum contritionis, fructum ſuſceptæ extremæ vnctionis recipiet: idem probabilitèr dici poteſt, ſi conetur elicere actum contritionis, & re vera non eliciat niſi actum attritionis ſupernaturalis, ſuppoſito quòd nullum peccatum mortale admiſerit poſt ſuſceptam extremam vnctionem.

QVAERITVR trigeſimò, Quandò Sacramentum extremę vnctionis confert effectum ſuum gratiæ.

Reſpondeo, gratiam habitualem, ſeu ſanctificantem, & Sacramentalem, quam confert hoc Sacramentum, dari, quandò perficitur vltima vnctio cum ſua forma eſſentiali, quæ eſt quinta, iuxta ea, quę diximus ſupra. Fauet D. Tho. in 4. diſt. 23. q. 1. art. 2. q. 1. ad 3. quem ſequuntur communitèr alij. Ratio eſt, quia omnia Sacramenta, quæ conſiſtunt in vſu, ſuam gratiam conferunt, quandò eſſentialitèr perficiuntur, ergò idem dicendum de hoc Sacramento. *D. Tho.*

QVAERITVR trigeſimo primò,

Quid intelligitur per gratiam Sacramentalem Extremæ vnctionis.

Reſpondeo intelligi ipſam gratiam communem virtutum, & donorum, quatenùs includit peculiare auxilium Dei, ratione cuius illa eadem fit proximè cauſatiua peculiaris effectus, ad quem Sacramentum extremæ vnctionis ex diuina inſtitutione ordinatur; gratia ergò ſanctificans, quæ confertur in hoc Sacramento, habet annexa auxilia, quibus faciliùs tentationes in mortis agone vincuntur, hæc autèm auxilia non dantur ſempèr in vno certo inſtanti, ſed temporibus opportunis durante eodem periculoſo morbo.

Porrò de illo effectu, quem hoc Sacramentum præſtat ſubleuando infirmum à corporali ægritudine, à quodam mœrore, & ſanitatem etiam conferendo, ſi animæ ſaluti expedit, ſufficiant quę indicaui lib. 1. cap. 4. adnot. 28.

QVAERITVR trigeſimo ſecundò, Vtrùm tempore interdicti liceat adminiſtrare Sacramentum extremæ vnctionis.

Reſpondeo negatiuè, ſtando in iure communi, & nō vrgente peculiari neceſſitate. Probatur ex cap. quod in te de pę-

nit.

nit.& remiſſ. vbi habetur, quòd vnctio, & ſepultura tempore generalis interdicti omnibus denegatur, concedimus tamèn ex gratia, vt Clerici decedentes, qui tamẽ ſeruauerunt interdictum, in cæmeterio Eccleſiæ tumulentur. Sed in cap. Alma mater, nulla eſt facta mutatio circa vnctionem extremam, ergò remanet in diſpoſitione iuris antiqui, & ita Syluest. V. interdictum 5.q.7.in principio, Angelus eodem V.num.25.& alij communitèr. *Syluest.* *Angel.*

Dixi, *ſtando in iure communi*, quia Religioſi mendicantes habent priuilegium recipiendi extremæ vnctionis Sacramentum, vt patet ex compendio Minorum verbo Vnctio, quo priuilegio etiam noſtra Religio Cler. Reg. Miniſtrãtium Infirmis fruitur, vt patet ex Bulla Greg. XIV. quæ incipit. *Illius qui pro gregis &c.* *Bulla Greg. XIV.*

Dixi, *non vrgente peculiari neceſsitate*, nam moribundo, qui ſenſibus deſtitutus Sacramenta pænitentiæ, aut Euchariſtiæ nec recepit, nec valet recipere, Sacramentum extremę vnctionis poterit illi cõferri. Suffragatur nobis Zambran. de caſibus tempore mortis cap.5.dub.7.num.5. & ante illum Palud. quem citat, & ſequitur *Zambran.* *Palud.*

tur

Henriq. tur Henriquez lib. 3. cap. 10. in gloſſa in litt. F.& G. Ratio eſt, quia tùnc probabilitèr præſumitur conſenſus Pontificis, cũ Sacramentum extremæ vnctionis poſſit per accidens eſſe medium neceſſarium, vt potè habens virtutem faciendi hominem ex attrito contritum, vt diximus ſupra. Vndè, ſi talis infirmus fortè ſit tantùm attritus, virtute talis Sacramenti recipiet gratiam ſanctificantem, & ſaluabitur.

QVAERITVR trigeſimo tertiò, Vtrùm aliquo præcepto teneatur infirmus periculosè ægrotans ſuſcipere hoc Sacramentum.

Reſpondeo negatiuè, nullibi enim tale præceptum inuenitur. Ita communitèr DD. apud Suar. dicta diſp. 44. ſect. 1. & Suar. ratio eſt, quia non eſt Sacramentum neceſſitatis; quarè ſecluſo ſcandalo, & contẽptu non peccat mortalitèr, qui ex quadam negligentia, vel quia non credit ſe periculosè laborare, non ſuſcipit hoc Sacramentum.

Ritus autèm, & ceremoniæ in adminiſtratione Sacramenti extremæ vnctionis ſeruandæ ſunt iuxta Rituale Romanum, conſuetudinem, & leges, ſeu decreta Epiſcopo-

ſcoporum, quæ quia ſatis nota eſſe omnibus ſupponimus,ad quos ſpectat hoc Sacramentum conferre, non eſt neceſſe de his agere.Qui vult,videat Suarez tom.4. *Suar.* in 3.partem diſp.44. ſect.2. Bonac. *Bonac.* de Sacram. diſp.7. puncto 6. à num. 6. vſquè ad 9. incluſiuè, & Filliuc. *Filliuc.* tom.1. tract. 3. cap.5.num. 334.

CAPVT SEXTVM.

In quo deciduntur aliqui caſus circa ea, ad quæ tenentur, vel non tenentur aliquando infirmi, & morientes.

QVAERITVR primò, An infirmus morti proximus, qui iã confeſſus eſt cum attritione cognita, teneatur elicere actum contritionis omnium peccatorum, quæ toto vitæ decurſu admiſit, vel actum dilectionis Dei ſuper omnia.

Quidam exiſtimant infirmum morti proximum qui iam confeſſus eſt cum attritione cognita, non teneri ex charitate propria elicere actum contritionis. Ita Beccanus de Sacram. cap. 35. nu. 3. Fagũdez de præceptis 2. lib. 2. cap. 4. num. 13. Layman in Theolog. morali lib. 4. tract. 6. cap. 2. num. 6. Faber de pænit. in 4. ſent. diſt. 14. q. 2. diſp. 18. cap. 3. nu. 71. Azor. tom. 1. lib. 9. cap. 4. q. 1. Ratio præcipua eſt, quia homo ex charitate propria non tenetur eligere pro ſalute niſi ea media, quæ ad ſalutem ab Eccleſia proponuntur neceſ-

Beccan. *Fagundez.* *Layman* *Faber* *Azor.*

neceſſaria, ſed ad ſalutem, & gratiam ſanctificantem à Deo obtinendam Eccleſia ſatis apertè docere videtur in Tridēt. ſufficere attritionem cum ſuſceptione Sacramenti pænitentiæ, ergò &c. Trid.

Suarez tom. 4. in 3. partem diſp. 15. Suar. ſect. 4. num. 19. dicit ex vi iuſtitiæ, vel pænitentiæ non teneri ad perfectiorem pænitentiam agendam, quia hoc ipſo; quòd confeſſus cum attritione cognita; operatus eſt iuxta opinionem probabilē, & practicè tutam. Addit tamèn huiuſmodi hominem, tàm ex charitate Dei; quàm propria teneri maiorem diſpoſitionem procurare ad æternam ſalutem conſequendam, grauiterquè peccare, ſi volūtariè ita ſe mori ſinat; & paulò poſt, hæc ſubnectit. *Si ergò ille homo in tali ſtatu, & articulo conſtitutus Deum ſic diligere conetur, non credo obligari ad aliam contritionem, certum enim eſt neminem damnari, qui Deum ſuper omnia diligit, & maximè poſt acceptum Sacramentum pænitentiæ cū attritione.* Fauent huic opinioni Nugnus Nugn. in 3. partem tom. 2. q. 3. art. 4. dub. 4. Valēt. 2. 2. diſp. 3. q. 19. p. 1. caſu 7. Coninch. Valent. Coninch. de fide, ſpe, & charitate diſp. 24. dub. 3.

num. 51.

Zambran. num.51. Zambran. de caſibus occurrentibus tempore mortis cap. 4 dub 1. num. 24. eandem opinionem probabilem putat Leſſ. lib. 3. cap. 1. de fortitudine dub. 4. ſub num. 43. Præterea, cum mors ſit omnium terribilium terribiliſſimum, ac proindè valdè perturbet animum, & nõnulli, qui ad huiuſmodi articulum acceſſerũt teſtentur ſe vix quidquam cogitare potuiſſe niſi de ſanitate corporis, aut aliquo ſimili, difficile videtur, quòd præceptũ aliquod commune tùnc habeat vim, quãdò communitèr homines inepti maximè ſunt ad illud exequendum; ex qua ratione vniuerſalitèr etiam inferri poteſt, non magis obligari hominem in illo articulo ad ſequendam tutiorem partem, quàm ad minùs tutam, probabilem tamèn. Hæc opinio tùm ob auctoritatem DD. tùm ob rationes adductas non caret probabilitate.

Leſſ.

Reſpondeo primò, per ſe loquendo probabilius eſſe prędictum infirmum debere conari, vt actũm contritionis, vel dilectionis Dei ſuper omnia eliciat, ad idquè teneri ex charitate propria, quà vnuſquiſque adſtringitur, dum de ſalute ęter-

te æterna irrecuperabilitèr perdẽda agitur, quantum fieri poteſt, cautè procedere. Pro hac parte ſunt Suar. Coninch. & alij ſecundo loco citati. Probatur primò, quia etſi probabiliſſimum, & practicè ſatis certum ſit, ad effectum Sacramẽti pænitentiæ ſufficere attritionem, tamẽ nullus ſatis certus eſſe poteſt ſe habere veram attritionem; quarè prædictus infirmus in articulo mortis conſtitutus, quandò agitur de ſumma rerum, ſcilicèt de ſalute æterna irreparabilitèr amittenda, ſi ita tepidè ſe gerit, vt ſciens velit ſolũ atteri, nec conetur elicere verũ actũ charitatis, vel contritionis, alicui morali periculo ſe exponit non habendi veram attritionem, ergò ex charitate propria, qua debet ſuam ſalutem diligere, tenetur ad tale periculum vitandum, procurando elicere actum charitatis, vel dilectionis Dei ſuper omnia. Probatur ſecundò, quia tenetur homo ex charitate propria tempore mortis peculiari modo ſe munire contra tentationes dæmonum, quæ tùnc vehementiores ſunt, nàm ſi tùnc ſuperatur, æternùm peribit, ergò ſi homo tepidè tunc ſe gerat, nihilquè

Suar. Coninch.

cone-

conetur per contritionis, vel charitatis actus ſe contra grauiſſima furentium dæmonum certamina parare, non adimplet id, ad quod ex charitate propria tenetur, & grauiſſimo damnationis æternæ periculo ſe exponit, omittit enim ex negligentia actus vtiliſſimos ad impetrandam diuinam gratiam ſibi tùnc maximè neceſſariam. Antecedens patet, quia charitas propria, quò pericula ſunt grauiora damnationis æternæ, eò magis obligat ad illa præcauenda; et licèt poſſit homo alijs remedijs aduersùs tẽtationes ſe cõmunire, vt oratione, inuocãdo diuinã opẽ, & incumbendo in ea virtutis opera, contra quam tentationes infeſtant, nihilominùs tenetur etiam nõ omittere actum dilectionis Dei, vt viam quantum poteſt ſecuriſſimam eligat.

Reſpondeo ſecundò, per ſe loquendo ſatis probabile videri in prædicto caſu, quòd teneatur huiuſmodi infirmus etiam ex vi præcepti diuini, quo omnibus iniungitur amor erga Deum, vel actum dilectionis Dei elicere, vel ſaltèm conari diligere Deum. Ratio eſt, quam affert, Suarez, quia cum hoc præceptum obli- *Suar.*
get,

get,non ſolum ſemèl, ſed etiam ſæpiùs in vita,ergò obligabit eo tempore,quo breui vita finienda eſt, quia tùnc homo peculiari nixu contendere debet, vt perfectiſſimè ſe Deo ſuo vniat, quod fit per actus charitatis. Prætereà,poſtquàm homo priorem dilectionem per ſubſequens peccatum mortale virtualitèr retractauit, tenetur denuò illum diligere, ſaltèm antequàm è vita decedat. Confirmatur, quia in extremo vitæ ſæpè machinante dæmone infeſtāt acerrimè infirmum graues odij Dei tentationes , & periculum adeſt illis ſuccumbendi,ergò debet homo ſe munire eliciendo actus amoris Dei, vt illas ſuperet.

Dixi in vtroque reſponſo, *per ſe*, quia per accidens ſæpiſſimè contingere poteſt, vt homo morti proximus, qui cum ſola attritione confeſſus eſt,excuſetur à tranſgreſſione prædicti præcepti obligantis ad eliciendum actum contritionis, vel dilectionis. Primò,ſi bona fide putat ſe fuiſſe contritum, quandò confeſſus eſt, etiam ſi ſolùm re vera eſſet attritus. Secundò,ſi à vehementia morbi ita fuit diſtractus, vt nihil cogitarit de obligatione contritio-

nis,vel dilectionis Dei. Tertiò,ſi adeò celeri morte occubuit, vt non potuerit animaduertere ſe obligari ad eliciẽdum actũ contritionis,vel dilectionis Dei. Quartò, ſi ex inuincibili ignorantia prędictę obligationis omittat prędictos actus. Quintò ſi poſt confeſſionem factam cum ſola attritione cognita conatus eſt prædictos actus elicere,& putauit ſe elicuiſſe, re tamèn vera non elicuit. Demùm,ſi contrariam opinionem negantem adeſſe huiuſmodi obligationem, quæ eſt probabilis, ſequatur.

Verùm in prædictis caſibus non poſſumus, (vt benè aduertit Suar.) maiori cum certitudine tali homini ſalutẽ promittere,quàm ſit certa opinio illa,quæ aſſerit Sacramentum cum ſola attritione cognita iuſtificare, & quàm ſit certum in illo Sacramento cõficiendo nullum ſubſtantiale impedimentũ interueniſſe, & ſi Euchariſtiã talis homo ſuſcepit perſiſtẽdo in eadẽ diſpoſitione, nullũ aliũ nouũ certitudinis gradũ de ſua ſalute aſſequitř, quàm eũ,quẽ affert opinio àffirmans Euchariſtiã cõferre gratiam peccatori illam ſumenti cũ attritione ſupernaturali pec-

Suar.

cato-

catorum, & cum prudenti exiſtimatione, quòd ſit in gratia, quæ opinio licèt ſit ſatis communis, & valdè probabilis, eamquè ſempèr ego tenuerim, nihilominùs non eſt certa, & contrariam tuentur grauiſſimi Theologi, quos citat, & ſequitur Vaſquez in 3. partem diſp. 205. cap. 4. & 5. Si verò prædictus homo etiàm Sacramentum extremæ vnctionis non variata prædicta diſpoſitione recepit, eum inſuper gradum certitudinis de ſua ſalute acquiſiuit, quem habet communis opinio aſſerens, quòd hoc Sacramentum confert gratiam remiſſiuam peccatorum homini illud ſuſcipienti, & non ponenti obicem. *Vaſquez.*

Ex dictis patet ad argumentum, cui principalitèr innititur prima opinio adducta à principio, non enim ex eo, quòd Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. doceat attritionem diſponere ad gratiam Dei in Sacramento Pænitentiæ impetrandam, poſſumus inferre, quòd homo proximus morti ad nihil aliud teneatur ex charitate Dei, vel propria. Nec opinio Suarij, vt volunt recentiores quidā, inijcit laqueos conſcientijs in re graui ad ſalutem neceſſaria, nec adducit in dubium hominem de *Trid.* *Suar.*

ſalute propria, ſed potiùs ſecuram reddit viam ſalutis, dum auertit hominem à periculo damnationis, cui ex negligentia poteſt ſe exponere, nec obligat hominem ad habendum verum actum contritionis, vel dilectionis Dei ſuper omnia, ſed tantùm ad faciendum, quod in ſe eſt, & conandum ad eliciendum actum contritionis, vel dilectionis Dei, etiam ſi re vera non eliciat.

Quoad praxim autèm regularitèr loquendo conſultò aget, qui adſtat moribundo, ſi nihil expreſsè de tali obligatione loquatur, ne fortè infirmus, qui aliàs de tali obligatione nihil audiuit, ex repẽtina illa cognitione ſcrupulis turbetur, ſed ſatis erit illum varijs alijs motiuis allicere ad actus contritionis, vel dilectionis Dei, de qua re vide quæ ſupra dixi lib. 1. cap. 3. adnot. 20. & 21.

Dixi, *regularitèr loquendo*, quia aliquãdò etiàm expediet inculcare infirmo huiuſmodi obligationem, ſi prudentia dictauerit hoc eſſe neceſſarium ad excitandum illum à nimia ſocordia, & negligentia procurandæ ſuæ ſalutis.

QVAERITVR ſecundò, Vtrùm infirmus

mus morti proximus teneatur non ſolùm ex corde remittere offenſam ei, à quo fuit læſus, ſed etiàm id externo aliquo ſigno oſtendere.

Reſpondeo affirmatiuè, ſi offenſor petat veniam. Ratio eſt, quia etſi non teneamur communitèr inimicis ſingularia ſigna beneuolentiæ oſtendere, tenemur tamèn ſępèr ad id eſſe parati, idquè opere complere, quotiès vel neceſſitas, vel ratio exigit, ſed quotiès offenſor petit veniam, ratio poſtulat, vt illi ignoſcamus, idquè ſigno aliquo externo declaremus, huius autèm omiſſio erit euidens ſignum odij, & alterum ad odium prouocaret, ergò ad id tenemur. maior eſt D. Tho. 2.2. q.25. art.9. quem communitèr ſequuntur alij, Ricardus in 3. diſt.30. q.1. ar.2. Valent. 2.2. ad 3. q.3. puncto 2. maior quoad primam partem patet, quia ſufficientèr diligimus inimicos, ſi parati ſumus in opportunitatibus ſigna amoris illis exhibere, nequè enim plùs inimicos, quàm alios diligere tenemur, ſed alijs non tenemur ſempèr oſtendere peculiaria ſigna beneuolentiæ, ergò nec inimicis. quòad ſecundam verò partem, etiam conſtat, quia tenemur D. Tho. Ricard. Valent.

nemur diligere inimicum non verbo, & lingua ſolùm, ſed opere, & veritate, vt do-
10. cet S. Io. Epiſt. 1. cap. 3. ergò ex vi huius præcepti tenemur eſſe parati ſigna amoris externa præbere, quotiès neceſſitas, vel recta ratio dictat.

QVAERITVR tertiò, An Princeps, vel Superior infirmus periculosè laborans teneatur ſubdito ſuo, à quo fuit grauitèr offenſus, ſi hic veniam petat, amoris ſigna oſtendere.

Reſpondeo affirmatiuè, nam licèt aliquandò illa oſtenſio perſeuerantis animi offenſi poſſit eſſe ſignum non tàm odij erga ſubditum, quàm amoris iuſtitiæ, & vt ſubditus hinc diſcat magis perpendere grauitatem culpæ, & maiori ſtudio eam in poſterùm euitare, nihilominùs ſi in extremo vitæ Princeps, vel alius Superior non oſtendat ſigna amoris ſubdito veniam petenti, hic exaſperaretur, & facilè cogitare poſſet Principem, vel Superiorē ex aliqua animi auerſione, vel odio ita ſe gerere, non autèm ex deſiderio inducendi ad emendationem. & hoc idem facilè alij animo concipient; tùm quia ſubditus videtur ſufficientia ſigna emendationis prę-

bere,

Digitized by Google

bere.dum ſubmiſsè veniam petit, nec videtur tùnc tempus congruum, vt Superior tali rigore maiorem ſubditi quærat emendationem; tùm quia nulla alia occaſio erit, qua Superior poterit talia ſigna amoris exhibere ſubdito.

QVAERITVR quartò, Vtrùm infirmus, qui iniuſtè fuit vulneratus, teneatur reparationem damni remittere.

Reſpondeo teneri quidèm offenſam remittere, ſed poſſe damni compenſationem exigere. Ratio eſt, quia iuſtitia poſtulat, vt vnicuique ius ſuum ſeruetur, & damnum iniuſtè illatum à damnificante reſarciatur.

QVAERITVR quintò, Vtrùm infirmus pro acceptis iniurijs poſſit exigere ſatisfactionem.

De reparatione damni dictum eſt prędenti quæſito, hìc tantùm in quæſtionem vocatur, vtrùm læſus ſatisfactionem pro iniuria, quam ſine damno in bonis fortunæ paſſus eſt, poſſit exigere, an verò teneatur remittere.

Reſpondeo, licèt non ſit peccatum per legitimam poteſtatem requirere ab eo, qui iniuriam intulit, prædictam ſatisfa-

ctionem, modò id fiat non animo vindictæ, nec ſatisfactio valdè difficilis exigatur, tamèn conſulendum eſt huic infirmo, vt illam remittat, ſi hæc remiſſio in nullius damnum cadat, eſt enim opus charitatis Deo gratiſſimum,& maximè conueniens Chriſtianæ Religionis profeſſori. Fauet locus ille Matth. 18. vbi punitur ſeruus, qui conſeruo noluit remittere debitum.

Matth.

Dixi, *ſi hac remiſſio non cadat in alicuius damnum*, nam ſi agatur v. g. de reſtitutione famæ, quæ neceſſaria eſt Prælato, vt benè poſſit fungi munere ſuo, ille non poterit condonare huiuſmodi famæ reſtitutionem.

QVAERITVR ſextò, Vtrùm Titius infirmus teneatur veniam petere à Petro, cui iniuriam intulit,& ipſe ab eodem Petro iniuria fuit affectus.

Reſpondeo, ſi Titius primò offendit, cæteris paribus teneri: ſi verò fuit primus offenſor Petrus, eum paritèr teneri; at ſi non agatur de pari iniuria, dico eum teneri primò veniam petere, qui grauiorem iniuriam irrogauit. Ita Nauar. cap. 14. num. 25.

Nauar.

QVAE-

QVAERITVR ſeptimò, Vtrùm peccet mortalitèr infirmus, qui renuit ſatisfacere pro iniuria, quam alicui intulit, ſi hic omninò id exigat.

Reſpondeo affirmatiuè, quia cum offenſus nolit remittere ſatisfactionem, tenetur, qui iniuriam intulit, pro illa ſatisfacere. Ita Syluest. V. iniuria q. 3. hoc tamèn intellige, dummodò non eſſet valdè difficilis, vt potè coniuncta cum aliquo nimis rigido, vel infami ſubmiſſionis modo, tùnc enim niſi ſententia Iudicis cogat, non tenetur homo ſpontè ſubire adeò graue onus. *Syluest.*

QVAERITVR octauò, Vtrùm decũbens lethalitèr, & iniuſtè ab aliquo vulneratus licitè poſſit inſtare, vt Iudex pęnam legibus ſtatutam vulneranti infligat.

Reſpondeo primò affirmatiuè, ſi vulneratus petat huiuſmodi punitionem à iudice non ex motiuo vindictæ, ſed ex deſiderio iuſtitiæ, ne in damnum reipublicæ grauia ſcelera remaneant impunita. Ratio eſt, ſicut reſpublica habet ius, vt delictorum patratores puniantur, ideoquè hoc munus iudicibus iniungit, ſic etiàm quilibet ciuis, quatenùs eſt pars reipubli-

cæ, id iuſtè exigit ob commune bonum, cui conſulitur, dum facinoroſi iuſtè plectuntur, ſic enim alij à committendis homicidijs, alijſquè iniuſtitijs deterrentur, & hæc eſt ſatis communis opinio, vt notat Lorca 2. 2. ſect. 3. diſp. 25. nu. 3.

Lorca

Reſpondeo ſecundò, ſuadendum eſſe ſæpè huiuſmodi lęſis, vt deſiſtant ab exigenda punitione, quamùis poſſint eam iuſtè petere, quia periculoſa eſt huiuſmodi exactio. rarò enim fit ſecluſo odio, & omni vindictæ cupiditate. Ita Lorca cit. & alij.

Idem

Dixi, *ſæpè ſuadendum eſſe*, quià aliquandò expedit non retrahere læſum ab exigenda punitione iuſta, quādò hic proteſtatur ſe id facere non deſiderio vindictę, ſed zelo iuſtitiæ, & vt bono communi proſpiciat, cui valdè nociuum eſt, vt homicidia præſertim non puniantur, ex illis enim non ſolùm vita corporalis, ſed etiā ſæpè ſpiritualis irreparabilitèr perditur, rarò enim contingit, vt qui de repentè occiditur, ſit benè diſpoſitus, & in ſtatu gratiæ: ſi autèm læſus deſiſtat ab exigenda punitione, aut eam ex parte ſua remittat, facilis paratur liberatio rei, atquè

què ita impunitatis ſpes fouetur, quę valdè obeſt bono cõmuni, cum illa freti faciliùs homines flagitia committant.

QVAERITVR nonò, Vtrùm mulier periculosè ægrotans poſſit ſumere pharmacum, vel aliud remedium adhibere, ex quo ſecuturus ſit aborſus, ſi probabilitèr iudicetur fœtus nondùm animatus.

Variæ ſunt auctorum opiniones circa tempus, quo fœtus animatur. Aliqui putant cum Ariſt. 5. animal. cap. 5. & 9. maſculum animari 40. die, feminam verò 80. Alij cum Hippocrate de natura fœtus putant maſculinum fœtum animari quandoquè die 30. aliquandò die 35. aliquandò 40. aliquandò 45. femininum verò aliquandò 35. aliquãdò 40. aliquãdò 45. aliquandò 50. Vide, ſi placet, Fernelium in libro de hominis procreatione, Plutarchum lib. 5. de placitis cap. 25. mihi verò prima opinio placet, quia in antiqua lege femina à die partus maſculini domi ſe cõtinebat 40. diebus, à die autèm feminini partùs 80. & prædicto tempore illi erat interdictus ingreſſus in tẽplum. Hunc verò dierum numerum ſacrarum paginarum expoſitores docent

Ariſt.

Hippocr.

Fernel.

Plutarc.

corre-

correſpondere tempori, quo fœtus in vtero animatur. Confirmatur, quia in rebus dubijs debemus potiùs adhærere coniecturæ deſumptæ ex Sacra ſcriptura, quàm alicui humano teſtimonio.

Suppono eſſe aliqua pharmaca & remedia, quæ primariò vim habent expellendi fœtum; alia verò, quæ primariò tẽdunt ad curationem matris, licèt ex illis aborſus ſoleat ſequi, vt eſt venæ ſectio, & purgantia medicamenta, de qua re videri poſſunt, quę habet Io. Baptiſta Siluaticus in ſuis medicis controuerſijs, controuerſia 83.84.& 85. hoc ſuppoſito.

Siluaticus

Reſpondeo, ſi fœtus nondùm ſit animatus, poteſt mulier prægnans, cuius vita periclitatur, ſi nullum aliud illi ſuppetit medium ad ſuam ſanitatem recuperandam, ſumere pharmacum, vel vti remedio directè curatiuo infirmitatis ſuæ, intentione ſanitatis acquirendæ, licèt pręuideatur ſecuturus aborſus. Ita Bãnes 2.2.q.64.a.7. Vaſquez 1.2.diſp.115. cap.3 Leſſ.lib.2.cap.9.dub.10. Turrian. de iuſt. & iure diſp.26.dub.2.numer.42. Probatur, quia prædicta femina vtitur iure ſuo, quod habet conſeruandi vitam

Bannes
Vaſq.
Leſſ.
Turrian.

appli-

applicãdo remedium directè curatiuum, & abortio, cum non ſit intenta, per accidens ſequitur. Sanchez lib. 9. de matrim. diſp. 20. num. 9. abſolutè, & ſine alia diſtinctione de remedio directè curatiuo matris probabilius exiſtimat, vbi aliud remedium non ſuppetit ad ipſius prægnãtis ſanitatem reſtaurandam, ac probabilitèr ſit moritura, niſi abortiatur, & probabilitèr conſtat fœtum non eſſe animatum, licere in tali caſu procurare aborsũ, & rationem ſubdit, quia cum illud verè non ſit homicidium, & fœtus ille ſit pars viſcerum nondùm anima rationali informatus, non eſt quòd conſeruandus ſit tãto vitæ maternæ diſcrimine imminenti, eò vel maximè, quòd matre pereunte fœtus minimè animabitur, & plures DD. affert pro ſua ſentẽtia, quæ confirmari poteſt, quia ſi ratione puerperij mulieris vita periclitaretur, fœtus ille inanimis videtur habere rationem aggreſſoris, ergò mulier poteſt directè intendendo defenſionem ſuæ vitæ illum medicamento, aut alio remedio à ſe expellere; non enim dicetur tunc directè velle aborſum fœtus inanimis, quod nunquàm licet, ſed per acci- *Sanch.*

accidens, & indirectè, nam primaria intentione ſuæ vitæ defenſionem vult.

QVAERITVR decimò, Vtrùm mulier vterũ geſtans,& periculosè ęgrotans poſſit pharmaco, vel alio remedio vti ad ſalutem recuperandam idoneo, cũ periculo vel euidenti, vel probabili aborſus, ſi probabilitèr conſtet fœtum eſſe animatum.

Reſpondeo primò negatiuè, ſi ſit valdè probabilis ſpes fore, vt matre à tali medicamento, vel pharmaco abſtinente fœtus viuus emittatur. Eſt contra Cor-

Corduba Arrag. dubam 1.quæſtionarij q.38.lib.2.contra Arrag. 2.2.q.64.a.7. Probatur, quia charitas præcipit, vt vnuſquiſque potiùs conſulat extremæ neceſſitati ſpirituali proximi, quàm vitę corporali propriæ,

1.Io ex 1.Io.3. *In hoc cognoſcimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam poſuit pro nobis,& nos debemus pro fratribus animas ponere*, ſed hæc obligatio potior eſt in matre reſpectu filij, ergò hæc tenetur cũ euidenti periculo vitæ corporalis propriæ abſtinere à prædictis remedijs, vt conſulat proli in extrema neceſſitate ſpirituali exiſtenti, nam ſi mater ſic abſti-

net,

net, ſpes eſt, vt proles in lucem prodeat, & Sacro baptiſmatis fonte abluatur. Ita ſentiunt Leſſ.cit.dub.nu.63.cum D. Antonino, Nauar. & alijs apud Sanchez dicta diſp.20.num.27. *Leſſ. D. Anton. Nau. Sanch.*

Collige contrariam Cordubę opinionem non eſſe probabilem, quidquid dicat Turr.cit.ſub num.34. quia illa euidẽti ratione ex obligatione charitatis adducta diluitur. *Turrian.*

Reſpondeo ſecundò, licere mulieri prægnanti adhibere medicamentum, vel remedium primariò ordinatum ad ſanitatem reſtaurandam etiam cum periculo euidenti aborſus fœtus animati, quotiès probabile eſt non adhibito tali remedio matrem, & fœtum moriturum, eo autèm adhibito ſaltèm matrẽ poſſe ſeruari. Patet, quia tùnc mater ſalutem ſuam principalitèr intendit, & per accidens eſt, quòd ſequatur tunc aborſus, de cætero autèm charitas non obligat, quia nulla eſt ſpes, vt fœtùs viuus emittatur, & baptizetur.

Reſpondeo tertiò, licere mulieri grauidæ, & ægrotanti prædictis remedijs ſanatiuis vti, ſi exigua, vel dubia ſit ſpes, vt iſta abſtinente ab illis partus viuus

edatur

cdatur. Probatur, quia quandò eſt dubia, vel exigua ſpes ſubleuandi neceſſitatem extremam ſpiritualem proximi, non obligat tùnc charitas ponere vitam corporalem, quia alioquin charitatis pręceptum videretur nimis arduum, & non ſatis conſentaneum humanæ imbecillitati. Vide Coninch. de charitate diſp. 25. dub. 7.

Coninch.

Aduerte nunquàm licere applicare remedia, quæ directè ad fœtus occiſionem tendunt, vt venenum, dilaceratio, percuſſio &c. nam qui hæc adhibet, vel applicat, directè cooperatur interfectioni innocentis, quod eſt intrinſecè malum.

QVAERITVR vndecimò, Vtrùm infirmus, cuius ſalus corporalis deſperata eſt, poſſit licitè vti remedio, de quo dubitatur an ſalutare, an noxium futurum ſit.

Pro parte negatiua videtur eſſe, quia ſi abſtineat infirmus à tali remedio, & moriatur, mors violentiæ morbi tantùm tribuitur: ſi verò adhibeat tale remediū, applicat cauſam, à qua vita poteſt priuari, ſic videtur concurrere ad ſui necem, & ſi de facto moriatur ob tale remedium,

vide-

videtur ſe ipſum interfeciſſe. Quarè in ſimili caſu non licere medico applicare huiuſmodi remedium tradunt Azor. lib. 2. inſtit. moral. cap. 17. q. 11. Salas 1.2.q. 21. tract. 8. diſp. vnica ſect. 14. num. 136. Vaſquez 1.2.q.19. art. 6. diſp. 64. cap. 4. num. 22. Angelus v. Medicus num. 2. & alij. *Azor.* *Salas* *Vaſquez* *Angel.*

Reſpondeo infirmum, cuius vita deſperata eſt, poſſe licitè vti remedio dubio, ſi aliud certius nō ſuppetit. Ratio eſt, quia ſine tali remedio iam nulla eſt ſpes vitæ, eo autem adhibito aliqua eſt ſpes recuperandæ ſanitatis, ergò prudentèr ſe gerit infirmus in conſulendo ſibi, dum experiri vult tale remediū, ſine quo mors certa imminet, eo autèm adhibito pullulat ſpes vitę licèt dubia: quarè licèt mors ſubſequatur, præter eius intentionem eſt.

Confirmatur, quia nimis durum eſſet, & contra naturalem hominis conditionem eum adſtringere, vt non ſibi ſatisfaciat in vſu remediorum, ex quibus maius bonum ſperatur, quàm damnum timeatur, nā ad ſummùm damnum, quod euenire poterit, erit acceleratio mortis per accidens, & præter intentionem, nam

etiàm ſecluſa applicatione talis remedij certò talis infirmus à violentia morbi vita priuandus erat, vt ſuppono, bonum autèm ſperatum eſt vita. Quarè in dicto caſu poterit etiam medicus applicare huiuſmodi remedium, vt cum Valent. & alijs tenet Sanchez tom. 1. de præceptis lib. 1. cap. 9. num. 39. & hoc idem docuerat lib. 9. de matrim. diſp. 20. num. 19.

Valent. *Sanchez.*

Ex dictis patet ad rationem pro parte negatiua, non enim prędictus infirmus cooperatur ad ſui occiſionem, ſed tantùm per accidens, & indirectè ex rationabili cauſa, quod licet.

QVAERITVR duodecimò, Vtrū infirmus teneatur permittere ſibi tibiā, vel manum, aut aliud membrum ſecari, ſi talem ſectionem ad euitandam mortem, quam cancer, vel aliud morbi genus molitur, medici iudicent neceſſarium.

Reſpondeo, ſi infirmus concipiat hoc non poſſe fieri ſine acerbiſſimis doloribus, quos perferre animus horreat, eum non teneri. Ratio eſt, quia homo non tenetur niſi medijs ordinarijs conſeruare vitam cuius eſt cuſtos, & vſufructuarius, ſed vehementiſſimi cruciatus ſiue in re,

ſiue

ſiue in apprehenſione non cenſentur media ordinaria, ergò &c. maior eſt communis omnium Theologorum, quia vſufructuarius non tenetur ſumma, qua poteſt, diligentia rem, cuius hàbet vſumfructum, tueri, ſed tantùm requiritur, & ſufficit, ſi eam mediocri diligentia tueatur. Fauet Leſſius de iuſtitia lib. 2. cap. 9. dub. 14. Secùs autèm dicendum eſt, ſi dolores non eſſent adeò ingentes, vel vt tales exiſtimarentur, quia tùnc vrget obligatio tuendi vitam medijs ordinarijs. Excipit Leſſius duos caſus. primò, quandò huiuſmodi infirmi vita bono communi cenſetur neceſſaria, tunc enim dicit eum teneri, & poſſe cogi à Republicà, quod puto verum, ſi ſalus ſit certa, & dolores non nimis diuturni, & ſæui. Secundò, ſi eſſet Religioſus, qui totum ſe tradidit poteſtati ſui Superioris, ſed in hoc ſecundo caſu cenſet probabiliùs cum Salonio huiuſmodi obligationem non adeſſe, niſi talis Religioſus eſſet neceſſarius communitati, & non agatur de longo, & acerbo cruciatu.

Leſſ. *Idem.* *Salon.*

QVAERITVR decimotertiò, Vtrùm mulier vlcere, aut alio morbo affectas par

tes pudendas teneatur chirurgo oſtendere, vt hic eis medeatur.

Reſpondeo, ſi mulieri ob verecundiam valdè difficile, & moleſtum ſit hoc agere, non teneri. Patet ob rationem adductam in præcedenti quæſito, quia nimirùm nō tenetur homo vitam, aut ſanitatem procurare medijs valdè difficilibus.

QVAERITVR decimoquartò, Vtrū pharmaca, & cibum teneatur infirmus ſumere.

Reſpondeo teneri aliquantulùm conari, ſed ſi poſtquàm conatus eſt aliquotiès, vel non poteſt retinere cibum, vel pharmacum, & cogitur euomere, vel non valet deglutire, natura vel reluctante, vel deficiente, dico ad nihil ampliùs eum teneri. Patet ex dictis, quia iam media ordinaria adhibuit, vt vitæ ſuæ periclitanti opitularetur.

Collige ex dictis neque teneri infirmū exquiſitiſſimis medicamentis procurare ſanitatem, ſed ſufficit, ſi ordinaria, & ſtatui ſuo conuenientia adhibeat.

QVAERITVR decimoquintò, An infirmus, qui ob ægritudinem ab horarum canonicarum recitatione excuſatur, te-

neatur

neatur aliquid loco illarum dicere.

Reſpondeo nequè de iure humano, nequè de iure diuino naturali teneri huiuſmodi infirmum ad aliquid recitãdum pro compenſatione horarum, quas ex legitima ægritudinis cauſa omittit. Ita Suar. tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 27. num. 29. De lege humana patet, quia nulla lex iniungens determinatè aliquid faciendũ, ſi hoc præſtari non poſſit, obligat ad aliud opus: vndè qui non poteſt ſeruare ieiunium eo die, quo lex Eccleſiaſtica obligat ieiunare, non tenetur eleemoſynam erogare, vel aliud opus præſtare. De iure diuino etiam conſtat, quia nullum extat de hac re iuris diuini præceptum. *Suar.*

QVAERITVR decimoſextò, Vtrùm infirmus, qui ob ægritudinem non poteſt quidèm integrum officium recitare, ſed poteſt aliquam partem, an ad hanc teneatur.

Nauar. cap. 11. de orat. num. 6. & ſequentibus partem affirmantem ſuſtinet, quotiès is, qui nequit recitare ſeptem horas canonicas, poteſt tamèn recitare maiorem earum partem; eũ verò, qui non valet recitare maiorem partem, dicit Na- *Nau.*

uar. non teneri neque ad minorem partem. Verùm hæc opinio, vt potè quę nullo ſolido nititur fundamento, refellitur

Suar. à Suar. tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 27. nu. 24. & ſequentibus.

Reſpondeo cum eodem Suar. loco cit. num. 27. ſi infirmitas talis ſit, vt indefinitè impediat recitationem diuini officij, vt eſt febris grauis, vel aliquid ſimile iuxta prudens iudicium, non eſſe ſcrupuloſè inquirendum, an poſſit infirmus vnam, vel alteram horam dicere, quia excuſatio illa ex ſe indefinita æquiualet vniuerſali, & ita eſt cõſuetudine receptum. Si verò infirmitas talis eſſet, v. g. debilitas viſus, vel capitis, quę redderet valdè difficilem, & ſanitati nociuam recitationem peculiaris partis officij, v. g. Matutini, cæteræ autèm horæ ſine moleſtia dici poſſent, tùnc nulla eſſet legitima cauſa, quę ab harum recitatione excuſaret, quod militat, ſiuè ſint plures, ſiuè pauciores horæ, quæ commodè dici poſſunt.

QVAERITVR decimoſeptimò, quid dicendum, ſi infirmus ex voto teneatur recitare officium paruum B. V. vel Roſarium, vel Coronam ſex decadum ſingulis diebus,

diebus,& partem poteſt recitare ſine moleſtia,quia non adeò grauitèr opprimitur ab ægritudine,non autèm totum officiũ, vel Roſarium, vel ſex decades, quia hoc illi eſſet nimis moleſtum, & nociuum.

Reſpódeo,ſi in voti emiſſione per modum vnius ille animum habuit ſe obligandi ad aliquid ex prædictis, cum non poſſit totam rem voto promiſſam adimplere, non tenebitur ad partem. Si verò non conſtet de tali intentione, tenebitur ad partem, quam ſatis commodè poteſt adimplere, quia cum res voto promiſſa commodam patiatur diuiſionem, cenſetur nó per modum vnius, ſed per modum plurium promiſſa.

† †

†

CAPVT SEPTIMVM.

In quo reſoluuntur nonnulli caſus circa Baptiſmi adminiſtrationem tempore, quo mors baptizando imminet.

QVAERITVR primò, An ſit baptizatus infans, cuius caput in materno vtero abluitur ab obſtetrice, quæ ſimul profert formam baptiſmi.

Reſpondeo negatiuè. Suffragantur Alenſis in 4.p.q.8.memb.7. D.Bonauēt. in 4.diſt.6.q.1.a.1. Ricardus dicta diſt. a.2.q.1. Turrecremata in can. qui in maternis de conſecrat.diſt.4.a.1.& alij. Ratio eſt,quia infans, ſi ſit ſecundum oēs ſui partes materno vtero incluſus, non eſt perſona Eccleſiæ nota,licèt enim aperiatur oſtium vteri,quandò mulier paritura eſt, & obſtetricis manibus tangi poſſit infans, hic tamèn cerni oculis nequit, atquè ita, vt inquit D. Tho. in 4.diſt.6.q. 1.a.1.non ſubijcitur actioni miniſtrorum Eccleſiæ, idemquè repetit in 3.p.q.68.

Alenſ. *D.Bonau.* *Ricard.* *Turrecrem.* *D.Thom.*

a.11.

art. 11. in corpore his verbis concludens. *Et ita relinquitur, quòd nullo modo infantes in maternis vteris exiſtentes baptizari poſſunt.*

Confirmatur ex Rituali Romano vniuerſalitèr docente, quòd nemo in vtero matris clauſus baptizari debet. Ritual. Ro.

QVAERITVR ſecundò, An infans, cuius aliqua pars ex vtero matris eſt egreſſa, ſi illi periculũ mortis immineat, baptizari debeat.

Reſpondeo affirmatiuè, ſi pars egreſſa aqua ablui poſſit Ita Valent. tom. 4. diſp. 4. q. 1. pũc. 2. Suar. tom. 3. in 3. partẽ diſp. 20 ſect. 2. & in comment. q. 68 a. 11. Coninch. de Sacram. in eundem art. Et ita etiam monet Rituale Romanum aduertens ſimul infantem in lucem editum nõ eſſe rebaptizandum, ſi hic antea in capite, quod è matris aluo emiſerat, baptizatus fuit: eſſe verò rebaptizandum ſub hac conditione, *ſi non es baptizatus*, infantem poſteà perfectè natum, qui anteà in alio membro, quod extra vterum exierat, fuit baptizatus, quod etiam docuit S. Tho. 3. parte q. 68. a. 11. ad 4. Valent. Suar. Coninch. D. Tho.

QVAERITVR tertiò, Dum dubitatur

tur

tur, an mulier prægnans animam efflarit, licitè poſſit eius aluus diſſecari, vt proles vtero concluſa baptizetur.

Reſpondeo, ſi moralitèr non conſtet huiuſmodi prægnantem mulierem iam vita functam eſſe, non poſſe licitè diſcindi eius aluum, vt infans baptizetur. Ratio eſt, quia in tali dubio poſſidet dicta mulier ius, ne ſibi vita violentèr adimatur.

Porrò nunquàm licere aperire viuentē mulierem, vt infans baptizetur, etiam ſi hæc ſit in tali extremo vitæ, vt mors breui, & certò expectetur, eſt communis opinio omnium Theologorum, quia occidere innocentem directè eſt intrinſecè malum, atquè adeò ob nullum finem quantumuis optimum nunquàm licitum.

QVAERITVR quartò, Si mulier grauida iam expirauit, eiuſquè aluus diſſectus ſit, vtrùm filius apparens, ſed nondùm auulſus à viſceribus maternis poſſit, & debeat baptizari.

Suar. Reſpondeo affirmatiuè: Ita Suar. in 3. partem tom. 3. in comment. a. 11. q. 68. Et ratio eſt, quia interueniunt omnia eſſentialia baptiſmi in tali caſu, ſcilicèt ablutio,

tio, debita forma, & perſona Eccleſiæ nota, vt potè quæ oculis corporis cerni poſſit. Vndè hęc poteſt dici natiuitas, quatenùs in communi hominum vita apparet talis infans, licèt non perfecta natiuitas, donèc omninò ſeparatus ſit à viſceribus matris.

Quarè quoad praxim, ſi periculũ mortis immineat tali infanti, antequàm è materno vtero extrahatur, erit ſine mora baptizandus: cum enim fœtus vtero mulieris alligetur per ea, quæ Græci cotylidones, Latini acetabula, ſiuè meatus appellant, aliquandò periculum accelerandi mortem infanti eſſe poteſt in diſſolutione dictorum ligamentorum.

QVAERITVR quintò, Vtrùm liceat diſcindere aluum mulieris prægnãtis iam iuſto ſupplicio damnatę, vt baptizari poſſit infans, ſi ex eo, quòd expectandum ſit tempus, quo illa pariat, iudicio medicorum periculum magnum ſit, ne fœtus in matris viſceribus moriatur.

Negat Paulus Comitolus in reſp. moral. lib. 1. q. 14. ſub §. Multò plus, quia (inquit) creditur occiſione matris facilè poſſe necari infantem. citat pro hac parte Pa- *Paul. Com.*

te Pa-

Palud. D. Anton. Gabriel Victoria Armil. te Paludanum, D. Anton. Gabrielem, Victoriam, Armillam; & addit, ob prædictũ diſcrimen, in quod ſalus infantis adducitur, ſi è viuentis matris vtero excidendus ſit, L. prægnantis cautum eſſe, vt mulieris ſupplicium differatur vſquè ad partum.

Suar. Affirmat Suar. in 3. partem in cõment. ar. 11. q. 68. licere in dicto caſu anticipare ſupplicium, quantum fieri poſſit, ſeruato ordine iuris & iuſtitiæ, quià tunc nulli fit iniuria, & cadit in maximum ſpirituale bonum prolis; nam illa dilatio, quæ in iure conceditur L. prægnantis, ff. de pænis, ſcilicèt vt ſupplicium differatur mulieris prægnãtis quoad pariat, non eſt in fauorem matris, ſed in filij vtilitatem; ſi ergò non ſolùm ceſſet hęc vtilitas, verùm etiam credatur cedere in magnum detrimentum prolis, non eſt neceſſarium, nec legi conſentaneum in tali caſu differre ſupplicium. Hæc Suarez.

Reſpondeo, ſi ex peritorum iudicio verum periculum mortis impendat infanti vtero mulieris iam incluſo ob dilationẽ ſupplicij, ad qđ mater iuſtè damnata eſt, & magna ſit ſpes, quòd ſublata dilatione, & diſ-

& diſſecto vtero matris viuus fœtus remaneat, atquè ita baptizari poſſit, verùm eſſe ſententiam Suarez, quàm benè probat ratio ab ipſo adducta: nec ſempèr verum eſt, quòd maius ſit periculum interficiendi fœtum, ſi matris prægnantis vterus aperiatur, quàm ſi expectetur tempus pariendi, vt ſupponit Comitolus, nam conſtat plura eſſe ſigna futuri aborſus; quorum aliqua, vt notat Io. Baptiſta Siluaticus in controuerſijs medicis cōtrou. 82. certitudinem quandam habent, nimirùm ſanguinis menſtrui fluor, aquæ ad partum facilitandum à natura adſeruatæ effluxus, ipſiuſquè fœtus deſcenſus ad imum ventrem. Pręterea eſt axioma Hippocratis apud medicos ſatis receptum; quòd mulier vterum geſtans morbo acuto correpta in eo ſit diſcrimine, vt non multùm difficultèr abortum faciat. Quarè in his, vel alijs coniecturis poterit quādoquè tutius eſſe, vt proles baptizetur, ſi matris vterus diſcindatur, quàm expectetur tempus partus, ſi enim expectetur, interìm facilè continget, vt fœtus mortuus emittatur.

Suar. *Comitol.* *Siluaticus* *Hippocr.*

Verùm hac in re ſtandum erit iudicio

medi-

medicorum, chirurgorum, & experientiſſimarum obſtetricum.

QVAERITVR ſextò, An obſtetrix validè baptizet, ſi dum infantem abluit, non proferat ſimul formam baptiſmi, ſed peracta ablutione illam ſtatim profert.

Reſpondeo affirmatiuè, quia nõ requiritur ſimultas phyſica inter materiam & formam Sacramenti, ſed ſufficit moralis; & ratio eſt, quia talis ſimultas requiritur, per quam moralitèr totalis ſignificatio compleatur, ita vt talis forma ſuper talẽ materiam moralitèr cadere intelligatur. quarè in re noſtra talis connexio, & propinquitas inter materiam, & formam ad valorem Sacramenti baptiſmi ſufficit, per quam ſecundum communem loquendi vſum verificetur, quòd actio miniſtri, quę in forma exprimitur, exerceatur erga ſuſcipientem præſentem. *Henriq.* Henriquez lib. 1. de Sacram. in genere cap. 9. nu. 10. *Layman* Layman in Theol. morali lib. 5. tract. 2. cap. 7. num. 5.

Aduerte tamèn quoad praxim ſeruandum eſſe, quantùm fieri poteſt, vt quo tẽpore à baptizante abluitur infans, eo etiã proferatur forma.

QVAE-

QVAERITVR ſeptimò, Quænam quantitas aquę ſufficiat ad baptizandum infantem moribundum.

Reſpondeo eam quantitatem requiri, quæ ſimplicitèr ſit ſufficiens ad valorem baptiſmi in quocumque caſu; non enim eſt verum minorem ablutionem ſufficere ad ſubſtantiam Sacramenti in extrema neceſſitate, vt optimè docet Suar. tom. 3. in 3. partem diſp. 20. ſect. 2. §. Quarè non eſt probanda. Porrò illa quantitas aquę ad valorem baptiſmi ſatis eſt, quæ poteſt contingere corpus, & ſucceſſiuè fluere per partem corporis, quod fieri poteſt ab exigua aqua. Fauent Henriquez lib. 3. cap. 21. num. 4. Vaſquez tom. 2. in 3. partem diſp. 245. cap. 4. nu. 32. & Paulus Comitolus lib. 1. de Sacram. q. 12. affirmat verè baptizatum fuiſſe infantem, quem moribundum mulier baptizauit ſigno Crucis impreſſo in fronte digito aqua madefacto, legitimè formam proferens. eandem ſententiam ſecutus eſt Filliuc. tom. 1. tract. 2. cap. 2. num. 34. Vide Victoriā in ſumma Sacramentorum q. 19.

Suar. *Henriq.* *Vaſq.* *Comitol.* *Filliuc.* *Victoria*

QVAERITVR octauò, Sacerdos ſibi conſcius peccati mortalis nulla præ-

miſſa

miſſa contritione baptizat ſine ſolemnitate infantem, cui periculum mortis imminet, an lethalitèr peccet.

Reſpondeo partem negātem ſatis eſſe probabilem. Ratio eſt, quia non ſe gerit in tali caſu vt miniſter conſecratus, ad quem ex officio ſpectat adminiſtrare Sacramentum, ſed vt miniſter tempore neceſſitatis, qualis poteſt eſſe Laicus. Ita
Syluest. Syluest. v. baptiſmus 3. num. 5. Nauar.
Nau. cap. 25. num. 12. Valent. tom. 4. diſp. 3.
Valent. q. 5. p. 3. Nugnus in 3. partem q. 64. a. 6.
Nugn. Suar. Suar. in 3. partem tom. 3. diſp. 16. ſect. 4. & alij.

Dixi, *ſatis probabilē*, nam alij non improbabilitèr contrariam opinantur, inter
Vaſquez quos eſt Vaſquez in 3. partem diſp. 136. cap. 3.

QVAERITVR nonò. Vtrùm obſtetrix peccet mortalitèr baptizando infantem vrgente periculo, ſi adſint viri.

Ratio dubitandi eſt, quia regula communis eſt in hac re, quòd femina præſente viro non debet baptizare, nec Laicus preſente Clerico, nec Clericus preſente Sacerdote, nec Sacerdos præſente pro-
Ritual. Ro. prio Paſtore, quę regula etiam in Rituali

tuali Romano præſcribitur, & ideò ſeruanda eſt.

Plures DD. affirmant eum, qui prædicto ordine non ſeruato baptizat, peccare mortalitèr.

Alij dicunt non ſemper eſſe mortale baptizare non ſeruato dicto ordine, vndè laicum, qui baptizat in graui neceſſitate infantem præſente Diacono, excuſant à mortali. Ita Suar.tom.3.in 3.par.diſp. 31.ſect.4.§.Vnde tertiò,& alij. *Suar.*

Non deſunt aliqui docentes laicum baptizantem pręſente Sacerdote ſecluſo contemptu, & non repugnante Sacerdote, peccare tantùm venialitèr.Ita Valent. tom.4.diſp.4.q.2.puncto 1. *Valent.*

Reſpondeo pręd ictam obſtetricem nõ peccare mortalitèr, ſi baptizat in prædicto caſu præſentibus viris, etiam ſi inter hos reperiatur Diaconus, dummodò nõ adſint Sacerdotes. Fauent Suar.cit.Layman in Theol. morali lib. 5. tract.2. cap. 7. num. 4. quia non ſeruare prædictum ordinem non cenſetur res grauis, quæ ad conſtituendum peccatum mortale ſufficiat, quia nullus horum eſt per ſe miniſter huius Sacramenti in tali neceſſitate, ne- *Suar.* *Layman*

 què

que iniuria ſit Sacramento, cum non ſolemnitèr adminiſtretur.

Dixi, *ſi non adſint Sacerdotes*, nam his præſentibus, & volentibus baptizare, omninò debent inferiores abſtinere à baptizando.

QVAERITVR decimò, Pater videns filium nupèr natum in periculo mortis illum baptizat præſentibus multis, qui idē præſtare poterant, an amittat ius petendi debitum.

Sanchez de matrim.lib.9.diſp.36.nu. 7.affirmat.

Durand. *Suarez* *Coninch.* Negant alij, vt Durandus in 4.diſt.42. q.1.a.3. Suar. in 3. partem q. 67. a. 8. §. penultimo in fine, Coninch. de Sacram. diſp.34.dub.8.num.69.

Reſpondeo hanc ſecundam opinionē eſſe ſatis probabilem. Fundamentum eſt, quia tàm grauis pæna ſine textu non eſt inducenda, nullus autèm textus adduci poteſt.

Aduerte, quòd in prædicto caſu baptizans proprium filium grauitèr peccat, niſi ab inculpabili ignorantia excuſetur.

QVAERITVR vndecimò, An adultus infidelis phreneſi laborans ſit baptizandus

zandus, ſi antè phreneſim baptiſmum petijt.

Reſpondeo affirmatiuè. Colligitur ex cap. Maiores de baptiſmo, & Concil. Carthag. III. can. 34. & Arauſic. 1. can. 12. Ratio eſt, quia illa voluntas præcedens ſufficit, vt cẽſeatur ſuſceptio baptiſmi voluntaria. Fauent Syluius in 3. partem q. 68. a. 7. Barboſa in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 4. cap. 3. num. 16. *Conc. Cart.* *Arauſic.* *Syluius.* *Barboſa*

QVAERITVR duodecimò, Vtrùm adultus infidelis in extremis laborans ad fidem conuerſus, ſi ſuſcipiat baptiſmum cum ſola attritione, iuſtificetur.

Reſpondeo affirmatiuè, ſi attritio ſit ſupernaturalis. Colligitur ex Concilio Trid. ſeſſ. 6. à cap. 3. vſquè ad 6. & ſeſſ. 14. can. 4. Plura pro hac re habet Suar. tom. 3. in 3. partem diſp. 28. ſect. 2. Cabrera de Sacram. q. 69. a. 8. diſp. 2. *Trid.* *Suarez* *Cabrera*

Idem dicẽdum, etiam ſi attritio ſit cognita vt attritio, quidquid aliqui in cõtrarium dicant. An verò hic etiam teneatur conari elicere actum contritionis, dico partem affirmantem probabilem eſſe, vt ex dictis cap. præcedenti quæſito primo conſtat, & idem tenet Leſſ. lib. 3. *Leſſ.*

de fortitudine , vbi poſtquàm præmiſit hanc concluſionem. *Si is, cui martyrium imminet, ſit in peccato mortifero, neceſſaria eſt illi ad fructum martyrij contritio indirectè (vel ſaltèm attritio, quæ putetur eſſe contritio) tanquam opus neceſſarium ad vitandum nouum peccatum, quod fructum illius impediret.* paulò poſt ſubnectit, *Secus eſt in baptiſmo, & pænitentia, tùm quia certius eſt ibi attritionem ſufficere, tùm quia non ſubeſt periculum præſens damnationis, loquimur enim extra caſum mortis, ſatis tamèn probabile eſt in ſimili diſcrimine etiam in his opus eſſe contritione.*

Porrò, qua ratione procedendum ſit in conferendo baptiſmo cathecumeno morti proximo, dixi lib. primo cap. tertio adnot. 17.

QVAERITVR decimotertiò, Vtrùm baptizãdus ſit infidelis adultus in extremis laborans vſu rationis deſtitutus, qui paulò antè, dum erat mentis compos, exhortatione viri pij motus ãnuit ſe velle amplecti Chriſtianam Religionem, cui tamèn de baptiſmo, & eius neceſſitate nihil penitùs fuit dictum, quia tempus

defuit

deſuit ob repentinam morbi violentiam, à qua ita oppreſſus fuit, vt læſis organis rationis vſum amiſerit.

Parti affirmatiuæ facilè ſubſcriberet Coninch. qui ad art. 8. q. 64. D. Tho. in 3. partem dicit eum, qui habet attritionem de peccatis, quatenus ijs meremur pęnas inferni, aut excludimur à vita æterna, cenſeri petere implicitè baptiſmum, etſi de eo nihil vnquam audierit, quia ille dolor includit virtuale propoſitum ſeruandi omnia præcepta ad talem finem neceſſaria, inter quæ eſt præceptum ſuſcipiendi baptiſmum. Verùm hæc doctrina ita generaliter prolata propter abſurda, quæ ex illa poſſe inferri videntur, refellitur à Io. de Lugo de Sacram. diſp. 9. ſect. 7. nu. 129. & 130. qui benè cum Suarez notat ad validè ſuſcipiẽdum baptiſmum requiri aliquam voluntatem magis ſpecialem, quia baptiſmus eſt ianua ad Eccleſiam, & in ea fit prima ſolemnis profeſſio fidei, & legis Chriſti. Coninch. Io. de Lugo Suarez

Reſpondeo propoſito caſui, ſi ex coniecturis prudentèr colligi poſſit, quòd talis infidelis, quando erat mentis compos, nutu declarauit ſe iam corde ample-

ctæ religionem Chriſtianam, baptiſmum
Io. de Lugo eſſe illi conferendum. Fauet nobis Io. de Lugo loco citato num. 130. in fine, & ratio eſt, quia virtualitèr hic petijt baptiſmum, hoc enim ipſo, quòd animo amplexus eſt Chriſtianam religionem, implicitè ſimul voluit eius legibus, & præceptis ſe obſtringere, atquè ita præceptũ ſuſcipiendi baptiſmum ſeruare.

Difficultas adhuc eſſe poteſt, ſi talis fuit ille nutus, vt ex eo non poſſit conſtare, an huiuſmodi infidelis habuerit animum amplectendi tunc Chriſtianam religionem, an verò non amplectendi tunc, ſed in futurum.

Qua in re, ſi æquale ſit dubium, ex regulis generalibus puto eſſe baptizãdum ſub hac conditione, *ſi es ſatis diſpoſitus, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

† † †

CAPVT

CAPVT OCTAVVM

In quo reſoluuntur nonnulli caſus irregularitatis ſpectantes ad eos, qui infirmis, vel moribundis opitulantur.

QVAERITVR primò, Vtrùm Sacerdos, vel Clericus, qui ſuadẽdo inducit infirmum, vt membrum cancere infectum, vel à vipera demorsũ permittat ſibi à perito chirurgo abſcindi, incurrat irregularitatem, ſi ex tali abſciſſione moriatur talis infirmus.

Reſpondeo negatiuè, ſi huiuſmodi Sacerdos, vel Clericus ita ſuaſit, quia optimè nouerat peritos medicos iudicaſſe talem abſciſſionem profuturam infirmo. Ratio eſt, quia huiuſmodi mors præter intentionem ſuadentis euenit, qui ideò ſic ſuaſit, vt diſponeret infirmum ad ſanitatem recuperandam, nec vllo iure talis ſuaſio eſt prohibita Sacerdoti vel Clerico. Fauent DD. citandi in reſponſo ſequentis quæſiti.

QVAERITVR ſecundò, Vtrùm Sacerdos vel Clericus fiat irregularis, ſi addiuuet chirurgum iuxta regulas artis propter ſanitatem infirmi abſcindentem membrum eius canceratum, vel alio morbo affectum.

Nau. Henriq. Auila

Reſpondeo negatiuè. Ita Nauar. conſ. 18. de homicidio Henriq. lib. 14. cap. 11. num. 1. quos citat, & ſequitur Auila 7. p. de homicid. caſuali diſp. 6. ſect. 1. dub. 10. §. Secunda concluſio. Ratio eſt, quia nullo iure eſt prohibitum Sacerdoti, vel Clerico tale auxilium ſuppeditare, & de cætero eſt opus charitatis.

QVAERITVR tertiò, Si Clericus Sacris initiatus chirurgia verſatus abſcindat membrum alicuius infirmi infectum ad impediendum, ne cancer, vel alius morbus per cæteras corporis partes ſe diffundat, fiat irregularis, ſi indè mors ſequatur.

Reſpondeo affirmatiuè, etiam ſi talis Clericus in ſacris conſtitutus debitam adhibuerit diligentiam. Ratio eſt, quia cum Clericis prohibitum ſit exercitium chirurgiæ per aduſtionem, vel inciſionem capitul. ſententiam ſanguinis, prę-

dictus

dictus Sacerdos, vel Clericus Sacris initiatus dedit operam rei ob prohibitionem iuris ſibi illicitæ, & de ſe periculoſæ, & inductiuæ mortis, ergò remanet irregularis ſecuta dicti infirmi morte; eſt enim hæc regula generalis iuxta communiorem opinionem: Homo dans operam rei illicitæ, & de ſe mortis inductiuæ, ſi ex illa mors ſequatur, fit irregularis: ſecus verò dicendum, ſi det operam rei illicitæ, ſed non ex ſe periculoſæ ad homicidium, etiam ſi mors ſequatur. Ita Couar. Soto, Corduba, Caſtro, Medina, Arrag. Nauar. apud Auilam 7. par. diſp. 6. dub. 1. §. Sed eſt tertia, & ſuffragatur cum multis Sayrus lib. ſeptimo theſauri capitul. 5. de homicidio caſuali ſub num. 12. verſus finem. *Couar. Soto Corduba Caſtro Medin. Arrag. Nau. Sayr.*

QVAERITVR quartò, Vtrùm Clericus ſacris initiatus, ſi abſcindat membrum infirmi infectū, & de ſe infectiuum aliarum partium, ſi indè mors non ſequatur, fiat irregularis.

Auila parte ſeptima diſp. 6. ſect. 1. ſub dub. 10. §. Tertia concluſio, ſequens Henriquez *Auil.*

riquez

Henriq. riquez dicit huiuſmodi Clericum nõ fieri irregularem, ſi abſcindat ſecundum regulas artis, quamuis peccet contra prohibitionẽ iuris, ſi aderat alius, qui id facere poſſet. Nititur huic fundamẽto, quòd quandò iura inducunt irregularitatem ex mutilatione, intelliguntur de mutilatione, quæ ordinatur ad priuationem partialis vitæ membri, vel totius ſuppoſiti, non tamèn de mutilatione membri, quæ ordinatur ad conſeruandam vitam hominis.

Reſpondeo prædictam opinionem eſſe ſatis probabilem.

QVAERITVR quintò, Vtrùm Clericus minoribus tantùm initiatus, & chirurgus valdè peritus, ſi abſcindat membrum putridum infirmi animo eum ſanandi, ſi indè moriatur infirmus, fiat irregularis.

Reſpondeo negatiuè, ſi regulas artis ſeruauit, & debitam adhibuit diligẽtiam, & non erat Clericus beneficiarius, quia citat. cap. Sententiam, ne Clerici, vel Monachi, prohibẽs chirurgiæ exercitium quoad inciſionem, vel aduſtionem, expreſsè loquitur tantùm de Sacerdote, Dia-

Diacono., & Subdiacono, & de Clericis beneficiarijs, ergò non eſt extendendum ad Clericos in minoribus, exceptio enim firmat regulam in contrarium. Ita Sylueſt. V. medicus, Panormit. dicto cap. Sent. Auila par. 7. diſp. 6. ſect. 1. ſub dub. 10. §. Secundò ſupponendum eſt, vbi cum Felino rectè notat cap. Tua nos de homicidio procedere de Religioſo Sacerdote.

Syluest. *Panorm.* *Auila* *Felin.*

QVAERITVR ſextò, Vtrùm incidat in irregularitatem Clericus Sacris initiatus, & valdè peritus chirurgus, & medicus ſuo conſilio conſpirans cum alijs medicis, & chirurgis, vt infectum membrum alicuius infirmi abſcindatur, vel sāguinis minutio fiat, ſi abſciſſo membro, vel facta ſanguinis minutione à Chirurgo laico indè moriatur infirmus.

Reſpondeo negatiuè, quia tantùm eſt prohibitum huiuſmodi Clerico per cap. Sententiam ſanguinis, ne Clerici, vel Monachi, ne ipſe exerceat chirurgiæ artem, quæ aduſtionem vel inciſionem inducit; dare autèm conſilium iuxta peritiam artis, cum non ſit prohibitum Clerico

rico chirurgo, vel medico, & ſit opus charitatis, & ordinatum ad bonum proximi, non eſt cur ob illud irregularitas incurratur, & mors in prædicto caſu eſt omninò præter intentionem. Fauet Hériquez lib. 14. cap. 11. in litt. H. vbi ait. *Clericus nullo iure prohibetur conſilio, aut auxilio iuuare peritum chirurgum ad ſecãdam alterius tibiam, vel brachium, ſed tantùm ſecare per ſe ipſum.*

Dices, in prædicto caſu homicidium eſt virtualitèr volitum in illo conſilio, eſt enim huiuſmodi conſilium ex ſe periculoſum, & mortis inductiuum, ergò ob prædictum periculum cenſetur prohibitum in iure, ſicut & ipſa inciſio membri, vtpotè periculoſa, & per conſequẽs incurritur irregularitas per tale conſiliũ ſecuta morte.

Reſpondeo negando eſſe homicidium volitum virtualitèr in illo conſilio, quod innixum doctrinæ medicæ datum fuit, nec poteſt dici tale conſilium probabilitèr inductiuum mortis, cum, vt ſuppono, ex pluribus experimentis in ſimilibus caſibus conſtet ad ſanitatem recuperandam plurimùm conduxiſſe, nec eſt vt

dixi-

diximus in iure prohibitum dare huiuſmodi conſilia.

QVAERITVR ſeptimò, An excuſetur à peccato & irregularitate Clericus in Sacris valdè peritus chirurgus, qui propter ſanitatem alicuius infirmi membrũ eius canceratum, vel à vipera demorſum, vel alio morbo putreſcens reſecat, quia nullus chirurgus haberi poterat, qui hoc præſtet.

Reſpondeo ſatis probabilitèr excuſari poſſe prædictum Clericum à peccato, & ab irregularitate, quotiès ille omnem debitam adhibuit diligentiam in reſecando membro, & in conſulendo ſanitati prædicti infirmi, etiam ſi mors poſtea aliundè ſequatur, ſicut euenit in caſu cap. Tua nos de homicidio. Probatur, quia non eſt exiſtimandum velle Eccleſiam, vt in tali neceſſitate velit præceptum ſuum obligare: vndè ſicut tunc excuſatur à peccato huiuſmodi Clericus exercens tale munus, ita etiam excuſatur ab irregularitate, ſi caſuale homicidium ſequatur. Ita Henriquez libr. 14. capit. 11. §. primo, cuius ſententiam dicit eſſe probabilẽ Sayr. Theſauri conſc.

Auila. conſc.lib.7.cap.6.num. 10. & Auila parte 7.diſp.6. ſect.1. dub.10.§. Tertiò ſupponendum, eandem approbat quoad excuſationem à culpa, ſed idem dicendum eſt de excuſatione ab irregularitate, nam poſito quòd hic Clericus non dederit operam rei illicitæ, ſed licitæ, quia tunc in tali neceſſitate ceſſauit prohibitio iuris, & mors, vt ſupponimus, ſine culpa Clerici ſecuta ſit, non debet fieri irregularis, quia, vt videbimus infra, ad inducendam irregularitatem requiritur culpa lata, quandò quis dat operam rei licitæ.

QVAERITVR octauò, Vtrùm peccet, & fiat irregularis Clericus ſacris initiatus, & valdè peritus medicus, ſi omni adhibita diligentia, ſine vlla inciſione, aut aduſtione curet ægrotum, cuius mors ſubſequitur.

Reſpondeo prædictum Clericum nequè peccaſſe, nequè in irregularitatē incidiſſe, ſi pietatis cauſa officium medici citra inciſionem, & aduſtionem in prædicto caſu exercuit. Probatur, quòd non peccauit, quia non eſt prohibitum Clericis in ſacris, vel beneficiarijs citra inciſionem, vel aduſtionem exercere officium medici.

ci. cap. Sententiam ſanguinis, nè Clerici, vel Monachi. Hoſtienſis c. Significaſti, il ſecondo, Felinus cap. Tua nos, eodem tit. & quòd eis liceat pietatis cauſa exercere officium medici erga cognatos, & pauperes docent Angelus v. medicus num. 11. Tab. num. 4. Armilla eodem num. Nau. cap. 25. num. 113. §. 34. Henriq. lib. 14. cap. 11. num. 1. in gloſ. litt. f. quòd autèm non maneat irregularis, conſtat, quia non dedit operam rei illicitæ, & mors ſecuta eſt abſquè ſua culpa.

Hoſtien. *Felin.* *Angel.* *Tab.* *Armil.* *Nau.* *Henriq.*

QVAERITVR nonò, An in prædicto caſu maneat Clericus irregularis, ſi curauit non pietatis cauſa ægrotum.

Pro parte affirmatiua non deſunt multi DD.

Reſpondeo partem negãtem ſatis probabilem eſſe, ſuppoſito quòd mors ſequatur nulla interueniente culpa Clerici curantis. hanc tuetur Auila parte 7. diſp. 6. ſect. 1. dub. 11. concl. 5. Probatur, quia exercitium medicæ artis citra inciſionem, & aduſtionem non eſt prohibitum in iure Clericis ſacris initiatis, vel beneficiarijs, vt vidimus, ergò ſignum eſt, quòd ex ſe non cenſetur opus periculoſum, & in-

Auila.

ductiuum

ductiuum mortis, ſed potiùs vtile, & ſanatiuum; quarè ſi non licet communitèr Clericis in ſacris, vel beneficiarijs exercere officium medici extra caſum pietatis, ideò eſt, quia hoc inter officia ſæcularia computatur, quæ prohibita ſunt dictis Clericis, cap. multa ne Clerici, vel Monachi, ergò Clericus in ſacris, vel beneficiarius, qui non intuitu pietatis curat ægrotum, omni tamèn adhibita diligētia, non fit irregularis, etiamſi mors talis infirmi ſequatur, quia non dedit operam rei de ſe periculoſæ, nec vt talis ſibi prohibitę, nec culpam admiſit, à qua mors prouenire potuerit.

QVAERITVR decimò. An fiat irregularis, qui ex affectu commiſerationis contra manifeſtam prohibitionem medici, aquæ, vel vini poculum, aut aliquid aliud exhibet infirmo, ex quo ille moritur, vel ſaltèm notabilitèr celeriùs moritur.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, quia hoc opus eſt prohibitum vt periculoſum à perito medico, ergò qui illud præſtat, virtualitèr vult effectum, qui ex eo prouenire poteſt, ſcilicèt vel mors, vel acceleratio

leratio mortis. Ita Innocentius, & DD. in cap. Tua nos de homicidio, Syluest. V. homicidium 2. q. 15. & V. medicus q. 7. Nauar. num. 228. Sayr. theſau. lib. 7. cap. 6. num. 12. Auila parte 7. diſp. 6. ſect. 1. dub. 8. & alij communitèr. *Innocent.* *Syluest.* *Nauar.* *Sayr.* *Auila*

Idem dicendum de eo, qui ſuo conſilio, vel iuſſu eſt cauſa, vt res tradatur infirmo, ex qua mors, vel acceleratio notabilis mortis ſequitur. Aduerte, ſi iudicio periti ex re tradita infirmo illius mors parùm fuit accelerata, aliquos docere eũ, qui tradidit huiuſmodi rem, non incurrere irregularitatem. Ita Henriq. lib. 14. cap. 15. num. 5. Auila parte 7. diſp. 6. ſect. 1. dub. 8. & alij, quorum ſententiam non improbat Bonac. de Cenſur. diſp. 7. q. 4. puncto 7. ſub num. 12. §. Aliqui tamen: & idem dicendum iuxta hanc ſententiam de conſulente, & mandante, & ſanè cum pęna irregularitatis ſit grauis, ſi ita exigua cenſeatur acceleratio mortis, vt moralitèr pro nihilo habeatur, videtur ſatis probabilitèr pręſumi in tali caſu iura non eſſe intelligenda cum tanto rigore, vt irregularitatem inducant. *Henriq.* *Auila* *Bonac.*

QVAERITVR vndecimò, An fiat ir-

 regu-

regularis, qui moribundum affectu pietatis,& commiſerationis voluit,& reuoluit,vt per accelerationē mortis ille liberetur à graui angore, quo diù affligatur.

Reſpondeo affimatiuè. Ratio eſt,quia illa acceleratio mortis eſt voluntaria volenti huiuſmodi agonizantem, vt citiùs moriatur. Ita Nau.Soto, Couar. Villadiego, quos citat, & ſequitur Auila parte 7.diſp.6.dub.8.concl.5. & Sayrus theſauri lib.7.cap.6.num.13.

Nau. Soto Couar. Villadiego Auila Sayr.

QVAERITVR duodecimò, An fiat irregularis, qui bona fide dat aliquid infirmo, ex quo mors ſequatur, vel mortis acceleratio.

Reſpondeo negatiuè, ſi non adſit culpa lata, ideſt omiſſio illius diligentiæ, & circumſpectionis, quam homines mediocritèr capaces, & prudentes ſolent adhibere. Ita Auila loco cit. concl. 2. ſecutus Nau. Sylueſt.& Henriquez.

Auila Nau. Syluest. Henriq.

QVAERITVR decimotertiò, An fiat irregularis, qui bona fide reuoluit infirmum, vel trāsfert de lecto ad lectum, vel eius caput eleuat, vt commodiùs cibum ſumere, vel meliùs quieſcere poſſit, ſi ex tali motu citiùs moriatur infirmus.

Reſpon-

Reſpondeo paritèr negatiuè, ſecluſa culpa lata, quia illa mortis acceleratio eſt præter intentionem. Ita D. Antonin. Angel. Specul. & alij quāplurimi apud Sayr. lib. 7. theſaur. c. 6. n. 13. Eſt cõmunis ſentẽtia. & benè aduertit Caiet. 2. 2. q. 64. art. 8. circa medium tutò poſſe Sacerdotes, & Religioſos ſeruire infirmis etiam conſtitutis in vltimo vitę, & eos voluere in lecto, & reliqua exhibere cū prudentia, quę in huiuſmodi cõſueta eſt, nam quidquid in hoc licet laicis, licet etiam Clericis. *D. Anton. Angel. Specul. Sayr. Caiet.*

Prædictis autèm, & alijs huiuſmodi operibus charitatis erga infirmos & morientes eò tutius poſſunt manus admouere Sacerdotes noſtræ Religionis, qui præ alijs in huiuſmodi exercitio verſati ſunt, & experimento nouerunt, & à medicis didicerunt, quænam prodeſſe, & non obeſſe poſſint infirmis, & moribundis. ex his

Infertur primò, immeritò à quatuor Theologis, inter quos fuit Comitolùs, vt ipſe refert in reſp. moral. lib. 6. q. 52. irregularitatis damnatum fuiſſe eum Sacerdotem, qui affectu pietatis ſuaſit aliquibus, vt hominem vulneratum in via iacentem erigerent, qui dum ſuſtolleretur, *Comitol.*

animam efflauit; nam hic Sacerdos bona fide huius vulnerati erectionem cõſuluit, nec facilè potuit animaduertere ex tali erectione celeriorem mortem ſecuturam, maximè quia tunc totus eius affectus erat in tali miſero adiuuãdo: quarè hæc mors cenſetur caſualis reſpectu talis Sacerdotis ſine eius culpa lata. Fauet nobis Filliuc. t. 1. trac. 19. c. 10. ſub n. 278. §. Vnde mirũ.

Filliuc.

Infertur ſecundò, non fieri irregularem, qui iteratis precibus infirmi grauitèr laborantis commotus, timens ne in nimiam indignationem incidat, bona fidè parùm aquæ illi præbet, licèt medicus eidem infirmo prohibuerit aquæ potum, etiam ſi hic infirmus paulò poſt moriatur, tùm quia modica acceleratio mortis ex illa exigua aqua epota potuit eſſe, tũ quia bona fide egit, & animo ſubueniẽdi anguſtię infirmi, nec culpam latam admiſit, etſi fortè violauit præceptum medici non in re notabili, ſed in re parua.

Infertur tertiò, fieri irregularem, qui ex notabili negligentia omittit opportunè miniſtrare neceſſaria infirmo, quę medicus pręſcripſit, ſi ex tali omiſſione mors vel notabilis acceleratio mortis ſequatur.

tur. Ita Henriq.lib.14.c.15.num.5. Henriq.

Infertur quartò, incurrere irregularitatem eum, qui licèt præuideat ex vehementi aliqua animi commotione, & turbatione infirmum notabilitèr citiùs moriturum,nihilominùs eum prouocat verbis aſperioribus ad indignationem, vel ad triſtitiam,malum ei nuncium afferendo. Ratio eſt, quia talis notabilis mortis acceleratio eſt volita in cauſa, ſcilicèt in illa turbatione, ex qua ſequitur humorũ alteratio inductiua præproperę mortis. Fauet Henriq.lib. 14.cap.15.litt.P. Henriq.

QVAERITVR decimo quartò, An debeat-ſe exiſtimare irregularem,qui dubitat,an culpa ſua lata mors, vel notabilis acceleratio mortis euenerit.

Reſpondeo,medicæ artis peritum, vel alium prudentem virum eſſe in cõſilium adhibendum, & illi omnino acquieſcendum,vt benè cum alijs docet Auila 7.parte diſp.6.ſect.1.dub.8.concl.2.Sayr.theſauri lib.7.cap.6.ſub nu.13.versùs finem, Henriq.lib.14.c.15.n.5.Vgol.c.19.§.3. Auila Sayr. Henriq. Vgol.

Aduertè homines,qui zelo pietatis,& charitatis adiuuant infirmos, & morientes,non facilè debere formare ſcrupulum

Syluest. in hac materia, quod cum Syluestro v. homicidiũ 2. q. 15. ſapientèr monet Auila. Auila

QVAERITVR decimoquintò, An ex excuſari quis poſſit ab irregularitate, quę ob defectũ lenitatis incurritur ratione imꝑfectę aduertẽtię, vel paruitatis materię.

Suppono eum, qui iuſtè, & ex publica auctoritate alium occidit, vel mutilat, fieri irregularem ex defectu lenitatis. cap. Clericis, cap. Sententiam ne Clerici, vel Monachi, cap. penult. de homicid. & Clement. Furioſus eodem tit. & ratio eſt, quia is, qui ad ordines promouetur, eligitur ad altaris miniſterium, in quo repreſentatur paſſio Chriſti, qui fuit mitiſſimus, & nullius ſanguinem fudit, ergò in hoc debet Dominum ſuum imitari. illumquè repreſentare; qui autèm ad mortem, & mutilationem alicuius iuſtè, & publica auctoritate concurrit aliquo modo, non poteſt Chriſtum mitiſſimum repreſentare, & ideò meritò iura illum irregularem decernũt. de qua re vide plura D.Tho. apud D.Thom. in 4. diſt. 25. q 2. Alen. 3. Alenſ. parte q. 34. mem. 2. nu. 3. hoc ſuppoſito

Reſpondeo Sacerdotem, qui affectu charitatis comitatur hominem extremo ſup-

Digitized by Google

ſupplicio plectendum, vt illum ad benè moriendum diſponat, non incurrere irregularitatem, ſi non ex plena aduertentia aliquid proferat, ex quo mors rei acceleretur, vel parũ acceleretur: & quidèm quòd ob exiguã accelerationẽ nõ incurratur irregularitas, ſatis probabilitèr cõſtat ex dictis ſupra in fine ſolutionis quęſt. 10. quòd autẽ actus non perfectè deliberatus ſufficiat ad incurrendã irregularitatẽ, ex eo liquet, quòd cum non ſit perfectè humanus, nec ſub prohibitione iuris canonici comprehenditur, atquè ita nec pænæ irregularitatis à iure canonico impoſitæ ſubijcitur. Prætereà non poteſt dici, quòd hic ſpontè omninò nolit repreſentare manſuetudinem, & lenitatem Chriſti, cum non ex plena aduertentia protulerit verbum aliquod, ex quo mors rei aliquantulùm præter eius intentionem accelerata fuit. Suffragantur nobis Auila parte 7. diſp. 5. ſect. 2. dub. 1. §. 8. Henriq. lib. 14. cap. 12. litt. F. vbi hæc habet. *Auila* *Henriq.*
Et ab irregularitate excuſatur dicens, vel faciens aliquid pium, vt ſi carnifici dicat, permittitur tibi facere officium tuum, quia ego iam feci officium meum in confeſsione,
 vel

vel exhortatione; & qui parùm cooperatur, non cenſetur moralis, & propinqua cauſa influens, quia parùm pro nihilo reputatur, vt ſi pungat aſinum eius, qui deducitur ad furcam, vel ſi reo dicat, vt aſcendat alterum gradum ſcala, nec qui ob vitandum dedecus impetrat à iudice, ne reus ducatur per plateam, & domum vxoris, aut parentum, quamuis per accidens ex breuiori via ſequatur aliqua acceleratio mortis. Hæc Henriquez.

Ex dictis infertur, qui plena aduertẽtia aliquid dicit, vel facit, ex quo mors damnati ad ſuppliciũ acceleratur notabilitèr, ſiue ſit ſęcularis, ſiue Clericus, fieri irregularem ob defectũ lenitatis, hic enim potiùs repreſentat interfectores Chriſti, & cooperatores ad eius mortem, quàm paſſionem ipſius Chriſti, qui fuit mitis, & lenis, de quo dictum eſt, quòd tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & quòd cum pateretur, non comminabatur. Certum autèm eſt, quòd qui recipit ordines, eligitur ad altaris miniſterium, in quo repreſentatur paſſio Chriſti.

Iſai. 53. *1. Pet. 2.*

Turrian. Quarè non placet opinio Turriani de Cenſur. lib. 9. diſp. 66. dub. 3. quatenùs

putat

putat cum Vaſquez ob defectum lenitatis non fieri irregulares Religioſos cooperatores accelerationis mortis rei, etiam ſi ex plena aduertentia cooperētur, dummodò ſic cooperentur, vt non mortalitèr peccent, vt mors citiùs fiat. Placet eius verba referre. *Ego verò* (inquit Turrianus) *exiſtimo diſtinctione opus eſſe, nam vel iſti actus ſunt peccata mortalia, quia qui illos facit, iniuſtè eſt cauſa, vt mors citiùs fiat, & tunc incurritur irregularitas, quæ oritur ex delicto, de qua modò non agimus, neque tale peccatum fit à perſonis Religioſis in hoc euentu; vel non ſunt peccata mortalia, & tunc exiſtimo non incurri irregularitatem ex defectu lenitatis, niſi aliquid faciant, vt miniſtri publici iuſtitiæ.* Fundamentum, cui innititur, eſt, quia iura, quæ decernunt irregularitatem ex defectu lenitatis, loquuntur ſolùm de miniſtris iuſtitiæ, & his qui concurrunt ad cauſæ probationem, ſicut Aduocatus, teſtes, & pænæ executores, vt miniſtri iuſtitiæ, quam opinionem ſecuti ſunt aliqui recentiores. Sed prædictum fundamentum non eſt ſolidum, nam vbi militat adæquata ratio legis, militat etiam

ea-

Vaſq.

Turrian.

eadem diſpoſitio, ſed omnes rationes, ob quas iura inducunt irregularitatem ob defectum lenitatis, æquè militant in miniſtris iuſtitiæ, & in concurrentibus ad cauſæ probationem, in executoribus pęnæ mortis, vel mutilationis; ac in alijs quomodocunque cooperātibus cum plena aduertentia notabilis accelerationis mortis rei: Rationes autèm ſunt; quia qui ſic cooperantur, non repreſentant paſſionem Chriſti mitis, & lenis, qui autē ad ordines promouetur, eligitur ad dictam repreſentationem in altaris miniſterio. Prætereà Clericis committitur miniſterium nouæ legis, in qua nulla occiſionis pœna, aut mutilationis inferri ſolet; ergò qui cooperatur aduertentèr pœnæ mortis, vel mutilationis, non cenſetur aptus ad miniſterium nouæ legis. Omitto alias rationes breuitatis cauſa.

QVAERITVR decimoſextò, Vtrùm peccet mortalitèr Clericus, qui plena aduertentia facit aliquid, ob quod irregularitas incurratur.

Reſpondeo non peccare mortalitèr eum, qui ex affectu ſubueniendi anguſtię alicuius miſeri, vel conſulendi ſaluti ſpiritua-

ritua-

rituali damnati ad vltimum mortis ſupplicium, aliquid agit, vel dicit, ex quo ſciat hominem fieri irregularem, v. g. Sacerdos, qui comitatur reum ad conſolandum, videt eum iam benè diſpoſitum, qui anteà impœnitens diù perſtiterat, & iuſtam mortis pœnam ſubire renuebat, timens ne iterùm à bono ſtatu recedat, ſollicitat ſatellites, vt properent, vel etiã dicit reo, Eia pergamus frater celeri gradu, vel illum hortatur, vt caput ſtipiti admoueat. Fauent nobis Henriquez lib. 14. cap. 12. num. 4. litt. T. Auila parte 7. diſp. 5. ſect. 2. dub. 14. vbi hanc rationem affert, quòd licèt prohibitum ſit Clericis, ne ſe immiſceant in cauſa ſanguinis, tàmèn hæc materia leuis eſt. Adde, quòd hic principalitèr intendit exercere opus charitatis, vnde per ſe loquendo puto nec venialitèr peccare in tali caſu.

Henriq.

Auila

Dixi, *per ſe loquendo*, nam ſi eſſet Parochus, & ex hoc, quòd fiat irregularis, ſequatur graue damnum ſuis ouibus, ratione talis damni poſſet eſſe peccatum mortale, vt monet Auila. Hoc autem ratò continget, quia alius poterit ſubſtitui.

QVAERITVR decimoſeptimò, Quis

poſſit

Digitized by Google

poſſit diſpenſare in irregularitate ex defectu lenitatis proueniente.

Reſpondeo primò, ſpectato tantùm iure communi, ſolum Papam poſſe diſpẽſare. Ita Nau. c.27.n.194. §.7. & n.217. in fine, Sylueſt. V. diſpenſatio q.10. parte 1. Henriq. lib.14. cap.17. nu.3. litt.L.

Nauar. *Syluest.* *Henriq.*

Reſpondeo ſecundò, habentem priuilegium diſpenſandi in omnibus irregularitatibus excepta bigamia, & homicidio voluntario, poſſe diſpenſare in prædicta irregularitate ex defectu lenitatis. Ita Caiet. Armil. Henriq. Nauar. quos citat, & ſequitur Auila parte 7. diſp. 6. ſect. 5. dub.1. concl.2. Ratio eſt, quia homicidium voluntarium, quod ſempèr excipitur in huiuſmodi priuilegijs, intelligitur homicidium iniuſtum volitum in ſe, irregularitas autem, quæ incurritur ob defectum lenitatis, prouenit ex homicidio iuſto, vel mutilatione iuſta.

Caiet. *Armil.* *Henriq.* *Nau.* *Auila*

Reſpondeo tertiò, habentem ſolùm ſpeciale priuilegium diſpenſandi in irregularitate proueniente ex homicidio caſuali, non poſſe diſpenſare in irregularitate, quæ incurritur ob defectum lenitatis. Hanc concluſionem docet Auila

Auila.

loco

loco citato concl. 3. Et ratio eſt, quia tale priuilegium, cum expreſsè limitetur ad diſpenſationem irregularitatis ob homicidium caſuale non directè volitum, non poteſt extẽdi vltra proprietatem verborum ad diſpenſationes irregularitatis ex defectu lenitatis ob homicidiũ iuſtũ directè volitum. Hinc ſequitur, vt notat cum alijs Auila, quòd Epiſcopus nõ poteſt per facultatẽ Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 6. diſpenſare in irregularitate ex defectu lenitatis. *Trid.*

QVAERITVR decimo octauò, Quis poſſit diſpenſare in irregularitate ex homicidio caſuali mixto prouenicnte.

Reſpondeo primò, Epiſcopum nunc poſſe completè diſpenſare in irregularitate ex homicidio caſuali occulto, & non deducto ad forum contentioſum. Ita cum Nau. & Henriq. Auila parte 7. diſp. 6. ſect. 5. dub. 2. concl. 2. *Nau. Henriq. Auila*

Probatur, nam Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. concedit Epiſcopis facultatem diſpẽſandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta irregularitate homicidij voluntarij, ergò poteſt virtute huius facultatis diſpẽſare in irregularitate, quæ incurritur ob homi- *Trid.*

homicidium caſuale, quod non eſt directè voluntarium, ſed tantùm indirectè.

Dixi, *completè*, quia non ſolùm poteſt diſpenſare, vt quis miniſtret in ſuſceptis ordinibus, ſed etiá vt quis promoueatur ad ordines, quos nondùm recepit, & poteſt diſpenſare ad beneficiũ etiam curatũ.

Reſpondeo ſecundò, poſſe Epiſcopum diſpenſare quoad ordines minores, & quoad beneficium ſimplex cum irregulari ex homicidio caſuali publico. Ita Sayr. theſauri lib. 7. cap. 7. num. 20. Henriq. lib. 14. cap. 19. num. 2. litt. T. Auila loco cit. concl. 3. Fundamentum eſt, quia iure antiquo id poterat, ergò etiam nunc poteſt; conſequentia ex eo liquet, quia Cõcil. Trid, dicta ſeſſ. 14. c. 6. non aufert id, quod aliàs iure ſpeciali antiquo Epiſcopis conceſſum erat, vt notat Henriq. lib. 14. c. 19. nu. 1. litt. H. antecedens probatur ex c. Henricus de Clericis pugnãtibus in duello, & c. ad audientiam de homic. & plurib. DD. quos affert Sayr. d. n. 20.

Dixi, *quoad beneficium ſimplex*, nam quoad curatum obtinendum nõ poteſt, poteſt verò ad retinendum curatum iam obtentum, vt cum Panormit. Decio, Nauar.

Sayr. *Henriq.* *Auila* *Trid.* *Panormit.* *Decius*

uar. Viualdo Zerula, Medina tenet Sayr. *Nauar.*
dicto cap. 7. num. 21. qui nu. 23. aduertit *Viuald.*
prędicta facultate diſpenſandi Epiſcopos *Zerula*
vti tantùm poſſe in ſua diœceſi. Ex dictis *Medina* *Sayr.*

Patet poſſe Admodum Reu. Patrem Generalem noſtræ Relig. Cler. Reg. Miniſtrantium Infirmis per ſe, vel per alios diſpenſare in irregularitate proueniente ex defectu lenitatis, vel ex homicidio caſuali indirectè volito, virtute ſpecialis priuilegij, quod illi conceſſum eſt à Gregorio XIIII. in Bulla edita pro erectione dictæ noſtræ Religionis, quæ incipit, *Illius qui pro gregis dominici*. Priuilegium autèm eſt, quòd poſſit diſpenſare in omnibus irregularitatibus, præterquã in illis, quæ incurruntur propter homicidium voluntarium, bigamiam, ac membrorum mutilationem, irregularitas autem ex defectu lenitatis ob cooperationem ad homicidium iuſtum, non dicitur irregularitas ex homicidio voluntario, per quod intelligitur ſolum homicidium iniuſtum, vt cum communi DD. ſententia dixi in reſponſo ſecundo quæſiti 17. ſic etiam irregularitas ex homicidio caſuali indirectè volito contradiſtinguitur *Bulla Greg. XIV.*

ab

ab irregularitate ex homicidio ſimpliciter voluntario, vt vidimus ſupra in primo reſponſo huius quæſiti.

QVAERITVR decimononò, An poſſint etiam Prouinciales, & Præfecti Domorum noſtræ Religionis ſine facultate delegata ab Adm. R.P. Generali participatione priuilegiorum alijs Religionibus conceſſorum abſoluere ab irregularitatibus ex defectu lenitatis, & ex homicidio caſuali indirectè volito.

Reſpondeo affirmatiuè, nàm Sixtus *Sixtus IV.* IV. conceſſit Magiſtro Generali, Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus, ac eorum Vicarijs Ordinis Prædicatorum facultatem diſpenſandi cum Fratribus in irregularitatibus omnibus, præterquàm homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum. Refertur in Comp. Priuileg. Fratrũ Minorũ ab Alphõſo Caſarubio edito, & reformato ſm̃ Decr. Cõc. Trid. v. Diſpẽſatio n. 13. nec deſunt alia huiuſmodi Priuilegia varijs Religioſis conceſſa, quibus per cõicationẽ, qui nomen noſtræ Relig. dederũt, fruũtur; vt ex dicta Bulla Greg. XIV. conſtat.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

6-3-2

Digitized by Google